II A 86
B II
17/c
18611/B



HERMANNI CONRINGII
INTRODUCTIO
IN
UNIVERSAM ARTEM MEDICAM
SINGULASQVE EJUS PARTES
EX PUBLICIS EJUS PRÆCIPUE LECTIONIBUS
OLIM CONCINNATA
NUNC VERO
ADDITAMENTIS NECESSARIIS AUCTA
CONTINUATA AD NOSTRA TEMPORA PRAECIPUORUM SCRIPTORUM SERIE.
ACCESSERUNT
JOHANNIS RHODII,
ALIORUMQVE IN ARTE PRINCIPUM VIRORUM
CONSIMILIS ARGUMENTI COMMENTATIONES.
CURA AC STUDIO
GUNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI
M. D. ET IN ACADEMIA JULIA P. P.
CUM PRÆFATIONE
FRIDERICI HOFFMANNI,
CONSILIARII, MEDICI ET PROFESSORIS REGII IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI, REGIÆ SOCIETATIS BRITANNICÆ ET PRUSSICÆ SODALIS
DE
STUDIO MEDICO RECTE PERTRACTANDO
ET EJUS PROBATISSIMIS AUCTORIBUS.

HALÆ & LIPSIÆ,
APUD ERNEST. GOTTLIEB. CRUGIUM,
MDCCXXVI.

KONINKL. BIBLIOTHEEK 'S GRAVENHAGE.
Verst... K. B.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

FRIDERICUS HOFFMANNUS
LECTURIS SALUTEM.

SI ullus unquam Medicorum, excellenter & vere eruditi nomen, meritorum magnitudine sibi comparavit & florentissimum reliquit: certe est CONRINGIUS, qui tot mansuris & præstantissimis, non solum in re medica, sed etiam iis, quæ ad Historiam & jura Status pertinent, monumentis, sempiternam famam ad posteros transmisit, & ad omnia scientiarum arcana admissus, *MAGNI* nomine merito suo triumphat. Vir enim erat stupendæ memoriæ, acutissimi judicii, infinitæ lectionis, indefessæ industriæ & in exiguo corpore vastissimi ingenii ac copiosæ polymathiæ. Scripta quæ condidit tam cogitata, limata & solida sunt, ac tam terso & perspicuo stilo concinnata, quam vix in optimis quibusvis reperias. Et licet horum pauciora medici lemmatis sint: quæ tamen illud tractant, omnium istius ævi sunt accuratissima & politissima; ita, ut pauca his æquiparari, & nulla prorsus anteponi possint. Præclari & luculenti testes sunt varia opuscula & dissertationes, nec non Medicina Hermetica, inprimis autem introductio in universam Medicinam singulasque ejus

partes, utilissimus profecto labor, & quo ad exactam medicæ artis historiam consignandam nihil aptius, nihil præstantius. Hujus semper fuit summa inter eruditos dignitas maximumque pretium, ita, ut licet ipse liber aliquoties recusus sit, & postremo SCHELHAMMERI commentationibus illustratus prodierit, avidius tamen coëmtus, jam inter rariores connumeretur, & bibliopolarum tabernis elapsus, in sic dictis auctionibus, sive publicis librorum venditionibus, nonnunquam pro imperiali & dimidio veneat. Quod quum animadverteret solertissimus in re litteraria juvanda Bibliopola Dn. CRUG, eruditorum quorundam Medicorum suasu permotus fuit, ut iteratam editionem adornaret, eandemque nitidis typis describi curaret. Et hunc absolutum jam a typographo librum paucis abhinc diebus ad me attulit, majorem in modum petens, ut præfationem adjicerem. Recusavi quidem primum, temporis angustiam caussatus, & quod ipse laboribus circa instantes nundinas Lipsienses perficiendis, evulgandis quoque nonnullis scriptis, non tam occupatus, quam potius obrutus essem: sed pertinacius flagitante illo, nolui demum penitus honestis ejus desideriis deesse, sed annui & fidem dedi. Cogitanti vero mihi, de quo potissimum argumento dicendi materiam sumerem; animum subiit & congruum visum fuit, si ex ingenti scriptorum medicorum numero atque farragine, eos, recentiores maxime & post CONRINGII obitum editos libros, qui lectu digni sunt, & ad solidam & rationalem medicam scientiam acquirendam plurimum utilitatis conferre possunt, delibarem, recenserem, ac iis, qui olim aliquo inter Medicos esse nituntur loco, commendarem; hanc maxime ob caussam, quia crebrius observatum, a Studiosis maxime

xime

xime, & nonnunquam ab iis, qui jam artis exercitio manum admovent, indiſcretim libros conquiri & tales etiam coëmi, ex quorum lectione parum fructus ferunt, ſed ſæpius tricis tantum irretiuntur & potius a vero rationalis Medicinæ tramite ſeducuntur. Quum enim, in medicis doctrinis tam ingens ſit opinionum divortium, in theoria tot præjudicia & hypotheſes, in praxi tot errores & lapſus, & præter innumerabiles medicamentorum compoſitiones & harum inanes laudes, ferme nihil; quilibet tamen pro auctoritate pugnet, & ingenii ſui fœtus ſpecioſiſſime jactitet & optimos judicet: arbitro utique opus eſt & fideli manuductione, quo rectam viam calcando, ex ſcopulis emergat diſcendi & proficiendi quidem cupidus, ad judicandum tamen minus aptus, neque veritatem inquirens, in errorum devia abripiatur. Proinde faciam, quantum quidem in me eſt, & ſumma fide eoque quo par eſt candore, paucos, ſed ſelectiſſimos auctores, ad rem medicam illuſtrandam & perficiendam utiles & neceſſarios, carpam atque laudabo; quo tamen ne quicquam gloriæ aliis aliorum clariſſimorum virorum ſcriptis, hic ob brevitatem prætermiſſis, detrahere animus eſt. Primum itaque hoc ceu certum & irrefragabile ſuppono, Medicinam eſſe diſciplinam non tam memoriæ & ingenii, quam potius ſummi judicii, eamque ob cauſſam, teſte dudum HIPPOCRATE, omnium difficillimam. Etenim in eo omnis medici officii cardo verſatur, ut ſapienter judicet, quæ tum ad valetudinem tuendam & vitam diutius protrahendam, tum ad omnis generis ægritudines feliciter propulſandas, proficua, vel noxia ſint, illa ſuadendo, hæc vero diſſuadendo. Quum vero mira copia & varietas ſit earum rerum, quae uſui tam quotidiano, ad alendum

corpus, quam medicinali, ad persanandum illud, inserviunt; & hæ perperam usurpatæ, nocendi etiam facultate polleant; quum porro ipsa hominum corpora, ratione dispositionis & structuræ nativæ partium, ratione ætatis, quavis periodo mutationem inferentis, ratione locorum & climatum, immo anni temporum, quæ aëris, genuini vitalium motuum pabuli, temperiem mirifice immutant, nec non ratione victus & vitæ regiminis, aliam atque aliam habitudinem in functionibus obeundis induant: non possunt utique non, quæ his valde salutaria sunt, aliis minus proficua esse, eamque ob caussam exquisito Medici judicio opus est, qui omnia prudenter dispenset & singulis cuncta perite accommodet. Accedit præterea, quod quum innumerabiles sint morbi, qui non solum pro varia temporum, tempestatum, locorum constitutione & victus quoque ratione, alium atque alium genium obtinent, sed etiam pro corporum ac temperamentorum indole, quoad symptomata & eventus longe multumque discrepant, neque ab iisdem, sed diversæ indolis sæpe caussis, ortum trahunt: non minus summæ prudentiæ, solicitæ deliberationis & meditationis sit, omnibus his accommodam medendi viam ingredi, & nosse quæ salutem, & quæ damnum important. Et quod maximum est, propudiosa ac perpetua fere inter Medicos est dissensio, discordia & altercatio, dum non modo in medendi methodo mirifice diffident, sed & ratione medicamentorum in diversas abeunt sententias, & hic medicaminis cujusdam virtutem incredibilem in modum dilaudat, alter idem hoc ceu perniciosum penitus rejicit, ut utroque experientiam plenis buccis crepante, difficillimum, quin sine subacti judicii cynosura irritum plane, veritatem eruere, seligere eidemque assensum præbere. Denique pro-

fun-

fundo quoque & perſpicaci opus eſt judicio, ubi Medicus in officio conſtitutus, ad varios caſus medicos & chirurgicos reſpondere, & maxime de vulnerum ac læſionum lethalitate, ſolidum judicium ferre debet; eo quod, in perverſo & minus deliberato ejus judicio, vita hominis, quo nil præſtabilius, nil pretioſius, periclitatur.

Ex quo quum pateſcat, Medicum eo præſtantiorem eſſe, quo majori in rebus diſcernendis judicio pollet: ſedulo omnino navanda eſt opera, quo is, qui in artis noſtræ ſtudio fructuoſe verſari eamque non perfunctorie excolere nititur, mature ea addiſcat, quæ naturalem judicandi facultatem acuunt & intendunt, & quæ viam ac methodum veritatem inveniendi, illamque ab errore & confuſione diſcernendi, dilucide monſtrant. Et hæc ipſa ſapientiſſimi HIPPOCRATIS & acutiſſimorum Philoſophorum ſententia ſunt Arithmeticæ & Geometriæ elementa, quorum cultura & exercitio animus inſtruitur & aſſueſit, ut profunde meditari, notiones perſpicuas & diſtinctas, ab obſcuris & confuſis, reales conceptus ab imaginariis & ſpecioſis verbis, diſtinguere & ex notis ignota apta connexione detegere poſſit: in quo vera praxis Logices & methodus demonſtrationes conficiendi, in omni diſciplinarum genere, comprehenditur. Quare etiam apprime utile fore reor, logica præcepta, quæ a clariſſimi nominis Mathematicis conſignata ſunt, & præ reliquis in Illuſtr. TSCHIRNHAUSEN *medicina mentis* & WOLFII *Logica* traduntur, præferre, animo imbibere, & in ampliſſimum uſum ac fructum convertere.

At vero ſummopere neceſſarium eſt, ut Medicus, earum rerum, circa quarum dijudicationem occupatur, exactam prius poſſideat notitiam, quo ſcilicet earum naturam, indolem, facultates, vires, operationes & ex quibus cauſſis natales ducant, intimius pernoſcat. Hæ au-

autem quum nullæ aliæ ſint, quam quæ in corporis humani fabrica & rerum naturalium cenſu obviæ: utique ad earum penitiorem cognitionem, tam anatomica partium, quoad ſtructuram, ſitum, connexionem & uſum, contemplatio, quam ſtudium Philoſophiæ naturalis, experimentis tam phyſicis, quam chymicis, aditum pandunt feliciſſimum. Id enim pro certo tenendum eſt, & Anatomiæ, & Phyſices experimentalis culturam ac ſtudium, vera & firma theoriæ & praxeos medicæ ſuggerere principia, ſine quibus nihil ſolidi in hiſtoria vitæ, ſanitatis & morborum explicari, nulla accommoda medendi ratio, vel congrua medicina inveniri, vel remediorum vires & facultates explorari; item cur hæc, vel illa, proficua aut noxia ſint, apta ratione & demonſtratione exponi poteſt. Neque inficias ire poſſum, craſſam & ſupinam illam anatomici & phyſici ſtudii per plurima ſæcula ignorantiam, & obſervationum medicarum omni ex parte completarum defectum, nec non quod recentiores, anatomicas & phyſicas doctrinas ſubtilius agitantes, easdem minus recte ad Pathologiam & Therapiam, ipſamque ſcientiam de ſanitate tuenda applicare annisi ſunt: certo fuiſſe obſtaculo, quod ars medica non ad certam rationem majoremque perfectionis gradum evecta eſt.

Quum itaque harum ſcientiarum tanta utilitas ſit atque neceſſitas, ut iisdem Medicus rationalis carere nequeat: ſtudioſe omnino monendi ſunt artis noſtræ cultores, ut primum in Academiis ſtudium anatomicis & phyſicis laboribus ſolerter addicant. Quamvis autem facta coram inſpectio corporis penetralium, ipſa partium contrectatio & fidelis in ſecandis iisdem manuductio, multo utilior & longe præferenda ſit omnibus pictis & æri inciſis figuris, nec non libris ejusdem argumenti: nihilominus tamen, ut labilis memoria ſubſidium habeat, quo ſibi re-

præ-

præſentare omnia & clarius firmiusque retinere poſſit, apprime utique libri anatomici, optimi tamen, ex uſu ſunt. In horum cenſum referendi ſunt HEISTERI *compendium anatomicum*, VERHEYENS *anatomia corporis humani*, HORNII *opuſcula anatomica & chirurgica, cum annotationibus* PAULLI, DIEMERBROECKS *opera*, BIDLOO *anatomia humani corporis*, CASSERII PLACENTINI *tabulæ anatomicæ*, & inſtar omnium MANGETI *theatrum anatomicum*; quibus merito adjungi debent RUYSCHII *theſaurus, epiſtolæ, obſervationes & adverſaria anatomica*, item MORGAGNI *adverſaria anatomica*. Qui ſpeciatim certarum partium fabricam & uſum expoſuerunt, ſunt RIDLEY *de cerebro*, VIEUSSEN *in nevrographia*, VALSALVA aurem humanam; ductus ſalivales nec non glandulas humani corporis nemo rectius NUCKIO tradidit. LOWERI elegans liber *de corde* eſt; & *de hepate* BIANCHI egregia ſcripſit. De pancreate, de duodeni glandulis, BRUNNERUS eximius eſt; de renum ſtructura BELLINUS & de generationis organis *de* GRAAF commendantur; de fabrica glandularum in corpore humano BOERHAAVE, & de oſſibus CLOPTON HAVERS omnes alios antecellunt.

Ad comparandam in rebus chymico-mechanico-phyſicis ſcientiam ex recentioribus laude digniſſimi ſunt WOLFIUS, qui *phyſicam dogmaticam & experimentalem* ſcripſit, STURMIUS in *phyſica electica* adjuncto *collegio curioſo*, GRAVESAND *in elementis phyſicis*: quibus addi poſſunt SCHEUCHZERI & KEILII *Phyſica*, LEUWENHOCKII *epiſtolæ phyſiologicæ*, MARIOTTE, VALLISNERI & GUILIELMINI opera, *Acta philoſophica Anglicana* nec non *l'hiſtoire de l'Academie Royale des ſciences*, neque minus & noſtræ & STAHLII *obſervationes phyſico-chymicæ*.

A ſtudiis anatomicis & phyſicis, ſpeciatim ad phyſicam & anatomicam corporis humani vivi & ſani ſcientiam, quæ Phyſiologiæ nomine venit, acceſſum facimus; ad quam elu-

cidandam BOHNIUS *in circulo anatomico*, BERGERUS *in physiologia*, *Mauritius* HOFFMANNUS *in disquisitionibus anatomico-physiologicis*, BOERHAAVE *in institutionibus*, plane egregiam operam & studium collocarunt. Neque MICHELOTTI dissertationes *de separatione fluidorum in corpore humano* debita defraudandæ sunt laude, item PITCARNII *opuscula physiologico-medica*. Sique nostros hac in Academia labores recensere & commendare par est, sunt potissimum e STAHLII dissertationibus *de mechanismo progressivi motus sanguinis*, item *de æstu maris microcosmici*, quas cum fructu legi posse putamus, nolo autem multa commemorare de *tomo primo medicinæ meæ systematicæ*, sed penes lectorem sit judicium.

Pergimus jam ad eos auctores, qui de valetudine tuenda limata & utilissima ediderunt scripta: Post HIPPOCRATEM, qui *libris tribus de diæta*, item *de salubri victus ratione*, nec non *de aëris, aquarum & locorum natura*, maxime utilia memoriæ prodidit, liber primus *Cornelii* CELSI & in eundem pulcherrimus LOMMII commentarius, nec non MERCURIALIS de arte gymnastica, unacum SANCTORII *medicina statica*, lectu dignissimi sunt. Ex recentioribus quæ RAMMAZINUS LANCISIUS & LEMERY *in traité des alimens* circa hoc argumentum ex physico-mechanicis principiis tradiderunt, præ omnibus aliis merentur commendari, non prætermissis BEHRENS *selectis diæteticis*. Et quum nobilissimam & utilissimam hanc Medicinæ partem, non adeo solicite ex veris principiis, physico - nempe chymicis, minusque accommode expositam esse huc usque deprehenderem; multum operæ impendi, ut selectiores complures de salubri diæta dissertationes conscriberem, quæ magno cum applausu ubique exceptæ, in Belgio recusæ, & in Germanicum idioma haud ita pridem translatæ sunt.

A perverso rerum quibus homo ad vitæ & sanitatis tutelam carere nequit usu, utique origines & primordia morbosa-

bosarum afflictionum petenda sunt; quare non sine ratione hæc pars Pathologiæ a nobis præmittitur. Hæc autem rationalis morborum doctrina duobus potissimum absolvitur momentis, unum est exquisitior quoad omnes circumstantias ægrotantis corporis, quoad caussas morborum antecedentes, sive remotas, & proximas, quoad symptomata, seu functionum læsiones, quoad morborum secundum origines, signa diagnostica, tempora, progressum & eventum historica descriptio: alterum vero rationalis, fundata & demonstrativa explicatio ac deductio est eorum, quæ in historia commemorantur. Ad historicam morborum cognitionem perveniendam, operam & studium antiquissimorum, qui in hoc genere excellunt, non satis dilaudare possum. Et uti HIPPOCRATES inter veteres Medicorum facile princeps ac optimus artis nostræ parens est; ita in hoc etiam omnibus est anteferendus, & posteris expeditam viam monstravit, quam calcare fas est. Ex ejus vero monumentis laude dignissimi sunt *aphorismi*, præsertim cum HOLLERII & HEURNII annotamentis editi; & sigillatim quoad morborum originem commendanda eorundem *sectio tertia*, quoad prognosin *prædictiones Coacæ*, DURETI notis illustratæ, *libri epidemiorum* a PROSPERO MARTIANO, VALESIO MERCURIALI & novissime *Jo.* FREIND, quoad priores duos libros, animaduersionibus instructi. *Liber* quoque *tertius Corn.* CELSI mere pathologicus est. His adjungenda sunt scripta TRALLIANI, AETII, ÆGINETÆ, ARETAEI, & ex methodicorum schola COELII AURELIANI & ALPINI. Non minoris dignitatis & præstantiæ sunt *Jodoci* LOMMII *Observationes*, quæ eleganter & fideliter morborũ signa tradunt. Denique si recentiorum, qui peculiares casus & observationes, quæ basin veræ pathologiæ constituunt, cum cura solerter consignarunt, censum inimus, non possumus non laude prosequi *Caroli* PISONIS *Observationes de morbis ex serosa*

colluvie oriundis, item *VALLERIOLÆ, VERZASCHÆ, HARDERI, CHESNAU, PECHLINI, BALLONII, BOTALLI, FORESTI, PLATERI, LVSITANI, WELSCHII, STALPART van der WIEL, WEPFERI, RIEDLINI, RIVERII, observationes medicinales, Acta Haffniensia, Berolinensium, Uratislaviensium Medicorum, miscellanea naturæ curiosorum, de scorbuto DRABITIUM, EUGALENUM & WIERUM.* Præterea lectu dignissimi sunt, illi casus, qui in operibus *WILLISII, LANCISII, SEPTALII, MONTANI, SCHULZII, CRATONIS, ETTMüLLERI, LANGII*, item *in medicina nostra consultatoria*, & passim in dissertationibus academicis de hoc argumento expositi sunt. Inprimis autem inserendum hoc loco *BONETI sepulchretum*, qui observationes practicas morbis defunctorum collegit & in unum volumen redegit, eoque de morborum sede mortisque caussis lectores luculenter instruit.

Ad rationalem morborum deductionem & perspicuam symptomatum evolutionem quod attinet; perpaucos inter veteres reperies, qui hoc in genere laudabilis quippiam præstiterunt, eo quod, ob defectum scientiæ Physicæ & experimentalis Philosophiæ, ignorantiam Anatomiæ ac potissimum circuli sanguinis, structuræ & usus partium, vera notitia corporis humani, tum vivi ac sani, tum morbosi, mechanica, destituti fuerunt. Recentiorum autem nonnulli laudatissimam & fructuosam in enodandis morbis posuerunt operam, e quibus discendi cupidis abunde satisfacient: *MALPIGHII, BAGLIVI, LANCISII, RAMMAZZINI, BELLINI, BOERHAAVENS* aliorumque emendatæ Medicinæ scriptorum opera; quibus merito etiam annumerandus eximius *Joannis a REGA de sympathia corporis humani* libellus, nec non *FREINDS Emmenologia.* Si etiam nostros hac in Academia labores allegare fas est, non sine singulari fructu legi poterunt *STAHLII* dissertationes ad veram Pathologiam & Praxin viam pandentes, quas inter maxime eminent: *de motu tonico, de morbis*

ata-

ciatum, de vena portæ porta malorum, de motibus spasmodicis a pulsibus naturalibus differentibus, de motibus sangvinis hæmorrhoidalibus, nova pathologia calculi renum, de pathologia fundamentali practica. Quid ego hac in parte præstiterim, *tomo* potissimum *secundo medicinæ rationalis systematicæ* & *in idea fundamentali totius Medicinæ*, nec non in varii generis pathologici argumenti dissertationibus, e quibus adduxisse sufficit, quæ *de consensu partium præcipuo Pathologiæ fundamento, de generatione febrium, de generatione mortis in morbis, de certo mortis in morbis præsagio, de pulsibus, de morbis ex aliis prodeuntibus, de generatione salium morbosorum, de duodeno multorum morborum sede*, tractant, intelligentium & cordatorum arbitrio committo. Denique ex iis, qui utilissimam illam de hæmorrhoidali negotio considerationem curatius excusserunt, præter *STAHLIUM*, inprimis nominandus *ALBERTI*, qui peculiari tractatu eandem fusius & egregie prosequutus est.

Perspectis igitur morborum caussis, origine, indole & quibus incedant symptomatibus; necessarium est, ut is, qui eorundem persanationem molitur, dispiciat media quibuscum id perficiat: ita quidem, ut eorum vires & operandi rationem intimius cognitam habeat atque perspectam. Et licet horum uberrima supellex, in classes varias descripta, materiæ medicæ penu comprehendatur: sæpius tamen spem fallunt, & artis est, ex miscellanea farragine optima & usu comprobata seligere. Ex probatissimis autem, qui simplicium natales eorumque vires exposuerunt, summo cum fructu evolvi posse arbitror: *POMET histoire des drogues, LEMERY Lexicon des drogues, TOURNEFORT traité de la matiere medicinale*, tomi tres, *DALE pharmacologia, HERMANNI critica de materia medica, WEDELII amoenitates materiæ medicæ, ZORNII Botonalogia*, liber hoc in genere omnibus numeris absolutus, *S. PAULLI quadripartitum botanicum, FLOYER de viribus plantarum, BOERHAAVE de viribus medicamentorum* & denique etiam nostra *de modo operandi remedio-*

rum physico mechanico dissertatio, unacum schediasmate *de methodo compendiosa, plantarum vires & virtutes in medendo indagandi.* Et quia minerales aquæ efficax admodum valetudinis præsidium sunt; de earum elementis, viribus, operandi modo, utilitate & usu, non vereor commendare ea, quæ in variis dissertationibus a me exposita sunt, & his nundinis, in *tomum secundum opusculorum physico-medicorum* collecta, prodibunt.

Quum vero non sufficiat simplicia eorumque facultates nosse; sed eadem etiam usui aptanda sint & præparanda: accedere omnino debet artis pharmacevticæ, tam Galenicæ, quam Chymicæ artificiosæ, notitia; ad quam percipiendam egregie inserviunt *CHARAS pharmacopœa regia, LEMERY cours de la Chimie*, *Mauritii HOFFMANNI acta laboratorii chymici Altorfini, POTERII observationes* cum nostris notis, *LUDOVICI pharmacia moderno seculo accommodata, STAHLII chymia*: observationes nostræ chymicæ, *dispensatorium Brandenburgicum, ZWöLFERI pharmacopœa Augustana, pharmacopœa Holmiensis, WEDELII pharmacia in artis formam redacta*, nec non ejusdem *tractatus de compositione medicamentorum.* B. Parentis *Clavis Schröderiana.* Addi potest *MANGETI bibliotheca chymica.*

Jactis sic fundamentis, ad ipsius artis exercitium expeditus & felix est aditus. De hoc autem cum prudentia, attentione & exoptato cum successu instituendo, fidelissima & longe utilissima præcepta traduntur, ipsaque medendi methodus dilucide exponitur in variis scriptis. Nos quæ hunc in finem commendemus, habemus potissimum, ex libris sic dictis practicis, *SENNERTI, FERNELII, RIVERII, SYDENHAMI, SYLVII, ETTMüLLERI, LANGII, MICHAELIS, WALDSCHMIDII & BAGLIVI* opera, *Timæi a GüLDENKLEE casus medicinales* & ad horum imitationem concinnatam *WEDELII praxin clinicam*; nec non ex *STAHLII* scriptis & MStis collectum & in tabulas a *JUNCKERO* digestum, *conspectum medicinæ practicæ.* Neque prætermittendæ sunt editæ a clarissimis Germaniæ Medicis

dicis practici argumenti dissertationes *SCHRADERI, MEIBOMII, ETTMüLLERI, BOHNII, WEDELII, BERGERI, ZWINGERI, CAMERARII, ALBINI, HEUCHERI, SCHACHERI, BEYERI*; quibus accedunt in nostra Academia a clarissimis Professoribus evulgatæ, unacum meis, quibus universam clinicam praxin exposui, item de arcana medendi methodo, præstantissimis medendi legibus, prudenti remediorum in tempore applicatione & continuatione, item de natura medicatrice mechanica, de medicamentis insecuris, infidis, purgantibus fortiorib9, emeticis selectioribus & cura lactis asinini. Eundem quoque in censum referenda consilia medico-clinica *Medicinæ consultatoriæ* nostræ inserta, unacum *tomo tertio medicinæ systematicæ rationalis*, quem, si Deus vitam & vires concesserit, adhuc emittere constitui.

Sunt vero præter interna etiam externa in corpore vitia & violentæ nonnunquam læsiones, quæ non tam interius medicamentosa præsidia, quam potius exterius manibus administris opem exposcunt, & quorum curatio haud postremam studii medici partem conficit. Chirurgiam græco nomine vocant, quæ quantum ornamenti & famæ Medico conciliet, & quam necessaria ipsi sit, ad instruendos & corrigendos imperitos nostros, & sæpe tamen audaces Chirurgos, ac solidum de rebus chirurgicis ferendum judicium, pro re satis effari nequeo. Quia vero hujus fundamentum est anatomes accuratior, tam quoad internas, quam inprimis externas corporis partes, nervos scilicet, musculos, vasa eorumque propagines cognitio: utique ex iis, qui in hoc studii genere consulendi, præferendi sunt, qui anatomice in eo versati sunt. Et horum ex numero illustri laude conspicui sunt *HEISTERI, DIONIS, PALFYNS & MUNNIGKS Chirurgia, MUYS praxis medico-chirurgica rationalis & observationes chirurgicæ, BIDLOO exercitationes anatomico-chirurgicæ, NUCKII, DEVENTER & SOLINGEN operationes chirurgicæ, MANGETI bibliotheca chirurgica, RUYSCHII, TULPII, HILDANI, a MECKERN, de la CHARIERE, GAUCKS observationes chirurgicæ, SEVERINUS*

RINUS de occulta abscessuum natura, *PETIT de morbis ossium*, *TOLETUS de sectione calculi*, *MAURICEAU traité des maladies des femmes grosses GARENGEOT traité des operations de chirurgie.*

Præterea sæpissime contingit, ut Medicus de lethalitate læsionum, vel etiam aliis rebus, ex medico in juridicum forum deferendis, sententiam & responsum promere debeat; quod quum sæpius irreparabilem ac pretiosissimam hominis vitam attingat, & semper fundamentum præbeat, ad cujus normam JCti mulctam accommodant: summo utique cum judicio & deliberata meditatione, ex curatius coram facta inspectione & collatione circumstantiarum secundum principia medica & chirurgica, illud interponendum erit. Ne igitur in tanti momenti negotio impingat Medicus, quo pacto in eodem perite versandum sit, ab optimis ut edoceatur auctoribus anniti debet. Inter hos autem laude merito afficiendi & consulendi sunt: ZACCHIAS in *quæstionibus medico-legalibus*, *AMMANNUS in medicina critica*, *praxi vulnerum lethalium*, *Irenico*, *FORTUNATUS FIDELIS in relationibus*, *BOHNIUS in libro de officio medici duplici*, *de renunciatione vulnerum & eorum lethalitate* & *ZITTMANNUS in medicina forensi.* Huc etiam spectat *Medicina* mea *consultatoria*, & novissime edita *ALBERTI Jurisprudentia medica*, in qua præter præcepta in hoc studii genere utilissima, casus etiam forenses, partim a me jam antea in Medicina consultatoria exhibiti, partim etiam noviter additi, comprehenduntur.

Superesset adhuc, ut amplissimum & jucundissimum historiæ naturalis campum artis medicæ cultoribus aperirem, & quibus ducibus illum ingredi & excolere debeant, commonstrarem: sed quum labores, qui hujus culturæ impenduntur, præter oblectamentum & ornamentum, vix quicquam utilitatis Medico impertiant, neque primario ad medicum scopum referendi sint, ipsa quoque temporis ratio & paginæ angustiæ dignam explanationem impediant: filum abrumpo, & Summum Numen supplex precor, ut prudentissimorum ac usu exercitatorum virorum largo proventu excitare velit ingenia, qui dignos sumant spiritus, & unitis exquisitis viribus, eo laudabiliter contendant, quo utilissima nostra generi humano & præstantissima ars, novis subinde accessionibus & observationibus anatomicis, physico-chymicis & practicis, majora indies capiat incrementa. Scribeb. in Fridericiana IIX. Kalend. Octobr. Anni cIↃ IↃCCXXV.

Lectori Benevolo

S. P.

Vicunque ad aliquod ſtudium animum adjungunt, illos ſumma ope niti decet, primum, ne otium atqve deſidiam, aut voluptates ſectando, juventutis veras peſtes, eam dilabi tacito pede ætatem patiantur, quæ ad quodlibet perdiſcendum maxime idonea eſt. Deinde ubi hæc monſtra ſuperaverint, cavendum eſt etiam, ne fruſtra in eo laborando, inutili diligentia tempus conſumant & ſic oleum ſimul atque operam perdant. Illud ut posſint effugere, cum primis a parentibus adminicula expectare licet, alterum; a præceptore. Ut enim ipſæ virtutes ac vitia non connata nobis

ſunt, ſed per educationem, prout tenerrimus animus iis imbuitur, adſciſcuntur, ita & labor ac diligentia non naturali vitio a multis fugiuntur, ſed qvia non aſſveti ſunt, ideo grave onus humeris ſuis exiſtimant impoſitum, cum nihil jucundius ſit quam perpetuo ſtudiis vacare. Verum enim vero afferre ad rem literariam ardorem & φιλοπονίαν, magnum jam quidem eſt, & dimidium facti cenſendum: ſolo tamen hoc & uno meta non attingitur: pari ſane ratione, qva ſi quis magnum curiæ & eccleſiæ Romanæ Antiſtitem viſere deſideret, nil proſunt vires & ſtrenue eundi cupiditas, niſi viam noſcas qua pervenias Romam: plus dico; ſi deſint amici qui locum, tempus, modum indicent. Ante omnia igitur, priusquam ſe committat immenſo & infido huic mari, perquirendum juventuti eſt, probeqve cognoſcendum, quo ſe protendat diſciplina quam aggreſſuri ſunt, qvalis ſit, quando ceperit, ut adoleverit, quousque in ea ſit perventum: Deinde qvibus ex auctoribus eandem queant diſcere. Latent enim velut in diverſis puteis theſaura aqvarum Sapientiæ, quorum alii putidi ſunt, plenique ſordium; alii limpidi & clari. Qvales hauſeris, atque animo infuderis, talis ipſe futurus es, &

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem Teſta diu.

Præ-

Præclare igitur, qvantum unquam fieri poteſt, de ſtudiorum ſectatoribus merentur, & Apollinea digni Lauro putandi ſunt quotquot in eo ſeſe occuparunt ut veluti Duces eant, facemque præferant qua recto tramite, vitatis deviis, ad veritatem perveniatur. Et vero id muneris præcipue publicis doctoribus datum: Perperam ut exiſtiment, qvi in id conſtitui putant, ut univerſam diſciplinam ſuam diſcentibus inculcent, hoc enim tam brevi ſpatio quo licet in Academiis verſari, fieri in omnibus non poteſt: Diſcentibus potius id negotii datum, ut ipſi legant atque pervolvant auctores qui extant: illi ſi rudimenta & hiſtoriam diſciplinæ tradant, præterea vero indicent qui plura cupientibus, quo ordine, quomodo legendi, præcipua officii parte defuncti eſſe, poſſunt videri: Quo in genere quantum peccetur hodie intra & extra muros, palam eſt: cum pauci ſint qui hiſtoriam diſciplinæ ſuæ atque auctores ſingulos, vel præcipuos etiam norint, pauciores qui attente & à capite ad calcem legerint, paucisſimi qui aliis eos commendent; quilibet proprios libros, propriam methodum ſuam laudant, inculcant, eamque ſolam (nonnunquam & ſoli) ſequuntur. Alia fuit mens ſummi viri, & æternæ memoriæ Hermanni Conringii. Qui primam inter ſibi demandatas partes credidit

ſemper, auctores diſcipulis ſuis laudare, & cupiditatem illis atqve ardorem inſpirare eos ipſos legendi. Nec volebat tantum, ſed poterat. Legerat enim omnes, omnes dico, qvotqvot pene agnoverat veneranda vetuſtas ad ſua usqve tempora, prout id millies ex ipſo audivi; legeratqve maturo judicio, & diligenter: ut non ignoraret, qvid boni, quid mali haberent. Qvid dico ignoraret? Ad ungvem tenebat: Librum, caput, paginam citabat memoriter, idqve in cathedra publica: qvæ ubi erat conſcendenda, non ſolebat præmeditari, aut conſignare chartis qvæ dicturus erat, ſed prompte citra omne adminiculum aut prævium ſtudium omnia enarrabat. Verum de his, & viri præſtantia forte alias, nunc ad ea, qve exorſus eram, revertor. Cum igitur tum temporis doctor eruditisſimus, & non magis ipſarummet diſciplinarum, quam methodi easdem teneris pectoribus inſtillandi peritus, Medicinæ cultoribus publica auctoritate præeſſet, atqve animadverteret, hiſtoriæ artis eorumqve qvi eam præſtantibus ſcriptis illuſtraſſent magnam pasſim regnare ignorantiam, hincqve frigere apud alios diſcendi ſtudium, apud reliqvos fruſtra exardeſcere, qvos in tanta librorum multitudine ſeqvantur potiſſimum, incertos, prælectionibus publice habitis cepit per vices, modo hanc,

modo

modo illam Medicinæ partem exponere; eo quo hic vides modo, & de iis, quæ ſingulis temporibus in arte ſint geſta, quave occaſione, libere edocere. Factum hoc eſt annis ſeculi currentis XXXIX. XL. XLI. XLII. III. & IV. Hæc igitur cum avidis primum auribus ab auditoribus exciperentur, nec ſegniore calamo, prout quisque tumultuaria opera differentis vocem erat aſſecutus, concrederentur chartis; mox de manu in manum deſcribendo irent, colligerenturque in unum, accidit, ut anno ſequente LI. incideret quoque in ea Sebaſtianus Schefferus, qui tum in hac Julia noſtra ſtudiis operam juvenis dabat. Is ergo, vel præſtantia operis ſponte ductus, vel aliorum ſvaſu; conſilium cepit, hæc ita in unum contracta publicæ luci, & more in Academiis recepto, examini commilitonum, in exercitationem ingenii, exponere. Cum autem, ut ſolemus, liberius hæc eſſent & vulgari modo prolata, primum in iis diſponendis, & ubi opus erat expoliendis, inſignis atque eruditi Medici, Johannis Henrici Vogleri, cujus hoſpitio frui concedebatur, opere uſus eſt, dein ipſi obtulit auctori; qui ultimam manum admovit, ſicque tandem, additis plurimis, eodem anno, Menſe

 Aprili

Aprili in lucem edita eſt hæc noſtra Introductio. Ex illo tempore, cum brevi, aviditate emptorum, tabernæ literariæ exhaurirentur, ut vix ulla ejus exempla amplius proſtarent, ſæpius in animo habuit Amplisſimus Vir, alteram editionem adornare: id quod publice etiam promiſit aliquoties. At vero ita negotiis tum politicis atque aulicis magis magisque implicitus fuit, ut primum his vacare amplius non poſſet, deinde etiam plane rem medicam omittere, ipſique tantum non ultimum valedicere cogeretur. Quare factum eſt, ut tandem, anteqvam ſtilum ſtringeret perficiendo operi, mortalium huic cœtui eriperetur. Poſt cujus mortem, aliqvoties quidem typographus noſter Academicus, me conveniens, rogavit, ut additis quæ neceſſum erat, recudendi præſtans & deſideratiſſimum opusculum ipſi copiam facerem. Ego vero, etſi juſtisſimum eſſe, quod petebat, & è re juventutis quam maxime, abunde perſpicerem, recuſavi tamen ac tergiverſatus ſum non ſemel, qvod tanto negotio imparem me eſſe ſatis agnoſcerem: Tandem tamen vicit pudorem meum publico bono utilitatique inſerviendi ſtudium, ut aliqva ſaltem ex parte & quantum liceret, prodeſſe, qvam obeſſe ulteriore procraſtinatione illi maluerim. Interim, cum mul-

multum jam operæ ac diligentiæ in recensendis plerisque auctoribus recentibus consumsissem, & dimidiam partem & ultra absolvissem prope, ecce, animum securum nec opinantis primum nuncium perculit, eundem Sebastianum Schefferum, jam Practicum Francofurtensem percelebrem, eum tractatum alii excudendum, stato pretio, tradidisse. Miratus primum apud me fui, insciis atqve invitis hæredibus Conringianis id eum moliri, mox autem plane obstupui, ubi per eundem Bibliopolam suum hortari me jussit, desisterem ab opere, neque enim se alium præter se ipsum, ejus auctorem agnoscere. Non potui qvin paratam hanc optimo viro injuriam gravius ferrem, &, id ne fieret, pro virili obsisterem: qvippe cum non tantum ex publicis ejus lectionibus concinnatum esse id operis, ipse titulus præ se ferret, nulla ibi Schefferiani laboris facta mentione, sed & res illa uti gesta erat, nec Schefferum, sed ipsum clarissimum Voglerum, colligendi & in ordinem redigendi laborem contulisse, publice in hac Academia esset notum. Sed hanc controversiam litemqve qvæ omnes sopit, pallida mors composuit, subito Scheffero fatis cedente. Ne jam igitur in boni alias viri manes qvicqvam gravius ex me audire qvisqvam expectet: non potui tamen hæc silentio involvere, ut forte imposterum ea de re cui du-

bium

bium superesset, sed rem omnem, uti accidit, bona fide volui referre. Certe de auctore libri dubitare nos non sinit incomparabilis quæ ubique hic comparet eruditio, deinde & ipsa argumenti sublimitas, cui neminem, præter unum Conringium, parem fuisse tum temporis, existimo; omnium vero minime juvenem, haut ita pridem arti initiatum. Ipse præterea pro suo semper habuit, & in catalogo lectionum hyemalium Anni M DC LXXVII. his verbis sibi vendicavit.

Hermannus Conringius, si per valetudinem minus prosperam licuerit, id quod nuper promisit, reapse præstabit, SUA IN MEDICAM ARTEM INTRODUCTIONE *in usum studiorum expolienda & illustranda.* Quin & ipsemet doctissimus Voglerus in eruditissima sua introductione universali in notitiam bonorum scriptorum capite octavo sic inqvit: *Præcipui demum qui in unaquaque artis parte, illustranda aliquid præstiterunt, scriptores laudantur in* χαριεστάτῳ *CONRINGII NOSTRI INTRODUCTIONE IN ARTEM MEDICAM cap. IV. & sequentibus:* Atque hæc de ipso eximio illo Conringiano Opere dicta sunto.

Qvod jam nostram qualemcunque opellam attinet; eam efflagitabat ipsum Doctissimi viri institutum, qvo studiosæ pubi notitiam rerum in Medicina occurrentium atque auctorum optimorum

morum ſuppeditare breviter & ſuccincte, animum induxerat. Imperfectum igitur hoc opus prodiiſſet omnino, niſi recentiorum fuiſſet & facta iſthæc acceſſio. Fatemur tamen, ulterius nos non raro auſos procedere, & de rebus ipſis interpoſuiſſe ſententiam noſtram, quod nonnunquam rectius rem penſitaſſe videremur: quæ tamen omnia doctiorum & magis exercitatorum ſubmittimus cenſuræ. De auctoribus ipſis libere & ſine fuco diximus ſententiam, veſtigia prementes auctoris ipſius, impari licet conatu. Non igitur eſt qvod qvisqvam exiſtimet ex petulantia hoc factum, aut qvod nimium nobis ipſis tribuamus, atqve in alios ſumamus imperium, ſed qvia res ipſa hoc nos poſtulabat, & commodum concreditæ nobis juventutis. Neqve me latet, fore qui ægre id laturi ſint, tum qvod eos qvi ipſis magni fiunt, rigidius tractaverim, tum quod à more hodierna ſcriptionis recedens, non omnes æque laudibus cumulaverim: nam ſic vivitur nunc, ut adverſus nemini qui ſit, is demum vitæ rationem recte ſupputaſſe videatur, cum obſequium amicos, veritas odium pariat. Verum iſtos rogatos volo, ut mihi liceat pauliſper ab ipſis diſſentire: Nam qui ita vitam inſtituunt, ſibi quidem bene conſulunt, male vero aliis, de quibus forte ra-

tionem reddere tenentur. Cogitent quæso, me Professoris munere fungi, neque jam integrum mihi esse silere, aut dissimulare quicquam, nisi ingens in artis cultores quibus hæc scribuntur maxime, peccatum admittere liberum mihi putem; idque non honesta aliqua ratione ductus, sed mera adulatione & intempestivo metu, qualis cordatum virum dedecet. Contestor interim sancte atque ut credant obtestor iterato omnes, nullo criticam exercendi prurigine, nec in qvenqvam infenso animo mihi hic dictum quicquam, sed sine ira ac studio, quantum mihi liquidum fuit, ingenue exposuisse. Si qvid gravius in unum aut alterum dictum videtur, fortassis ita exigebat rerum conditio: quid quod nihil hic in recentes, quod non longe acrius in veteres & optimos auctores fuerit effusum: Liceat igitur vel semel etiam in recentiores non nihil animadvertere. Denique si à me latum in multis judicium non arrideat, iniquum esse cogitent, mihi ob illam causam irasci, cum fieri non possit, ut in tanto omnium dissensu tantaque fingendi quidlibet non libertate sed licentia, cuiquam cum altero amplius conveniat. Diversis enim principiis innutritis nihil familiarius est quam de Principiorum auctoribus

busaut explicatoribus diſſentire. Neque tamen perinde eſt, cui adhæreas: una enim eſt veritatis via, à qua quisquis aberraverit, non ad Philoſophiæ duntaxat tribunal, ſed ad Jatriæ etiam, cauſam dicere tenebitur, ubi non de Lana caprina, ſed de humano corio reſpondendum erit. Videat igitur qvisqve, quem ſibi ducem ſeligat: & ut posſit cernere, nec ut cœcus ad colores accedat, oculum Philoſophiæ afferat ſecum ad limen artis, Analyticam. Hic enim Lapis Lydius eſt, qui aurum obryzum à reliquis metallis ſecernit. Non ignoro quam vile hoc nomen ſit plerisque, quia in Ariſtotele extat, verum iſtos ne hili quidem facio, certus eos nunquam auream illam ſcientiam habuiſſe perſpectam: Rogo autem vos, O noſtri, imo omnes qui veritatem amatis, & per quicquid vobis ſanctum ac carum, oro quæſoque, ne aurem præbeatis iſtis inſulſis deriſoribus, qui dum unicum ad ſcientias recte perveniendi inſtrumentum damnant, ſuam produnt inſcitiam, quam ne cogantur fateri, ſpernunt quod non intelligunt. Sic veſtris ſtudiis atque conatibus, ſic meditationibus quoque ac commentationibus aliquando benedicat ſupremus veritatis auctor, omnemque errorem,

qvi à diabolo eſt, à vobis arceat: Ille nunc mendacii pater videtur Analyticam excuſſam velle ex omnium manibus, quo ſub ſpecie ſapientiæ, ut olim, miſeros mortalium fallat, & veſte indutus angeli lucis, ut facit, ad Atheismum facilius & ſecurius, indeque in regnum tenebrarum cœcutientes perducat.

Verum relictis his, id quod reſtat mihi peragendum, jam exſequar. Adjunximus huic Conringiano commentario alia valde tamen ab eodem aliena: certe talia, ut ad notitiam artis & ſtudiorum rationem recte ineundam haut conferant parum, inducti inſigni utilitate quam diſcentes capere ex his posſint, ſi habeant in uno volumine & quaſi præ oculis, qvicqvid Germania noſtra, Italia, Belgium & denique Dania ejus generis enixæ ſint. Sed & qvia vidimus, tria priora repertu eſſe difficillima & admodum rara: Nam quartum à ſummo viro & πολυμαθεστάτῳ Joh. Andrea Boſio, ſeculi ornamento & miraculo nobis olim communicatum, nunc primum edimus. Cernere qvoqve ipſis erit; hæc ad invicem conferentibus, & plane perſpicere, haut vane à Conringio hic tam amplum artis aperiri theatrum, vereqve Hippocratem pronun-

nunciasse: ἡ δὲ τέχνη μακρή, ubi videbunt, variæ ætatis, regionis, & ingenii medicos, ordine tamen ubiqve primos, exacte adeo & tanquam ex condicto agerent, inter se conspirare.

Sed qvia hic audio? Obsoleta hæc sunt, olim fieri solita apud seculum prius: Nunc breviorem viam à recentibus repertam seqvi licet. Audi igitur Tu vicissim, mi Tyro: jamdudum etiam Thessalus illam cantilenam cecinit, & applausum obtinuit: verum Galenus illum Asinum solebat appellare. Tu igitur seqvere atqve elige ex his, cui velis adjungi, aut si me audis potius, fide, sed cui, vide. Non sunt negligenda recentia, sed minime rem absolvunt: Veteribus conjungenda, non his neglectis, sola amplectenda sunt. Dies diem docet, nec ulli nato post mille secula præcludetur occasio aliquid adhuc adjiciendi; An propterea damnanda & tua hæc, neque potius aucta quam destructa novis accessionibus putabis?

Denique audi iterum, & sit argumento tibi hoc: Si cui vetera illa sordeant, sique nullius pretii

 esse,

esse, tibi velit persuasum, securus esto ipsum ea non legisse: ego spondeo. Cœcus igitur cœcum ducit: Ecqvis eorum in foveam incidet, dicit meus Castellus: Uterque vestrum, an potius æger? Tute ipse dijudica hoc dilemma, vale, & bene rem gere!

Catalogus eorum

quæ in Hoc opere continentur.

IN-

INDEX CAPITUM

INTRODUCTIONIS CONRINGIANÆ.

ΣYN

ΣΥΝ ΘΕΩ.

HERMANNI CONRINGII INTRODVCTIO IN ARTEM MEDICAM.

CAPUT I.

DE

NATVRA ET CONSTITVTIONE ARTIS MEDICÆ.

THESIS I.

Uod in alio omni diſciplinarum genere recte addiſcendo obſervandum, idem illi, qui Medicæ arti operam daturus eſt, ante omnia probe tenendum venit. Duo ſcilicet, antequam ipſum ſtudium aggrediatur, ſecum afferat neceſſum eſt; tum magiſtrorum, qui ſcientiam illam excoluerunt, tum, & cumprimis quidem, ipſiusmet artis omniumque eorum, quæ quovis modo ad eam ſpectant, προπαιδείας, juſtam accuratamque cognitionem. Sunt enim hæc tanto majoris profecto momenti, quanto plus cum ſummo ſtudiorum detrimento vulgo negligi ſolent atque in ſuper haberi. Utrumque vero non poſſe non requiri patet, utpote quum alterutra notitia deſtitutus nec quomodo diſciplinam aggredi debeat, quive ſive imitandi ſive fugiendi ſint, ſcire poſſit; neque cum fructu unquam progreſſus ſit facturus in illa di-

ſciplina, cujus naturam minus perſpectam habet exploratamque, ſed in ipſo ſtatim limine turpiter offendens, omnem operam & ſtudium egregie ſit perditurus.

II. Antequam vero ipſam de arte noſtra recte addiſcenda doctrinam aggrediamur, verbo tantum hic notamus, vocem ipſam *Medicinæ* tripliciter uſurpari. Vel enim ipſam artem, vel medicamentum, vel officinam pharmaceuticam (raro tamen) denotat: quamvis proprie loquendo *propter languentes inventa ſit, & nomen inde habeat*, ceu autori, ſive is Hippocrates, ſive quis alius demum fuerit, libri de priſca Medicina ſcriptum eſt. Quin ipſam Latinam vocem Græcæ eſſe originis, exiſtimat *lib. II. variar. obſerv. cap. 15. Marſilius Cagnatus*, vir profecto πολυμαθέστατος & inter χαρμεστάτους non poſtremo loco numerandus: de quo unicuique liberam judicandi poteſtatem relinquimus; profitemur tamen interim, hanc nominis rationem nobis magis placere præ illorum opinione, qui ſive à *medio* ſive *modo* appellationem arceſſunt, quum tales originationes (in quibus tamen nonnulli tantum non omnem rei cardinem collocatum putant) ſæpe vix alicujus ſint momenti, haud raro etiam illis nominibus (ne dicam rebus ipſis) non ſatis conveniant: de quo alibi.

III. Cæterum magis ex re fuerit, ſi ad naturam ipſius diſciplinæ Medicæ nos proprius convertamus. Et vero diſpiciendum hic ſtatim venit, num inter πρακτικὰς an ποιητικὰς numeranda ſit. Scilicet quum aliquid efficere doceat, unde τέχνη ſive ars merito ſuo audit, inter ποιητικὰς eam referendam eſſe, ſi accurate & ad mentem Philoſophorum loqui velimus, non poteſt negari. Quum enim πράξεις proprie tantum illæ operationes à Philoſophis appellentur, quæ homini in quantum eſt homo propriæ

ſunt

sunt, adeoque unice pertinent ad humanam felicitatem, ποιήσεις vero, quæ non ita sunt propriæ, sed inferioris cujusdam ordinis, unde etiam ab Aristotele semper distinguuntur, ad posteriorem classem eam pertinere patet. Ideoque minus recte in practicis vulgo recensetur: quanquam etiam vetusti temporis scriptores, non observatis Philosophorum loquendi legibus, hæc sæpe soleant confundere. Licet vero practica non sit, accepto praxeos vocabulo secundum Aristotelem; practicis tamen disciplinis admodum vicina est, utpote quum opus Medico propositum tale sit, quo vita humana valde indiget, adeoque sine quo non potest esse beata. Propterea *immortalis Scherbius* (quem inter Germaniæ nostræ Philosophos vix parem habuisse non injuria dixeris) *dicere solebat*; *Medicina aut est prudentia, aut certe non sine prudentia*: quod de præceptore suo gratissimus discipulus *Casper Hoffmannus* refert *lib. 1. Instit. Medic. 1. §. 2.* Præsertim quum practicæ disciplinæ communi Prudentiæ nomine à Philosophis insigniantur. Nequaquam enim audiendi sunt, qui discrimine facto, Medicinam aliam Theoreticam, aliam Practicam faciunt, nisi improprie loqui velimus: Nec repugnat tamen, dari Medicam proprie dictam scientiam, utpote causas rerum exponere scientiæ est. Unus enim idemque mentis habitus & scientia & ars esse potest, observato tantum diverso respectu: scientia scilicet, si tantum respicias ad cognitionem: ars vero, si referas eadem θεωρήματα ad τὴν ποίησιν. Patet vero insimul ex his, Medicinam partem Philosophiæ minime esse, utpote quum illa ad intellectus humani felicitatem per se nihil conferat, qualem cognitionem Philosophiæ nomine veteribus venisse, jam tum notatum est *Introduct. in natural. Philos. c. 1. th. ult.*

IV. Videndum jam porro circa quod ſubjectum Medicina proprie occupata ſit, quemque finem ſibi propoſitum habeat. Inde enim deinceps patebit quomodo ex ſcopo ſingulæ partes medicinæ manifeſto poſſint deduci. In confeſſo autem eſt, eam tantum circa corpus humanum verſari: Nam de animantium reliquorum ſanitate vel morbis agere, neque artis neque inſtituti noſtri eſt. Quanquam enim hæc ars, Mulomedicina appellata, in multis cum noſtra proprie dicta medicina conveniat, quamque propterea ad illam pertinere, adeoque unam eandemque cum illa artem conſtituere, ſingulari libro oſtendere ſit conatus *doctiſſimus Johannes Philippus ab Ingraſſia*, utramque etiam profeſſus, quemque multi ex recentioribus ſequuntur; revera tamen magnam inter noſtram & veterinariam illam medicinam differentiam intercedere, inde probatur, quod operationes hominis longe diverſæ ſint à brutorum operationibus, & propter has ipſæ corporis partes, unde etiam ſanitatis & curandi rationem utrobique non poſſe non diſtinctam eſſe liquet.

V. Itaque corpus humanum tantum pro objecto Medicina habet. Cæterum duplex corporis humani cognitio datur, alia enim ſani eſt, morbidi alia. Utraque autem Medico neceſſaria eſt, quum neque morbum pellere, neque etiam præcavere posſit, niſi rationem ſanitatis probe calleat, quemadmodum egregie illud ipſum *Galenus* noſter tum alibi tum *libro I. de ſanit. tuend. c. I.* monet. Hinc duplex ſtatim doctrina occurrit, φυσιολογικὴ altera, παθολογικὴ altera. Et quidem in Phyſiologicis quum omnia in illa exponantur, quæ ad ſanitatem corporis noſtri pertinent, adeoque in quonam illa conſiſtat; hæc autem nihil aliud ſit atque conſtitutio partium omnium viven-

tium

tium secundum naturam actiones primo conservans; sicuti recte ex *Galeno lib. 1. de sanit. tuend. cap.* 5. definiri potest: sequitur omnino illum qui ad sanitatis cognitionem adspirat, primo quamlibet partem humani corporis, deinde singularum naturalem actionem & usum debere tenere. Ad constitutionem autem singularum partium primo & potissimum pertinet temperamentum ejus, deinde composi-
* tio, tum magnitudo, & demum justa figura. Temperamentum porro quum quatuor primæ qualitates tactiles convenienti modo inter sese mixtæ constituant, hæ autem primo & proxime in primis corporibus simplicibus (elemeantis vulgo nuncupatis) deprehendantur, & horum quoque naturam cognitam habere debet is, qui singularum partium naturam perdiscere cupit. Nimirum tum demum videre poterit, recte à Galeno nostro fuisse scriptum, *similarium; quas vocant, partium sanitatem, calidi, frigidi, humidi & sicci symmetriam; id est convenientiam inter se quandam esse.* l. 1. de sanit. tuend. cap. I.

VI. Natura partis jam cognita, proximum est uti usum quoque ejus & actionem, quam præstare debet, quamque propter ceu finem condita est, non ignoret. Quum enim corpus nostrum organicum sit, quælibet ejus pars actionem exerceat oportet; quoniam frustra alias creata esset, quod principiis rectæ rationis repugnat. Prout autem actiones earundem variant, & vice versa. Porro aliæ actiones quasi propriæ sunt & speciales, aliæ vero communes; aliæ similiarium etiam partium, aliæ compositarum. Et harum
* & illarum naturam scitu necessariam esse, & per se clarum est & bene etiam *Galeno* notatum *lib. de Med. art. constit. cap. IV. & V.*

VII. Sicuti autem actiones suas corporis nostri

partes obire non possunt, nisi ab Anima regantur & imperentur, ita de hujus natura dispicere, num ad Medicum proprie pertineat, controvertitur. Ipse certe Galenus, quo tamen ad artem tum condendam tum exornandam nemo plus contulit, in facienda præterea peritissimus, essentiam animæ sese ignorare, ingenue passim fatetur; quanquam alicubi cum temperamento, interdum cum ipso calidó nostro innato unum idemque eam faciat: quemadmodum egregie *Franciscus Vallesius, vir profecto liberrimi ingenii, lib. II. controvers. cap. 4.* notavit. Et vero fatendum est naturam animæ, ut talis, Medico cognitu necessariam non esse, utpote quum ea ignorata nihilominus opus suum optime possit exercere. Ideoque omnino recte pronunciasse τόν χαριέστατον *Hoffmannum* nostrum cum alibi tum *lib. II. Instit. Medic. cap. 151. §. 11.* existimamus: *Medico, quà Medicus, ignota est Anima.*

IIX. Circa hæc omnia itaque, quæ hactenus recensuimus, doctrina illa occupatur, quam Φυσιολογικὴν merito nuncupari liquet, quandoquidem naturam tum partium, tum singulorum ex quibus illæ constant, exponit. Hanc excipit altera, quæ circa affectus corporis nostri adeoque sanitatis contrarium versatur, παθολογικὴ inde appellata. Quemadmodum autem prior omnem latitudinem partium omnium & singularum, earundemque naturalem constitutionem occupat, ad eundem modum hæc posterior, in quonam morbus utpote sanitatis oppositum consistat, omnemque ejus varietatem tradit. Etenim quum partes diversæ inter se sint naturæ, etiam vitia, quibus illæ obnoxiæ sunt, variare necessum est. Quæcunque igitur corpori quocunque modo præter naturam accidunt, ad hanc doctrinam omnia referenda sunt.

IX. Quod

IX. Quod si autem doctrina morborum ad cognitionem Medicinæ pertinet, non potest non etiam illuc spectare doctrina quæ nos in notitiam morborum quasi manu deducit. Sicuti enim sanitatem tum universi corporis, tum singularum ejus, internarum cumprimis partium, ex certis notis deprehendimus; ita, num morbo laborent, & à statu suo naturali recesserint, itidem ex signis suis licet colligere: unde etiam σημειωτικῆς appellatio illi hæsit.

X. Porro quum constet scopum Medicinæ esse vel sanitatem integram conservare, vel eandem collapsam restituere in integrum, utique apparet omnia illa quæcunque ad sanitatem sive integram conservandam sive amissam restituendam faciunt, Medico exacte nota esse debere. Huc autem primum & potissimum Diætetica pertinet, quæ medico ante omnia accurate cognita esse debet; Quin fieri non potest, ut ad artem facientia recte & debito modo præstare possit, διαιτητικῆς notitia destitutus. Scilicet in una victus ratione tantum ponderis est collocatum, ut sæpe ea recte observata, absque medicamentorum usu valetudo recuperari queat. Hinc sane videmus, non raro incipientem febriculam, sola abstinentia posse tolli: dum enim corpus nova sive cibi sive potus ingestione non oneratur, calor nativus vires exerens, quod vitiosi humoris jam collectum erat, facile subigere & concoquere potest. Frustra autem è contrario etiam præsentissima præstantissimaque medicamenta usurpaveris, sola hac victus ratione neglecta. Quod sane usque adeo est verum, ut huc potissimum quadret illud: *multitudinem Medicorum arguere intemperantiam hominum.* Quod quidem verbum ex Platonis quodam loco, perperam tamen intel-

intellecto (de quo *Marsilius Magnatus* adeundus *lib. 1. variar. observat. 21.*) originem sumpsisse videtur. Quod si vero διαιτητικῆς notitia medico adeo necessaria est, etiam Alimentorum doctrina ipsi probe tenenda erit. Quum vero horum duplex sit genus, alterum naturale, artificiale alterum, qualis ex gr. cerevisia, familiaris ille potus noster est, utrumque Medicus in promptu habere debet.

XI. Jam quoniam Medico non solum propositum est sanitatem conservare, verum etiam illam amissam in integrum restituere; necessum porro est, ut Methodum medendi sive curandorum morborum doctrinam calleat, & quidem non perfunctorie. Etenim quum in morbo aliquo profligando varia in considerationem veniant, utique certa quadam via & modo omnia administrari oportet, ne scil. vel intempestive aliquid moveas, vel quod primo loco aggredi debebas, in ultimum locum conjicias; quorum utrumque non potest non cum maximo ægrorum damno esse conjunctum. In his autem quo recte te geras, Methodus medendi docet. *Methodo* enim *quippiam inquirere invenireque, est* nihil aliud, atque cum *via quadam, & ordine ita* procedere, *ut in disquisitione aliquid primum sit, aliquid secundum, & tertium, & quartum, atque ita de reliquis omnibus deinceps, quo ad ipsum, quod ab initio est propositum, sit perventum:* quemadmodum illud describit Galenus noster. Quandoquidem vero semper ab universalibus nobis incipiendum & inde porro ad specialia magis magisque est progrediendum; etiam methodum medendi in genere primum, tum quomodo in particularibus eadem sese habeat, Medicus novisse debet.

lib. I. meth. med. c. 4.

XII. Quoniam autem curatio per medicamenta magna

magna ex parte inſtituitur, horum vero alia præparatione indigent, alia vero non; ideo utriusque accuratam notitiam adferre debet. Et primo quidem ſimplicium medicamentorum cognitio ſummopere ipſi neceſſaria eſt, quum nulla commode inter ſeſe miſcere poſſit nihilque componere horum ſcientia deſtitutus; immo quo magis exploratas naturas facultatesque ſimplicium habuerit, eo majori cum fructu compoſitis uti poterit. Quoniam autem ſolis his ſimplicibus finem ſuum ſemper obtinere Medicus nequit, & propterea ad compoſita deveniendum ipſi eſt; hinc omnino illi ſcire etiam hoc opus eſt, quomodo talis præparatio peragi debeat. Quamvis enim Medicus ipſe medicamenta ſemper non componat, adeoque manus non adhibeat; attamen ſcientiam artis præparandi omnino habere debet, tum ut pharmacopœis modum præparandi præſcribere poſſit, præſertim ſi nova medicamenta componenda veniant, tum ut ipſorum opera eo rectius inſpicere deque iis judicare queat. Apud veteres ſane Medici ipſi ſuamet manu omnia medicamenta præpararunt, chirurgiam exercuerunt, vulnera curarunt, emplaſtra adhibuerunt, &, ut verbo dicamus, ſingula artis opera peregerunt; qui mos etiam hodieque in terris orientalibus obtinet, quidque ipſe Galenus præſtitit, utut poſtea ſuos miniſtros etiam habuerit: hodie tamen munera illa diſtincta ſunt, neque neceſſum eſt, immo fieri non poteſt, uti Medicus ipſe omnia manu ſua conficiat. Neque tamen reprehendi merentur illi, qui ipſimet laboribus iſtis defungi volunt, licet ex opinione vulgi in dedecus nunc id abierit: quin potius laude afficiendos exiſtimamus. Quum enim hodie eo rem rediiſſe videamus, ut præſtantiſſimum etiam medicamentum, ubi

in vulgi notitiam devenerit, ſtatim ſoleat obvileſcere; quis vitio vertet bono Medico, ſi in uno & altero induſtriam ſuam exercere velit? Ideoque non poſſumus improbare ſententiam *Brunonis Seidelii*, viri eruditione juxta ac pietate eximii, *lib. de morbis incurabilibus*
Pag. 56. ita ſcribentis. *Non negarim à bono & laboribus aſſueto Medico etiam præſtari poſſe utrumque, vel ſaltem, quin aliqua ſingularia & eximia remedia præparet ipſe, quod absque de-*
Pag. 53. & ſeq. *trimento aliarum rerum neceſſarium facere poſſit.* Quod eodem eleganti opere recte exponit cauſas, quare quove conſilio inſtitutum ſit, uti *præparatio medicamentorum ab ipſa arte Medicinæ disjuncta fuerit ac ſeorſum pharmacopæis com-*
Pag. 293. & 294. *miſſa.* Quibus omnino adjungenda ſunt, quæ de eodem inſtituto *libro de Hermet. Medic. II. cap. IIX. diſſeruntur.*

XIII. Hæc eſt illa ars φαρμακευτική, proprie & præcipue ita dicta, quæ priſcum præparandi medicamenta modum obſervat. Nova enim illa præparandi ratio, quam Paracelſiſtæ vulgo profitentur, Chemica appellari ſolet. Quanquam enim olim vocabulum illud μεταλλουργικὴν tantum artem deſignarit, hodie tamen rationem etiam præparandi medicamenta denotat. Nam illi, qui doctrinæ Metallurgicæ ſtudium dederunt, etiam aliis medicamentis, quæ Chemica inde appellantur, conficiendis operam navarunt: quemadmodum hoc fuſe docetur libro de Hermetica Medicina. Nequaquam ſcilicet hæc ars eſt contemnenda, licet illi qui vulgo eam profitentur, ipſam artem raro teneant, ſola ἐμπειρίᾳ & uſu vulgari inſtructi. Ipſe ſane *Thomas Eraſtus*, vir utique & acri judicio & ſingulari doctrina, Paracelſum abſurdaque & impia ejus dogmata refutaturus, *ſtudium tamen & diligentiam*

gentiam, quam in præparatione medicamentorum certorum adhibuit, nequaquam reprehendendam, sed vehementer commendandam existimat. *Laude* insuper *sua eum frustratum non velle, dum artem præparandi & distillandi quasi revocare ad usum conatus fuerit.* Recte tamen idem præclarissimi ingenii vir subjungit: *In præsentia hoc solum te monere voluimus, nos remediorum artificiosam præparationem non solum non damnare, sed vehementer laudare & prædicare: modo & naturæ corporum nostrorum non adversentur nimium, & recta veraque methodo usurpentur.* Quod peregregium monitum ubivis observandum volumus.

Præfat. ad lect. disputat. Antiparacelf.

XIV. Par ratio est Chirurgicæ. Scilicet quum Medico integra humani corporis sanitas sive conservanda sive restituenda proposita sit; utique ab illo requiritur, ut non unius tantum partis, sed omnino omnium cognitionem ad curationem recte instituendam habeat: a qua Chirurgica separari recte non potest. Fieri quidem potest, ut unius saltem partis curationem aliquis sciat; quo modo Herodotus in Euterpe & Galenus variis in locis scribunt, in Ægypto sua ætate diversas in partes artem Medicam discerptam fuisse: alios enim circa capitis notitiam, alios circa oculorum, circa dentium alios, circa alvi vicinarumque partium alios, circa morbos occultos alios versatos fuisse; hincque factum ut singulorum morborum singuli fuerint Medici, itaque omnia Medicis fuisse referta. Tales sunt hodie ophthalmici & illi qui vel tantum circa luxationes, vel ulcera, vel quodcunque demum aliud corporis nostri vitium vulgo occupantur: homines ut plurimum nulla reliquarum artis partium peritia, nulla elegantiore doctrina, nulla per-

ſonæ dignitate inſtructi, ſed βάναυσοι & è fece Romuli. Fatemur etiam ab Arabum temporibus Chirurgicæ ſtudium à Medica arte proprie dicta ſeparatum fuiſſe & diviſum: unde etiam eſt, quod illos, qui Medici titulo laudantur, & artem cum dignitate faciunt, rarius videamus Chirurgica didiciſſe, ſed potius ſæpenumero ea contemnere atque deſpicere. Quicquid vero ſit; & quicquid nobis hac in parte alii contradicant, revera ille, qui artem Medicam profitetur, quique adeo perfectus Medicus audire cupit, neceſſum habet omnes ejus partes tenere. Chirurgicæ itaque peritia omnino in eo requiritur: quamvis non ſit opus, ut ipſemet manum ſuam admoveat, quum hoc per alios æque poſſit præſtare. Plane quemadmodum peritus architectus pleraque per miniſtros expedire ſolet, ipſe vero opera raro attingit, quod ipſum etiam docetur præfatione in libellos Chirurgicos Thomæ Fieni. In quam rem non poſſumus, quin ex χαριεστάτῳ *Hoffmanno* noſtro hic quædam adducamus *ex lib. V. Inſtitut. Medic. cap. ult.* §. 4. Locum integrum adſcribemus, quod illa, quæ modo à nobis expoſita ſunt, mirifice confirmet. *Quicquid ſit*, inquit, *ut olim indiviſa erant opera Medici: ita hodie quibusdam locis omnia ſunt rejecta in Chirurgos dictos, quibusdam quædam tantùm, quibusdam alii faciunt, alii non. Galenus Romæ ipſe ſecabat venam, vulnera obligabat, fracturas dirigebat, quod Æſculapium ipſum cum filiis, totaque poſteritate usque ad Hippocratem feciſſe conſtat. Aquapendens Patavii per miniſtrum quidem ſecabat venam, ſed ipſe obligabat vulnera & abſceſſus, dirigebat oſſa. Saxonia nihil horum faciebat, ſed erat architecton, ut noſtris quoque moribus eſt. Quamobrem meum initiandum* ut *non juſſerim*

rim se huc dimittere, ut χειρονακτικὸν quid moliatur: ita velim Chirurgis nostris familiarem esse, ut possit judicare de operibus illorum. Hæc ita non minus eleganter quam vere Hoffmannus noster.

XV. His itaque ad eum modum se habentibus, clarius tamen adhuc exponendum est, quomodo singulæ hactenus enarratæ artis partes sese habeant, numque ex æquo omnes naturam finemque artis respiciant. Quamvis enim singulæ ita comparatæ sint, ut nullius cognitio desiderari possit in illo, qui titulum Medici recte sustinere velit; nihilo tamen minus discrimen quoddam eas intercedit. Et quidem commode in duas quasi partes possunt dispesci, θεωρητικωτέρων alteram, alteram ποιητικωτέρων: quas cum vulgo liceat nunc appellare Theoricam & Practicam. Etenim quum nec de sanitate nec de morbis doctrinæ aliquid agere doceant, nudam tantum objecti sui naturam exponentes, utique practicæ sive ποιητικαὶ proprie & ex se vocari neutiquam merentur, sed per se spectatæ optimo Jure in contemplativarum scientiarum classem referuntur. Revera itaque tum φυσιολογικὴ tum παθολογικὴ, cujus portio σημειωτικὴ est, portiones sunt Naturalis Philosophiæ, & ab ea quasi mutuo petuntur in usum Artis Medicæ. E contrario vero quicquid praxin proprie respicit, atque ex se suaque natura πρακτικὸν est, (utor autem jam voce πράξεως ex communi usu;) illud etiam omne proprie & intime ad artem ipsam spectare, liquet. Potest autem omne hoc in duas partes dividi, προφυλακτικὴν scilicet & θεραπευτικὴν: quamvis & hæc προφυλακτικὴν omnem soleat comprehendere. Hisce itaque duabus partibus tota Medicina stricte & in rigore ita nuncupata absolvitur; docente etiam *Galeno* nostro *libro 1. de sanitate tuenda capite 1.* Quanquam vero Theoricæ illæ partes do-

mesticæ Arti non sint, sed revera προπαιδευτικαί: necessariæ tamen propterea sunt, quoniam absque horum cognitione nunquam legitima Artis opera effici possunt.

XVI. Necessario itaque illa sunt addiscenda in arte Medica, quæcunque ad finem eius faciunt. *Quemadmodum* scilicet *scientiæ pendent à subjecto suo totæ, ut quicquid non attingit subjectum, alienum sit ab illa scientia; ita artes ab usu;* ceu recte alicubi scribit doctissimus Hoffmannus. In quam rem adducit Galeni præclara verba libro ad Thrasybulum cap. 28. ita scribentis τὰ οἰκεῖα τῶν τεχνῶν ἑκάστης θεωρήματα τὸ τέλος ὁρίζει καὶ κρίνει, & cap. seq. προσηκόντως ἀεὶ τὸ τέλος ὁ λόγος ἐξευρίσκει κανόνα τὸ καὶ κριτήριον ἁπάντων τῶν κατὰ τὰς τέχνας. Sunt autem hæc longe verissima. Ideoque justa animadversione idem Galenus noster Archigenem prosequitur, quod *in quæstionibus ad artem omnino supervacaneis versari consueverit;* ubi quæstiones ejusmodi ad Logicam pertinere asserit, quod etiam alibi non raro facit. *Quæcunque enim quæstiones usum* (artis) *transcendunt, qualis sit rerum natura secundum propriam essentiam indagantes, haud dubie Logicæ esse censentur;* sicuti eas libro III. de locis aff. cap. 1. describit. Quo sensu hæc appellatio fortassis apud alios scriptores non occurrit. Nuncupantur autem ita à Galeno, quia, uti in veteri Logica fiebat, de iis in utramque partem sine dispendio aut commodo artis Medicæ potest disputari. Et pertinet huc jure merito optimum illud monitum, quod Philippus Scherbius ipsi illi, quem modo laudavimus, Hoffmanno in Italiam discedenti viatici loco dedit: *Non immergeret se nimis profunde controversiis, quas vocamus, Theoreticis, sed exerceret se potius in Practicis, ibique laudem aliquam quæreret.*

Præfat. de usu cerebri.

lib. 1. de locis affectis cap. 1.

Præfat. ad lect. 1. de usu lienis.

XVII. Scilicet nihil horum negligendum eſt, quod ad ipſam Artem proprie ſpectat. Quæ autem illa ſint, ex ſuperioribus jam credo bene conſtabit. Quod ſi autem ulterius quis progredi poſſit, tantum profecto abeſt, ut præclaros conatus inhibendos cenſeamus, ut potius ſumma laude afficiendos & in majus promovendos eſſe omnino arbitremur. Tantum vires ingenii prius quis conſulat, nec alienis iſtis tempus impendat, niſi præcipua illa & neceſſaria ante perdidicerit. Neque vero exiſtimandum eſt, quæſtiones iſtas Logicas nullum plane uſum in facienda Arte afferre. Nimirum illa quæ aliena diximus, duplici modo ſeſe habere poſſunt. Quædam videlicet proprius ad ſcopum Medicinæ faciunt, quædam longius ab eo recedunt. Hinc illa quæ plane aliena ſunt, abeſſe ſine damno poſſunt; quæ vero non omnimode ab eo diſtant, poſſunt quidem abeſſe, non tamen absque omni noxa. Quod ipſum quomodo ὁ δαιμόνιος Hoffmannus noſter *præfatione in lib. de uſu lienis* exponat, audiamus. *At ſæpe, inquis, tantum proficis, quantum ſi equo des aureos frenos pro ferreis: Quorſum enim quæſtiones illæ Logicæ? Sæpe quidem ita eſt: at non ſemper. Sed & uti ita eſt, an non præſtat, verum defendere, falſum repudiare? ſumus enim Philoſopho-Medici. Tum vero ſi ex veris fundamentis Philoſophicis exſultent veræ, quas dicimus, indicationes: an non fateberis jam hoc eſſe Medicum commodum? Exemplo ſit hoc ipſum, quod agimus. Si neſcis in liene fieri coctionem aliquam: neſcis etiam lieni mederi. Quomodo enim reſtituere potes lieni actionem ſuam, ſi neſcis quæ ſit illa?* Certe illorum cognitio elegantiam Medico conciliare poteſt. Quales Ariſtoteli κομψοὶ & χαριέστατοι in fragmento libelli de ſanitate & morbo audiunt. Atque hæc ratio eſt, quare jam ab antiquo

antiquo præclarissimi Medici sibi ea etiam sumpserint explicanda, quæ tantum ad ornatum pertinent: Cujusmodi apud Galenum longe plurima occurrunt, ut de aliis nihil nunc dicam.

XIIX. Non solum hæc vero, quæ Medicinæ affinia sunt, ornatum Medico pariunt; sed præterea etiam quæ plane diversa sunt & nullo modo ad Artem faciunt. Cumprimis vero Civilis scientiæ notitia tantam gratiam Medico conciliare potest, quantam ex reliquis disciplinis pene nulla. Et quidem potissimum plurimum juvabit illos, quibus sive in aulis sive alias cum politis hominibus est versandum. Hinc sane sæpissime accidit, ut Medicus familiaritatibus illustrium virorum implicatus magnam existimationem civilium rerum notitia possit sibi acquirere. Certe nostris moribus, quibus præclara illa studia merito suo apud omnes in majori pretio sunt, atque compluribus retro seculis factum, nihil magis est conveniens. Non memorabimus autem jam, quam feliciter Medicorum nonnulli ipsa illa hæc studia tractaverint, quamque laudem inde reportaverint doctissimis in eo genere scriptis ad posteritatem transmissis. Certum autem est, quo plurium doctrinarum genere Medicus sit instructus, eo χαριέστερον illum evadere, atque εὐσχημονέστερον. Revera enim etiam hæc quæ modo recensuimus ad εὐσχημοσύνην Medicam pertinere omnino existimamus. Duas scilicet has voces unum denotare, persuasit nobis *Theodorus Zvingerus, Medicus, Philosophus, Polyhistor & Varro seculi nostri*, (quo elogio eum afficit diligentissimus *Schenckius in Bibliotheca Medica*) commentario in librum Hippocratis
Pag. 79. περὶ εὐσχημοσύνης; ubi inter multa alia ita loquitur. *Hodie certe Excellentiæ titulus Medicis Doctoribus tribuitur: olim vero*

vero χαρίεντες ἰατροὶ *dicebantur, ab ea gratia, quam apud homines ob eruditionem & virtutem, quibus artis peritiam & industriam veluti condiebant, promerebantur: & Aristoteles ipse passim* χαρίεντας *Medicos vocat, qui præter artis suæ peritiam literatura insuper reliqua & virtute non mediocriter sint tincti &c.*

XIX. Quum autem cum de omni alia re, tum de corpore humano duplex cognitio haberi possit, quarum altera imperfectior, altera vero plenior & magis perfecta est; & illa quidem in nuda tantum corporis partiumque ejus cognitione consistit, ista autem hac notitia non contenta singulorum caussas indagat atque exponit: priorem quidem ad Medicinam, posteriorem vero ad Naturalem Philosophiam spectare, certum est. Ratione non obscura: utpote quum sine perfecta corporis humani cognitione, quam Philosophicam diximus, Medicus opus suum exercere possit. Neque enim plena & perfecta cognitio alicujus subjecti in artifice requiritur: sed sufficit, si aliquam habeat, & quidem illam, quæ ad opus artis necessaria est. Plane quemadmodum aurifabro sufficit scire, an auum sit ductile, & an ex eo annulus confici possit: quare vero lentum illud sit & duci queat, caussam teneat necessum non est. Similis autem ratio est Medico circa humanum corpus versanti. Multa scilicet de humano corpore sciri possunt, nec tamen sequitur omnia illa ad artem Medicam pertinere, Medico enim satis est, si illa noverit, quæ ad finem suum spectant. Sunt autem hujusmodi, quæ Medicæ scholæ esse negamus, haud pauca. Ita verbi gratia de principiis corporis humani, an scilicet ex semine, an ex sanguine menstruo generetur; item an partes simul generentur nec ne, & quæ aliæ ha-

bentur de generatione corporis noſtri diſputationes, inſignes quidem ſunt, interim tamen nullum habent uſum Medicum; quoniam his omnibus ignoratis nihil ominus Medicus ſuo officio recte poteſt fungi. Similiter corpus noſtrum ex elementis conſtare, hæc ex materia prima, notum eſt; attamen naturam materiæ primæ ſcire, utut egregia ſit illa cognitio, in Medico non requiritur. Quin imo naturam materiæ primæ neque Hippocrates neque Galenus, neque, ut equidem arbitror, veterum Medicorum ullus habuit cognitam. Sunt vero Medico imprimis neceſſaria illa, in quibus tum ſanitas tum ægritudo cujuslibet partis conſiſtit. Quapropter illis qui Medico ſtudio plane ſeſe addicunt, etiam atque etiam ſuademus, ne alienis ſint occupati, anteaquam illa quæ proprie & præcipue ad artem faciunt, addidicerint; ſed iſta tam diu negligant, donec in illis ſeſe firmaverint, & plus otii fuerint nacti, ingeniumque ſuum exploraverint: quum in unaquaque diſciplina recte addiſcenda ad neceſſaria ante omnia animus appellendus veniat.

XX. Quanquam autem hactenus ſeſe extendat cognitio Medici, hique ſint ejus limites, non tamen ideo pauca ſunt quæ domeſtica illi ſunt & propria. Fatendum ſcilicet, eſt neminem hactenus ipſam Artem perfecte eſſe conſecutum, ne ipſum quidem Galenum, utut peritia ejus omnes vicerit. Nec tamen inde ſive ipſi arti ſive artificibus vitio hoc vertendum venit. Etenim multa requiruntur ad perfectionem alicujus diſciplinæ, neque fieri poteſt uti unus homo omnium notitiam ſibi comparare poſſit. Fuit quidem Galenus, fuerunt etiam & alii magni Medici, ad perfectionem tamen Artis eos perveniſſe, vel omni ex parte illa potuiſſe præſtare quæ ad Artem faciunt, non poſſumus affirmare. Enim vero uti reliquæ in univerſum diſciplinæ omnes, ita etiam Ars Medica ſen-

ca sensim magis magisque perficitur. Nimirum quum objectum etiam Artis multis vicissitudinibus sit obnoxium, identidem novi aliquid ad eam accedere necessum est. Multa præterea paulatim sunt inventa, quæ antiquos plane latuerunt. Itaque in multis quidem hodie longe magis perfecta est, quam erat Hippocratis ævo; nonnulla tamen etiam intercidisse, idque propter incuriam Medicorum, quodque tantam diligentiam, quanta Hippocrates usus fuit, adhibere noluerint, non possumus inficiari. Multa insuper adhuc latent in Arte nostra, quæ fortassis aliquanto in lucem dabit tempus. Quanquam vero ita cum Arte sese habeat, neutiquam tamen inde colligitur, plane non dari ipsam. Quemadmodum enim Naturalium rerum scientia, utut hodie valde perfecta sit, ad fastigium tamen suum nondum ascendit: nec tamen citra injuriam dixeris, nihil ejus hactenus investigatum esse: ad eundem plane modum, quamvis Medicina hactenus perfecta non sit, magnam tamen ejus portionem habemus. Tametsi igitur nemo hactenus perfectam Artis cognitionem acquisiverit, neminem tamen illam habuisse, ἀσυλλόγιστον est. Quandoquidem autem ita cum Medicina & Medico comparatum est, non potest Medicus semper morbum, quamvis curabilem tollere, adeoque scopo suo interdum excidit, quoniam non nisi multis cum impedimentis tam Artem ipsam addiscere, quam exercere eam contingit.

XXI. Hæc fere est natura Artis Medicæ, hæ ejus partes. Proximum jam erit de mediis, quibus illa cognitio comparari potest, discere. Et vero quum *quæ fidem iis faciant, quæ recte sunt inventa, duo sunt apud omnes homines instrumenta, nempe Ratio, & Experientia;* ut recte observavit *Galenus* noster *lib. 1. methodi medendi cap. 3.* etiam his in comparanda doctrina Medica utendum erit. Enimvero

 oppido

oppido falluntur, qui cum Empiricis ad Artem sola experientia pervenire nos posse putant, omnem rationem incertam esse argutantes. Namque licet fatendum sit, quandam ratiocinationem incertam esse; quandam tamen, eamque demonstrativam, aut fallere aut falli posse, est falsissimum. In quam rem præclare alicubi *Galenus* scribit, ita loquens: *Nam Medicos*, inquit, *qui solum experientiam sequuntur, non admittimus, quoniam & ipsi sicut vulgares faciunt, quæ vident inspicientes, rerum eventum quidem mirantur, sed eventus causam ignorant: quorum alii quia ne rerum quidem originem discere quærunt, sed ipsam rationem invenire negligunt, tantum quæ facta annotant, & sibi satis esse ad medicandum multoties visa dicunt, eodem, ut vides, modo, quo vulgares admirantur. Alii prædictis diligentiores, fatentur quidem oportere Medicos hisce de rebus reconditam magis quam vulgares habere cognitionem, sed cum ipsam invenire nequeant, inquirere supervacaneum existimant. Nos autem qui majorem illis curam arti Medicæ impendimus, & eventa solum vulgarium more inspicere nolumus, experientiam non rejicimus, sed experientiæ rationem quoties licet, conjungimus: atque ita necessario rationalem perfectamque Medicam artem habemus, nec ut solum inveniamus, quo pacto aliquid fiat, inventioni operam damus, sed ut aliquid ad medendum utile ex invento discamus.* Hæc Galenus: quæ utut aliquanto pluscula, totidem tamen verbis recitare voluimus, quod proposito nostro apprime conducant.

Lib. de theriaca ad Pison. c. 10.

XXII. Jam vero ut de Experientia prius dicamus, notum est non nisi sensu compertis illam constare. Sunt vero quæ sensibus deprehendimus singularia tantum, adeoque ad principium aliquod scientiæ vel artis constituendum per se inidonea. Neque enim ex re semel observata conclusio-

clusionem aliquam salvis analyticæ legibus formare potes. Qua in re multi peccant, dum unum medicamentum pluribus propinant, quum semel tantum ejus vim senserint. Nihilo tamen minus Experientia singularium observatione comparari nequit. Ideoque ex compluribus eventis notatis eam demum fieri oportet. Et vero nihil aliud *Experientia est*, atque *ejus, quod frequenter & eodem modo visum est, comprehensio atque memoria*: sive *ejus, quod sæpius & eodem modo visum est, observatio atque memoria*: quemadmodum bene eam lib. *de optima secta ad Thrasybulum cap. 11. Galenus* describit. Conveniunt autem hæc plane cum illis quæ de experientia *Aristoteles lib. 11. Analyt. Poster. cap. ult. & 1. Metaph. c. 1.* docet. *Idem vero est observatio & experientia*, ut recte notavit Galenus. Talis vero observatio utique nihil differt ab historica cognitione. Ideoque *idem est, sive experientiam sive historicam dixeris cognitionem*; ceu optime notatum *Introduct. in* Natural. *Philos. cap. 1. th. 25.* & *l. de Civili Prudentia c. 7.* & *Præfatione in Tacitum de Morib. Germanor.* Necessariam autem esse historiam ad perfectam alicujus rei cognitionem, usque adeo est manifestum, ut qui id in dubium vocaverit, non temere credam repertum iri. *Etenim sine ea scientiam profiteri tantundem est ac sine pennis volare: neque potest non referre tandem ludibrium, quisquis id ipsum tentare audet.* Quod jam dudum observavimus Laudatione Aristotelis priore.

XXIII. Neque tamen hic subsistendum est, sed experientia ulterius extendi debet. Notum autem porro est ex Analyticis, experientiam parere inductionem, inductionem vero principia demonstrandi: adeoque fundamenta conclusionum suppeditare. Similiter vero constat principiorum peculiarem esse habitum, Aristoteli Νοῦν sive Intellectum nuncupatum

cupatum

cupatum. Neque vero habitus hic principorum circa communissima tantum atque universalissima sive Metaphysia principia versatur, quod nonnullis est persuasum; alioqui necessario daretur habitus, qui principia reliqua indemonstrabilia traderet. Sed quoniam quæcunque ab intellectu cognoscuntur, per consequens etiam ab habitu intellectus cognoscantur, sive is sit principiorum sive artis sive scientiæ; utique illorum sententia stare non potest. Perinde autem fere est, sive propriam habeas experientiam sive alienam. Fatendum quidem firmius illa nos scire, quæ ipsimet experti sumus deprehendimusque: attamen quandoquidem propter infinitam reum varietatem fieri illud non potest, tuto aliorum experientiæ licet assentiri, modo fidem mereantur. Cæterum quoniam de experientia ejusque usu jam tum *Introductione in Naturalem Philosophiam cap. I. th. 23. seqq.* pluribus actum est, nos lectorem eo amandamus, quum omnia illa, quæ ibi traduntur, huc pertineant. Quibus omnino adjungenda illa sunt, quæ *lib. de Civili Prudentia* tum toto capite septimo, tum præcipue pag. 103. & 104. differuntur. ⁂

XXIV. Quandoquidem vero præter experientiam Ratione insuper opus est, siquidem veram eamque solidam Medicam cognitionem tibi comparare velis; etiam de hac verbo aliquid addendum est. Per se autem manifestum est, Ratione nobis Logicam (uti vulgo quidem nuncupatur) & potissimum artem Demonstrandi venire. Constat vero, omnem Demonstrationem fieri ex principiis sensu & experientia cognitis: Unde licet, ad quamlibet partem artis Medicæ accurate & perfecte cognoscendam primo afferenda esse principia sensu & experientia cognita; quibus recte sese habentibus demum justas fieri demonstrationes. Quæ quum ita sese habeant, utique quilibet qui artem Medicam profes-

surus

ſurus eſt, Logicæ, & cumprimis artis Demonſtrandi ſive τῆς ἀναλυτικῆς, gnarus eſſe debet. Galenus certe noſter adeo peritus ejus fuit, ut integros etiam libros de demonſtratione confecerit: quod paſſim ex ejus ſuperſtitibus operibus liquet, ubi eos laudare ſolet; præcipue vero ex recenſione illorum, quam libro de libris propriis cap. 11. inſtituit. Dolendum autem omnes iſtos Galeni labores ſummo non artis tantum noſtræ ſed univerſæ bonæ eruditionis damno, intercidiſſe. Itaque hæc tam neceſſaria doctrina, quum hodie quidem ex Galeno peti non poſſit, aliunde, & cum primis ex Ariſtotele haurienda eſt. Optandum vero eſſet hanc nobiliſſimam doctrinam vulgo rectius excoli & tradi. Scilicet multa confuſe in Logicis ſolent doceri: & libri ipſi Ariſtotelis vitio ævi multum ſunt mutili & disjecti: certe genuina & vera demonſtrationibus natura hodie oppido paucis perſpecta eſt, quæ res etiam viros cætera doctiſſimos in graves errores induxit. De qua re juſta querela inſtituitur citata modo *Introduct. in Natural. Philoſoph. cap. 2. th. 15.* Ex recentioribus ſane vix quenquam reperias, qui pro dignitate hanc doctrinam fuerit perſecutus. Certe qui neceſſitatem ejus in Medicina ſimul & ipſam artem demonſtrandi poſt Galenum oſtenderit, hactenus nemo inventus eſt, ſi excipias unum *Bartholomæum Viottum* hominem longe doctiſſimum; cujus de Demonſtratione præclarum opus ante centum annos prodiit. Sicut autem omnibus Artis noſtræ ſtudioſis commendatiſſimus ille eſſe debet, ita dolendum raro eum hodie poſſe inveniri. Unde etiam factum fuit, ut ne diligentiſſimus quidem Schenckius eum viderit, licet ejus ex ipſomet autore ſuo in Bibliotheca meminerit: quem tamen à Joanne Anthonide Van der Linden, lib. de Scriptoribus Medicis fuiſſe ſilentio præterium, jure miramur. Neque tamen etiam negligen-

negligenda sunt, quæ de usu Organi Aristotelici in arte Medica parte quarta tractatus *de Usu Organi Aristotelici pag. 490. & seqq. Joannes Neldelius* disputavit. Atque hæc tum de natura tum etiam de principiis Medicinæ in genere dicta sunto: Proximum jam est de singularis Artis partibus, deque iis, qui in ea operæ fecerunt pretium, scriptoribus, initio à diversis sectis scholisque facto, deinceps differamus.

ADDITAMENTA.

Ad Cap. I. §. ✻ Auctor, introductionem in artem daturus, *ὅτι ἐστί, existere talem artem*, supponit, neminem usque adeo recta ratione destitutum existimans, ut rem tam manifestam ausit negare: Neque vero etiam inventus est temere, qui publico aliquo scripto, vel seriò id agere susceperit. Hodie autem, ubi de omnibus nimium quantum dubitare ceptum est, reperiri, ob rerum imperitiam & falsam *αὐταρκείαν*, qua sapere super cæteros vel sibi videntur, vel aliis volunt videri, eandem dictis oppugnent, & in dubium vocent, quotidiana docet experientia. Ablegandi autem hi sunt ad *Coi* nostri *librum de arte*, ubi solidissimis argumentis ejus existentiam evicit: Præter quæ aliud etiam extat initio *libri de Prisca medicina* non contemnendum.

II. ✻ A *μεδέω*, curam gero, Lindanus quoque eam derivatam existimat in Med. Physiologica, ubi consuli potest.

III. ✻ *Nequaquam etiam audiendi sunt.* Hæc uti verissima sunt, & cum veræ Philosophiæ principiis concordant, ita non magis sunt audiendi, qui medicinam ad scientiam, vel quemcunque alium tandem habitum referre allaborant, id enim non alia de causa moliuntur, quam quia disciplinarum naturam & requisita ignorant, & in ipsis principiis earundem sunt plane hospites: Quæ omnino hic ex Aristotele addiscenda sunt, is enim unus in his cum laude & *ἀκριβείᾳ* versatus est, ut nihil addi suis commen-

commentariis, vel in iis mutari facile queat: à recentioribus certe philosophis nostris ne attingi quidem videmus. Vide *Sennerti, Lindani & Mœbii de* his sententias, & cumprimis *Petri Laurembergii Porticum Æsculapii*, librum supra modum doctum & elegantem.

✠ *Unus enim idemque mentis habitus &* &c. In hanc rem legi omnino merentur quæ habet *Hartvicus Wichelmannus*, Luneburgensis, in primis philosophiæ principiis versatissimus, *Analytices* §. *40*. ubi tamen paulo latius extendere videtur distinctionem istam quam par est, præsertim cum §. seq. 41. & 42. scientiam docet esse vel contemplativam, vel activam, vel effectivam. Hæc certe sententia utut eo sensu, quo vetusti ævi scriptores, omnia hæc confundere soliti, loqui solebant, possit tolerari, à veris tamen philosophandi legibus, si stricta & philosophis usitata interpretatione utaris, longissime abest; ne Stagiritæ quidem auctoritate ex Metaphysicis sustinenda, cum aliqua enim latitudine eo loqvendi modo ibi usus est philosophus, quemadmodum Galenus quoque non raro facere consuevit, qui alicubi itidem artes dividit in contemplativas, activas & factivas, eadem loquendi libertate. *Aristoteles* autem auctori manifestò suffragatur alibi, nempe *Metaph. VI. c. 2. & XI. c. 7. item II. Anal. Post. c. ult.*

IV. ✠ *Veterinariam.* Nominis rationem si quis forte desideret, hæc habeat: Veterini verbum apud Plinium & Columellam tantum occurrit, & jumentum notat, gestandis oneribus dicatum. Hinc forte Italicum Veturinorum nomen hodieque usitatum, quod hominem notat, qui ejusmodi jumenta peregrinantibus aut iter facientibus certa pecuniæ summa locat: Veterinus vero fortassis a veho. Cœterum scriptores Veterianæ tam Græcos quam Latinos habemus, Latini omnes à Joanne Sambuco, medico præclari nominis, editi sunt: Græci vero, interprete Ruellio, Parisiis anno MD XXX. prodiere in lucem. Est autem Theomnestus cumprimis gravis veterinariæ auctor: Habemus etiam Germanicos nonnullos ejus argumenti libellos: sed eos hic nominare nihil attinet.

✠ *Operationes hominis longe diversæ*, &c. Inter quasdam

corporis humani atque brutorum partes ſat magnam intercedere differentiam, (quemadmodum & ipſe variorum brutorum partes multum diverſæ ſunt) docet anatome: actiones autem illas, quas tanquam animal exercet, non adeo multum à brutorum actionibus differre, fere perſuaſus ſum. Sunt autem homini nonnullæ actiones propriæ, quæ in brutis non æque reperiuntur, ut ea quæ ab intellectu perficiuntur. Eſt igitur amplior paulo medicinæ propriæ dictæ, quam Veterinariæ ſpecialis ſcientia: interim ſpecie non differre, cum Laurembergio prorſus exiſtimo, cujus vide *Porticum Æſculapii* modo citatum, ubi recte diſtinguit, inter ſubjectum Medicinæ adæquatum & primarium. Eadem nempe medici atque Aurifabri conditio eſt, qui in auro & argento ſeſe occupet ſolis, etſi ars illa fabricandi & cælandi metallica vaſa, aliaque id genus, ad reliqua etiam ſpectet metalla, quippe quæ, paucis obſervatis aliis, eodem modo tractari apta ſunt: ipſi etiam ex cupro vel plumbo vaſa ac ſtatuas affabre figurare norunt; quod tamen facere, Imperii aut locorum legibus prohibentur: illud tamen negandum non eſt, victum & vitæ genus, quale præſertim vivere ea cogimus animalia, quæ utilitatibus noſtris inſerviunt, morbos producere in iis plane ſingulares, qui non quidem aliam artem, leges tamen curandi longe alias poſcere videntur.

V. ✠ *Ad conſtitutionem autem partium primo & potisſimum pertinet temperamentum ejus* &c. Ita hactenus quidem fuit creditum: Nunc autem, exploſa abſurda illa Galeni doctrina, (is enim eſt qui & medicos & philoſophorum inſuper plurimos ſeduxit, non Ariſtoteles) qua omnes omnium rerum effectus à quatuor primis qualitatibus edi ſtatuit, medici in diverſa admodum abire: alii enim fermentis, alii ſtructuræ partium & poris, alii utrique, alii Archeo, alii his omnibus actiones partium attribuunt. Et de Archeo quidem alias: fermentis autem præter alia illud potisſimum objici poteſt, quod celerrimus ſanguinis per partes ſit tranſitus, ita ut in iis fermentari & aliquid deponere nullo modo poſſit, omnis enim mutatio liquorum quæ per fermentationem fit, requirit moram, nec niſi

poſt

post satis idoneum temporis spatium potest accidere. Itaque, si in quibusdam fermento potest aliquo infici, saltem in iis, quarum actio est separatio, fermenta illa non habebunt locum. Mihi quidem structura & pororum diversitas semper visæ fuerunt in his sufficere: Non enim crudus sanguis, sed propria & in venis facta & peracta fermentatione præparatus ad partes accedit. Quo posito, structura partium & compositio fortassis primo loco foret collocanda. Non tàmen omnino negandum, post factam separationem nonnihil adhuc immutari, & quibusdam in locis jam tum existenti ejusdem generis succo magis assimilari, quod ex sanguine accessit: eo modo, quo farinacea massa in fermentum; vinum aceto affusum, in acetum vertitur. Pertinent autem hæc omnia fere ad logicas quæstiones, de quibus mox; eas tamen, quæ non sine omni noxa negliguntur. Rectius autem occupabimur in inquirenda sanguinis natura & crasi, quæ non partium temperamentum tantum, sed pleraque etiam alia constituit ac gubernat. Magnitudinem autem & figuram tam accurate considerandam non putaverim, quod hæc nihil, illa vero parum actionem partis juvare possit, internarum enim (nam de his potissimum loquor) robur partium non à magnitudine est, sed pro ea tantum plus vel minus conficiunt. Sequitur autem plerumque corporis ipsius magnitudinem & indigentiam: hinc sine omni detrimento videmus fieri, quod unius corporis partes figura & magnitudine ab alterius partibus discrepent. Æque vero inane est Galeni commentum de partium similarium symmetria: has enim non temperamentum, (quod maximam partem à sanguine itidem recipiunt) sed modus materiæ & compositio utiles vel inutiles efficit, cum non ex quatuor elementis vulgo dictis, quod ille supponit, immediate componantur, sed longe aliam habeant originem: De quo non hic locus est prolixius disputare.

VI. ✠ *Aliæ similarium etiam partium* &c. Etiam hoc perperam vulgo in scholis explicatur. Similarium enim quatenus talium nullam actionem esse, sed in id tantum datas, ut ad organicarum faciant compositionem, nullo caret dubio: Neque enim os venis arteriis & medulla instructum aut membrana iisdem ac nervis gaudens, est pars similaris: sunt autem reve-

ra & ſubſtantia ſimilares (fibra eſt pars partis & plerarumque principium) forte ſoli tendines cum cartilaginibus: Sed & hæ, quoniam figuram & conformationem admiſerunt, non amplius ſimilares ſunt habendæ, quatenus organicis opponuntur, licet compoſitæ non ſint; non enim repugnat eſſe ſimul & ſimilarem & organicam.

X. * Hic diſtinguendum eſt probe, ut Petri Lauremberggii doctiſſimas objectiones devitemus: Aliud eſt valetudinem manifeſto non nihil jam vacillantem fulcire & obfirmare, aliud ſanitatem optime conſtitutam in eodem ſtatu conſervare. Corporis exacte ſani conſervationem nequaquam eſſe finem Medicinæ, neque partem ὑγιεινὴν in inſtitutionibus recte cæteris adjici, probat in laudato modo porticu Æſculapii, & argumentis plane evincit citatus auctor. Unum apponemus ex multis: Ars verſatur in re non exiſtente efficienda, eſt enim habitus effectivus, ſanitatem autem jam exiſtentem conſervare, non eſt ποιητικὸν, ergo ad artem id non pertinet. Idem prorſus docet *Celſus I, 1.* ut intelligas, antiquiores aliter ea de re ſenſiſſe: fluxit enim hic error ex fontibus Galeni demum ad noſtros rivos. Quamvis autem hoc ita ſit, non tamen licet medico vires & qualitates alimentorum, imo univerſam diæteticam ignorare, idque ob cauſam duplicem: Primum, quo accuratius de cauſis morborum ex errore diætæ oriundorum judicet; deinde, ut ægrotis eandem præſcribat, eorumque appetitum animumque moderetur, quorum neutrum recte faciet, niſi quam quælibet nocivam qualitatem abſcondeant, & cui affectui conveniant ſingula, exacte intelligat; præſertim cum ciborum plerique non modo nutriant ſed & alterent. Itaque firmo etiam Laurembergii dogmate, ſola tamen Methodus tuendæ ſanitatis eliminanda, quam potius ad quemlibet hominem aut patremfamilias, quam ad medicum qua medicum pertinere, non dubitaverim cum illo ſtatuere, licet communi ac receptæ ſententiæ id hactenus repugnet. Quæ vero ad alterum illud ſpectant, valetudinem jam in pejus ruentem reducere, utique medici officium id eſt, non ſecus ac architecti, ruinas minantem domum fulcire

ac re-

ac restituere: sed tunc non amplius integram esse valetudinem, sed vel morbosam vel neutram saltem, Laurembergio erit concedendum.

XII. * *Necessarium facere possit.* Quo jure igitur, quove civium commodo hodie quibusdam in locis medici ab omni pharmaceutica præparatione tanta severitate arceantur, ut ipsis nihil prorsus sui juris maneat integrum, jubeanturque vel maxime arcanas quoque præparationes sibique proprias, & nonnunquam satis difficiles aliorum, φαρμακευτικῆς sæpe non satis peritorum fidei committere, haut ægre perspiciet, quem non pigebit citata hic loca evolvere, & rerum initia expendere. Ad posterius spectant Hippocratis verba: τὰ δὲ ἱερὰ ἐόντα πρήγματα ἱεροῖσιν ἀνθρώποισιν δείκνυται, βεβήλοισι δὲ οὐ θέμις. *Res sacræ sacris hominibus ostenduntur, profanis autem non fas est.* Tales autem omnino mihi videntur esse, quicunque ex medicorum præscripto agentes, componendis dispensandisque remediis operam collocant: minister enim in societatem venire, & collegii socius censeri, adeoque sacris hominibus adnumerari non potest. Noluit autem Hippocrates res sacras, id est elegantiores, & non vulgaris efficaciæ vel operis profanis hominibus innotescere, tum ad majorem auctoritatem conciliandam tum ad incommoda alia evitanda; satis perspiciens, ea in publicum emanantia, non tantum, quod monet auctor, vilius haberi, sed sæpe etiam sub alienis manibus corrumpi, quod de fide & diligentia τῶν βεβήλων certi quid sibi promittere nemo possit. Quamvis enim nonnulli sequioris etiam ordinis homines sic satis sint probi, ac rerum suarum satagentes, maxima tamen eorum pars negligentiores, & ex eorum numero sunt, qui non verentur ex alterius incommodis sua interdum comparare commoda, vel defectu simplicium, vel pejori etiam causa inducti. Neque hoc tam mirum est, cum ingenium humanum fere proclive sit ad lucrum faciendum, vitio haut facile corrigendo, nisi elegantioribus & honestis disciplinis pectus imbuatur: quod quibus contingit, illi demum *Sacri* sunt Coo *homines.* Et vero aut valde fallor, aut huic debetur rei, de quo non injuria conqueri-

tur magnus ille Chimiater, *Guernerus Rolfincius L. I. Chemiæ c. 4. Quæ in primorum inventorum & possessorum manibus magnæ efficaciæ erant, limites privatos transgressa, in opere deficiunt.* Ut nihil jam dicam de altera, quam subjungit, causa, quæ tum plerumque etiam obtinet: *quod ab aliis, privati commodi respectu promiscue sine judicio adhibentur.* Quæ res etiam effecit, ut per universam superiorem saxoniam & plurimis aliis in locis ac regionibus, medici suo jure utentes, & laudabilem veterum morem reducentes, magnam medicamentorum & præcipuam partem sibi vendicarent. Cui rei, quod chemia inperitorum artificum & ciniflonum manibus erepta, nunc egregie exculta est, resque pharmaceutica omnis longe absolutius elimata ac infinitis observationibus aucta, unice acceptum est ferendum: Nunquam enim id factum fuisset, si à præparatione remediorum manum perpetuo abstinuissent. Nec tamen ad illud fastigium pharmacia eorum opera evecta est, ut quiescere secure possimus: infinita adhuc indaganda & corrigenda restant, non nisi à manibus ipsorummet ἰατρῶν χαρμεστάτων sibi remedium pollicentia: ut quilibet boni publici causa, quantum quidem per alias occupationes fieri potest, in præparationibus pharmaceuticis sedulo occupari teneatur; quod hæc pars operam nostram sibi præter cæteras vindicet, non veterum tantum incuria, sed & recentiorum nimia & intempestiva sæpe curiositate, infeliciter corrupta, inque adeo dubia luce constituta, ut nemo, nisi qui penitius introspexerit, oculatasque adhibuerit manus, de certiore ejus cognitione gloriari possit. Vide de hac re *Rolfincii Chemiam.* modo Laudatam *I, 13. & Georgii Wolfgangi Wedelii* hujus primum discipuli, mox successoris longe dignissimi *Pharm. rat. in proœmio:* Item *Danielis Ludovici*, viri in hac artis parte incomparabilis, *Dissertationes pharmaceuticas penultimam & ultimam.*

✻ ✻ Ex hoc loco aliisque liquidum fit, injuriam auctori facere, quicunque ut μισοχημικὸν eum diffamare satagunt: satis enim hinc constat, illam chemiæ partem quæ ad pharmaceuticam pertinet, non modo ab ipso non contemni, aut odio haberi, sed etiam magni fieri. Quod enim dicit, illos qui vulgo eam profitentur, raro ipsam artem tenere, sola empeiria instructos

ſtructos, id pro ratione temporum, quibus iſta diſſerebat, veriſſime dixerat. Et vero, licet hodie, haut ſegniter à præclaris ingeniis exculta, aliam longe faciem induerit, eam tamen in multis adhuc mancam eſſe, ac defectuoſam, ulterioreve cultura admodum adhuc indigam, nemo doctiorum facile ibit inficias, poſtquam *Robertus Boyle*, vir genere ac doctrina illuſtris, tam variis id opuſculis fecit manifeſtum.

XV. * *Appellare theoricam & practicam* &c. Quas theoricas medicinæ partes hic auctor appellat, eas eſſe meras προπαιδευτικὰς etiam alii, pauci tamen, perſpexerunt, & in his *Joh. Daniel Horſtius* Medicus & πολύπατερ Francofurtenſis celeberrimus, manuductione ad medicinam. Pertinet autem ad præcognita præter phyſiologiam & Pathologiam, etiam therapeutices pars magna, omnis ſcilicet illa, quæ de ſimplicibus earumque vel nominali vel philoſophica notitia agit, quam itidem à naturali Philoſophia mutuamur; quin & ipſa etiam medica, & ſi curatius rem penſitemus, omnium medicamentorum compoſitorum conficiendorum ratio. Ecquis enim inſtrumenta parandi ſcientiam artis partem proprie appellaverit? Sunt autem medicamenta omnia artis medicæ inſtrumenta, neque id minus quam ferrum & ignis, quæ tria propterea Hippocrates in aphoriſmo conjungit: neque diverſa eorum eſt ratio, niſi quod hæc externe, illa interne & ad abdita removenda adhibentur. Quemadmodum vero nullus eſt artifex, etiam mechanicus, qui iis vel obtuſis, vel quocunque modo vitiatis, finem ſuum feliciter conſequi posſit, ita majori longe in medicina circumſpectione opus eſt: quod vitia medicamentorum latent plerumque, nec ſenſibus obvia, ut in aliis, rudioribus, dignoſcuntur: quorum, cum nemo præter medicum ipſum idoneus ſit judex, hinc propius ad eum quam ad reliquos artifices, ſpectat eorum cura ac præparatio, difficilium præſertim, vix citra philoſophiæ naturalis inſignem doctrinam, & ſimplicium plusquam vulgarem ac nominalem notitiam exſequenda.

XVII. * *Absque omni noxa.* Definiendum hic foret, quænam illa ſint quæ poſſint abeſſe absque omni noxa: Et quidem

dem in physiologicis qualia sint, seq. §. XIX. ex parte ostenditur, qui rectius hunc ipsum fuisset secutus: neq; tamen ausi sumus, aliter hæc, quam prout primum placuerunt editori, disponere, sed nonnulla ad ipsum illum locum adjicere & nos maluimus. Interim commonefacere juvenes nostros, officii partem censemus, ne temere eorum, quæ addiscere occasio est, negligant quicquam: neq; enim in facili ipsis est, de ea re judicare, quum sæpe quod non speraveris, maximam utilitatem afferre possit. Exemplo sit prolapsus uteri, quem multi feliciter curarunt ante natam hos demum viginti annos quæstionem, utrum sola vagina, an totum uteri corpus possit etiam prolabi: agitata tamen pronuper ea de re inter præstantissimos medicos controversia potest unumquemque admonere, non esse talia negligenter habenda. Paucis: nihil in studiis tam ab arte remotum, naturalis præsertim philosophiæ, quod non aliquando usum possit afferre, nec æque in mercato literarum, quod in rei familiaris valet administratione: *emas non quod opus est, sed quod necesse est:* sed præstat rerum scientia abundare, quam curtam nimis supellectilem habere, cum literaria ista nec magnis sumtibus sit conservanda, nec gravet circumferentem: Neque medico vel ea etiam omnia, quæ possunt quocunque modo, salva curatione ignorari, prorsus vilipendenda sunt aut insuper habenda; Utrum cor sit musculus nec ne, an cerebrum, hepar, renes, ex glandulis componantur, multaque hujusmodi, quæ ad partium naturam & essentiam pertinent, non sunt scitu ad curationem necessaria, tamen medico paulo elegantiori omnino nota esse debent: turpe enim est, & neglecti animi indicium, in ignorantia hic versari, controversia aliqua tam celebri, tam ubique hodie agitata: Galenum respicite, quo nemo acrius logicis quæstionibus se immiscentes carpere solet: ipse tamen in iis tangendis quam est frequens! Nec aliorsum accipite πολυτρίλλητον illud divini Senis ἰατρὸς φιλόσοφος ἰσόθεος: qui nec ipse, in illa licet caligine & temporum inter initia infelicitate, sibi temperavit, sed in hos campos sæpiuscule excurrit.

XIX. ✱ *In quibus tum sanitas.* Habes limites quibus consiste-

consistere datur, qui tam ampli profecto sunt; ut paucissima restent, quæ liceat ignorare. Ad sanitatem enim pertinet structura partium, connexio, & actionis omnis ratio atque usus, sangvinis præterea, omniumque liquorum in corpore reperiundorum utilium cursus & spirituum seu ἐνορμώντων natura, motus, vis & potentia agendi; Ad ægritudinem vero partium, quicquid ad naturam morbi spectat, quocunque etiam modo: aut morbi genus, & quæ eum constituunt, mos ejus, & motus, & symptomata, & causæ, tam immediatæ & continentes, quam προηγέμεναι & προκαταρκτικαί. Harum enim nonnullæ licet aliquando ad curationem nihil faciant, διάγνωσιν morbi tamen plurimum possunt juvare: Cumprimis vero continentis cognitio, si qua est, necessaria est, ea enim sublata, statim & ipse morbus tollitur. Nec recte opponitur, nos causis multorum morborum ignoratis, tamen eos curare: est enim duplex curandi via, empirica & rationalis, quarum illa semper imperfecta, & cæca est, nisi ex hac lumen mutuetur; quod antequam accedat, nemo de perfecta artis consecutione gloriari potest. Sic febrium causam nondum satis habemus cognitam, easdem tamen novimus depellere, quia nonnulla de ea constant: Quis vero dubitaverit, si omnia constarent, rectius & felicius nos eas esse superaturos? Idem in pharmaceuticis obtinet, ubi nihil prius est habendum causis & modo operationis medicatorum. Tametsi enim, iis ignoratis, aliqvandó nihilominus possumus, ea feliciter exhibere, multo tamen certius & securius agemus, si easdem habebimus perspectas; cum citra istam cognitionem sæpenumero facile possimus peccare, ea vero comparata, non item: Cujus rei Empirici, & imperiti medicastri subinde tristia edunt exempla, æque ac pharmacopæi aliquando illi qui se curationibus immiscere satagunt; Norunt enim & hi virtutem medicamentorum, sed qua ratione eam exerant nescientes, neque in tempore, neque in loco porrigunt medicinam. Atque aliqvis dicat, antiquos medicos citra illam exactam notitiam artem sic satis feliciter exercuisse: negare id quidem non ausim, medendi enim methodus in subsidium

venire potuit: verum & illud, multum adeo lucis ac dignitatis ex recentiorum experimentis non frustra accessisse, & quotidie adhuc accedere, nemo sanus ibit inficias: Non enim in solam ostentationem isthæc jactantur, sed omnino etiam usum habent; neque asserere dubitaverim, nos hodie & jucundius antiquis illis, & felicius, imo & tutius morborum catervas profligare; modo eorundem veterum diligens lectio accesserit: Nisi tamen quis dicere sustineat, Sennæ folia & mitissimum Gialapium Hippocratico Helleboro nihilo esse mitiora: Sennam autem antiquis ignotam fuisse novimus, Arabum enim inventum est, Gialapium vero multo etiam recentioris ævi. Quod si ab Hippocrate ad Galenum plurimum ars curandi incrementi sumsit; si post Galenum per Arabes ulterius auctam & elimatam accepimus; quare & nostro hoc ævo, quo tantum in eo laboratum est quantum alias nunquam, nihil omnino accessisse putandum sit? Si autem aliquid accessit, prorsus omne inutile judicare propterea, quia veteres eo carentes, feliciter curationes peregere, iniquissima sententia est: regero enim, atque iterum inculco: *Non absque omni noxa.* Sed largiamur plurima hic occurrere magis θεωρητικὰ & nonnihil à praxi remotiora; evitari enim hoc prorsus ita non potest: Respondit ex Hofmanno auctor: *Sed & ubi ita est, an non præstat verum defendere, falsum repudiare, & esse philosopho-medicum?* mihi vero hunc liceat paragraphum Latini Hippocratis, ut superiorem Græci illius verbis claudere & veluti obsignare: continent enim ge-
Celsus procem. nuinam interpretationem Græci illius textus, sic ait: *Quanquam igitur multa sint, ad artem ipsam non pertinentia, tamen eam adjuvant, excitando artificis ingenium. Itaque ista quoque naturæ rerum contemplatio, quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinæ reddit, & perfectum: verique simile est, & Hippocratem & Erasistratum, & quicunque alii, non contenti febres & ulcera agitare, rerum quoque naturam ex aliqua parte scrutati sunt, non ideo quidem medicos fuisse, verum ideo majores medicos extitisse.*

XXIII. ✻ *Principiorum peculiarem esse habitum.* Hæc ex

ex intimæ philosophiæ principiis depromta sunt, magni ad ve ram scientiam acquirendam momenti; neque tamen extra pomœria abducendus est lector, cum prolixius fuerit omnia enarrare: Consultat interim, si volupe est, *Hartvvici Wichelmanni Analyt.* §. *XXXIII*, & *XLIV*. post eum *Aristotelem VI. Ethic*, & cumprimis *II. Anal. Post. cap. ultimo*, plane aureo.

* * *Modo fidem mereantur.* Merentur autem fidem qui 1. id quod narrant, etiam norunt: Hinc omnium certissima, quæ publico testimonio perhibentur; deinde, quæ ab oculatis testibus referuntur, iisque plurimis: Qua de re vide. *Gal. Lib. de subfiguratione Empirica. c. 12.* ubi Concordantiam esse optimum historiæ judicatorium ostendit, talem enim convenientiam in sensibilibus omnino admittendam. Neque vero spernendum est, quod ab uno oculato teste profertur, modo alterum in eo requisitum adsit, nempe 2. ut id quod novit, etiam velit imperti-ri, id est, ut sit vir probus, nec quicquam studio aut affectibus deditus, aut *observationes quas virgines debebat* (Honoratissimi Collegæ Henrici Meibomii, Præfat. in obs. Ar: Bootii verbis utor) *præjudiciis suis corruptas exhibeat.* Vide *de his orationem inauguralem eruditissimi viri Ioh. Henrici Vogleri, professoris in hoc Athenæo quondam meritissimi de Testimonio Humano.* His tertium addendum censeo: ut calleat artem cum observandi, tum scribendi observationes, sit scilicet cautus, artis cum curandi tum demonstrandi peritus, ne necessariis circumstantiis aut φαινομένοις orbas observationes memoriæ tradat, oculisque fidelibus observata monumentis literarum candide & sine fuco aut impostura consignet. Quod autem de unico teste αὐτόπτῃ retuli, mirari forte subit, cur in foro duorum aut trium testimonium requiratur, nobis vel unius sufficiat. Verum id fieri videtur ideo, quoniam temporis ratio JCtis non permittit ut in mores ejus qui perhibet testimonium, semper inquirant: quod apud nos secus est. Quamvis, si quid ab experientia velis inferre, non sufficiat unius aut simplex testimonium, inductio enim plurimis exemplis constat. Vide plura si cupis, requisita in *Thomæ Bartholini anatome Practica* §. *XII.*

XXIV. ⁂ *Raro eum hodie posse inveniri.* Hanc nobis publicam querelam sustulit primum Clarissimi viri *Andreæ Frölingii*, Logices olim in hac Academia professoris industria, effecit enim, ne diutius tantum opus desideraretur; Sed cum haut multo post omnia aurei libelli exemplaria distracta essent adornata nova & pereleganti editione, publicæ indigentiæ denuo subvenit *Henricus Wideburgius*, ejus in præclaro hoc munere successor, collega & amicus suavissimus, additis etiam notis peregregiis. Quamvis autem hoc Viotti opus perquam sit eximium, æquiparandum ei tamen, si non præferendum illud, quod jam bis laudavimus, *Hartvici Wichelmanni*, philosophi quondam Regiomontani, opusculum, quod haut ita pridem publici juris fecit Honoratissimus itidem collega *Joh. Eberhardus Burmannus*, parvum quidem mole, sed quod Aristotelis operi alias intellectu paulo difficiliori, magnam lucem affundere queat, multaque complectitur vix alibi reperiunda. Id quod fortassis effecit, ut post fata viri *Zeidlerus*, *Theologus & Philosophus* insignis, antequam esset editum, pleraque ejus in amplum illud de demonstratione opus suum pene ad verbum transcripserit, qua ratione egit quoque cum modo laudato Viotto. Leguntur autem quædam huc pertinentia valde etiam præclara in *Galeni* nostri *libro de optima secta* statim in principio, & *de optimo dicendi genere*, ubi scepticos reprimit: Longe profecto hæc præferenda sunt novæ & ineptissimæ Cartesianorum doctrinæ de fallaciis sensuum, & intellectui perspicuis, ut, qui modo pauca ista Galeni recto animo perpenderit, facile istorum dogmatum absurditatem & vanitatem cernere queat.

CAPUT II.

DE SECTIS MEDICORUM.

THESIS I.

POstquam naturam universæ Artis, quæque illuc faciunt consideravimus; transibimus nunc statim ad diversas ejusdem

ejusdem scholas. Ita enim apparebit, quam varie ab initio usque sese habuerit, quantumque hodierna ejus facies ab antiqua distet. Quemadmodum enim unaquæque disciplina pro diversitate magistrorum varias etiam sectas identidem peperit: ita in Medicina sese etiam semper habuisse cernimus. Videntur vero ab initio duæ tantum fuisse, quarum altera usu tantum & experientia artem possideret, altera vero rationem insuper adhiberet. Priorem Empiri- * cam, posteriorem Rationalem ex rei ipsius veritate possumus appellare. Meminit autem harum *Plato lib. IV.* de legibus sub finem, ubi duo genera Medicorum constituit alterum servorum, liberorum (ἐλευθέρων) alterum. Atque istos quidem ita describit, quod sint περιτρέχοντες, καὶ ἐν τοῖς ἰατρείοις περιμένοντες. Καὶ οὔτε τινὰ λόγον ἑκάστου, pergit Plato, περὶ νοσήματος ἑκάστου τῶν οἰκετῶν οὐδεὶς τῶν τοιούτων ἰατρῶν δίδωσιν, οὐδ' ἀποδέχεται, προστάξας δ' αὐτῷ τὰ δόξαντα ἐξ ἐμπειρίας, ὡς ἀκριβῶς εἰδὼς, καθάπερ τύραννος, αὐθαδῶς οἴχεται ἀποπηδήσας πρὸς ἄλλον κάμνοντα οἰκέτην. Quæ genuina descriptio est Empiricorum. ὁ δὲ ἐλεύθερος (subjungit Plato) ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον τὰ τῶν ἐλευθέρων νοσήματα θεραπεύει τε καὶ ἐπισκοπεῖ· καὶ ταῦτα, ἐξετάζων ἀπ' ἀρχῆς καὶ κατὰ φύσιν, τῷ κάμνοντι κοινούμενος αὐτῷ τε καὶ τοῖς φίλοις, ἅμα μὲν αὐτὸς μανθάνει τὶ παρὰ τῶν νοσούντων, ἅμα δὲ, καθόσον οἷός τε ἐστὶ, διδάσκει τὸν ἀσθενοῦντα αὐτήν. Isto itaque ævo duæ tantum sectæ Medicinæ videntur fuisse. Successu tamen temporis accessit, quæ videri voluit, etsi inepte, cum revera pertineat ad scholam Rationalem, à duabus hisce plane diversa; cui Methodicorum nomen hæsit, & quidem Asclepiade autore, quem *medendi rationem ex magna parte mutasse* ** Cornelius Celsus testatur; quanquam Themisoni Asclepiadis discipulo id adscribat Auctor Introductionis Galeno adscriptæ, de quo infra. De tribus autem illis sectis notum est illud Ausonii:

** Præfat. l. 1. c. 4.

— — *Triplex quoque forma medendi:*
Quæ logos, & methodos, cuique experientia nomen.

II. Et quidem, ut de Empiricis prius dicamus, ipsum nomen satis indicat, *in usu tantum & experimentis medicinam eos posuisse.* Nihilo tamen minus non uno eodemque modo hæc secta semper sese habuit: sed qui hodie ita vocantur ab antiquis longe distant. Veterum scilicet multi eruditi erant & experientiam multis observationibus demum acquiri statuebant, scriptis insuper clari, quique quæ edidissent etiam defendere scirent: quod à nostris valde alienum est. Fuit autem hæc illorum sententia, ceu modo diximus, *solam experimentorum notitiam arti satis esse;* quum præsupponerent, Artem certis præceptis, ut ex ipsis scientiam quandam nobis acquiramus, tradi non posse. Dicebant autem porro *Medicinam ab experimentis esse deductam, repertis deinde Medicinæ remediis homines de rationibus eorum disserere cœpisse:* itaque *post inventam Medicinam* demum *rationem esse quæsitam.* Hinc porro credebant accuratam morborum cognitionem ad Artem non pertinere. Ideoque evidentes morborum caussas necessarias esse ad artem tradebant, occultas vero atque obscuras negligebant, utpote quum incomprehensibilis sit illa occultarum caussarum cognitio. Denique posse nos usu & experientia multa addiscere, quæ vulgo hactenus fuerint ignorata. Hæc enim summa est ipsorum doctrinæ, quam pluribus *Cornelius Celsus* præfatione operis sui & post eum *Galenus* libro de sectis ad eos qui introducuntur, exequuntur.

Celsus l. c.

Gal. de sect. c. 1.

III. Ut autem brevibus ad ipsorum argumenta respondeamus, verum quidem est, artem posteriorem esse ipsa experientia. In universum enim nullius rei notitiam habere possumus, nisi primum experientia & sensuum fi-

de

de aliquid perceperimus. Concedimus itaque artem quidem absque experientia esse non posse: sola tamen experientia nitendum negamus. Largimur etiam porro interdum aliquem ægris mederi posse quamvis arte non instructum. Verum & casu hoc tantum fieri, & facile talem aberrare posse, dicimus. Caussarum autem notitia quam in curandis morbis utilis sit, per se est notum. Sed quum *Galenus* noster libro de optima secta ad Thrasybulum & altero de Subfiguratione Empirica omnes Empiricorum argumentationes satis prolixe & solide confutaverit, nolumus in his diu immorari.

IV. Autorem hujus sectæ quod concernit, de eo non videtur convenire inter scriptores. Et Celsus quidem Serapionem *primum omnium nihil rationalem disciplinam pertinere ad Medicinam professum, in usu tantum & experimentis eam posuisse* refert. E contrario Autor Medici Galeno vulgo adscripti Philinum Coum, *occasione ab Herophilo, suo præceptore accepta, primum Medicinam à rationali* secta *separasse* scribit. c. 4. Subjungit tamen, Philini discipulum Serapionem Alexandrinum in ea secta floruisse. Nec desunt qui Acronem Agrigentinum Empiricam sectam primum condidisse velint. Et constat sane ex Diogene Laërtio, Acronem in magna existimatione fuisse. l. 8. in Empedocle. Hinc quum *inter Medicos arte præcipue excelleret*, ambitione ductus, locum ad monumentum construendum à Senatu postulavit. Qua in re quum Empedoclem adversarium invenisset, hunc tale epitaphium de eo composuisse refert:

Ἄκρον ἰητρὸν ἄκρων' Ἀκραγαντῖνον πατρὸς ἀικρῶν
Ἀκροτάτης κρύπτει κρημνὸς ἄκρος πατρίδος.

Notandum autem, quod de Philino & sectatoribus modo laudatus Introductionis sive Medici Autor addit, eos *quum*

suam

ſuam hæreſin principem eſſe vellent, Acronem Agrigentinum, quo rationali eſſet vetuſtior, ei dediſſe initium, dixiſſe. Vt itaque dicendum videatur, Herophilum fortasſe occaſionem huic ſectæ excolendæ dediſſe, Acronem autem pro conditore vulgo habitum, quo majorem autoritatem ſectæ ſuæ conciliarent. Verum quum *Galenus lib. de ſubfig. Empir. cap. 1.* Acronem *primum Empiricæ diſciplinæ ſcriptorem expreſſe* nominet, de eo fortaſſis dubitandum non eſt.

V. Poſt Acronem Philinus Cous Herophili diſcipulus, Ptolomæi circiter Philadelphi Regis Ægyptii tempora, quam maxime in hac ſecta floruit; unde etiam ſine dubio factum, quod pro conditore ſectæ nonnulli eum habuerint. Huic ſucceſſit Serapion Alexandrinus; quem itidem in magna exiſtimatione fuiſſe conſtat. Celſus eum primum Empiricorum facit, fortaſſis quod nulla nova dogmata invenerit, vel ſcriptis etiam magnum nomen ſibi pepererit. Serapionem Apollonius ſecutus fuit, & Glaucias; ut Celſus quidem ſcribit. Sed Autor Introductionis duos Apollonios, patrem & filium, Antiochenos nominat, Glauciæ nulla facta mentione. Verum Glauciæ etiam Galenus lib. de ſubfiguratione Empirica cap. ult. tanquam jactabundi & arrogantis hominis meminit. Sine dubio itaque Apolloniis hic ſucceſſit. Neque vero, quod Autor Introductionis ejus non meminerit quicquam nobis derogat: facile enim potuit fieri, uti ſolet, ut Autor illum neglexerit. Neque etiam videtur illi fuiſſe propoſitum, omnes qui ſectæ illi præfuerunt enarrare, ſed præcipuos tantum. Quicquid vero ſit, certum eſt poſt hos Menodotum ſectam quam maxime illuſtraſſe. Certe magni illum fuiſſe nominis conſtat, ſcriptis etiam inſuper clarum. Quo illud referendum, quod

Autor Introductionis hunc Menodotum & Sextum Empiricum sectam exacte corroborasse scribit. *Diogenes lib. IX. in vita Timonis Nicæi* Nicomediensem eum facit, & discipulum Antiochi Laodiceni. Menodotum porro immediate Sextus excepit, quem Herodoti Tarsensis discipulum ibidem Diogenes fuisse dicit. Fuit autem hujus præ cœteris Empiricis magna quondam autoritas & existimatio. Et verò non leviter illum fuisse doctum, apparet ex superstite ejus hodie opere, de quo paulo post. Multa autem illum scripsisse ex Diogene discimus, qui de scriptis ejus ita pronunciat: *Herodotum Sextus Empiricus audivit, cujus sunt decem illa volumina, aliaque pulcherrima. Porro* (pergit Diogenes) *Sextum Saturrius audivit, cognomento Cythenas, & ipse Empiricus.* Cæterum hic quidem fortassis magistri sui famam non æquavit. Atque hi sunt, qui sectam illam
* quam maxime illustrarunt. Notandum autem, Empiricos tandem factos fuisse Scepticos & Pyrrhonicos. Notum enim est, Pyrrhonis, quem Scepticorum autorem fuisse & Augusti ætate vixisse constat, sectatores meros fuisse Empiricos: quod ex Diogene Laertio abunde liquet. Quin ipse Cornelius Celsus ad Empiricos referendus possit videri. Instructus sane fuit insigni ἐμπειρίᾳ, sed à rationibus plerumque destitutus: non annumerandus tamen est Empiricis,
** quum rationalem sectam haud improbet.

VI. Liquet vero ex his quam celebris olim hæc secta fuerit, quamque magistrorum laude claruerit. Cœterum Galenus ita eos excepit, ut pristinam gloriam nunquam recuperaverint. Quin immo eo res Empiricorum fuere redactæ, ut post Galenum nullus Medicorum vel Empiricus vel eorum caussæ tutator voluerit dici. Fatendum tamen nihilominus, etiam plurimos si non plerosque

fuiſſe Empiricos. Sane ipſe Dioſcorides, qui tamen Galenum ætate adhuc præceſſit, videtur Empiricus fuiſſe; quantumvis nonnulli aliter de eo ſentiant. Neque aliter judicandum eſt, ut hunc unum tantum ex Galeno poſterioribus nominem de *Avenzoare Arabe*. Vixit ille annos CXXX. & à vigeſimo quinto Medicinam facere cœpit. Vnde hoc ſaltem liquet multa eum in praxi obſervaſſe, adeoque ab experientia egregie fuiſſe inſtructum; ita ut maximum Empiricum haud injuria eum dixeris. Nec vero ipſius libri oſtendunt aliquam peritiam rei medicæ inſignem aliam quam quæ ab experientia & uſu ſolet derivari.

VII. Quanquam autem adeo celebris hæc ſecta fuerit, totque præclaros patronos habuerit; hodie tamen ex veterum illorum Empiricorum ſcriptis pauciſſima extant. Inter quæ duo tamen ſunt ſic ſatis illuſtria. Vnum eſt *Scribonii Largi* Medici vetuſtiſſimi, Tiberii Cæſaris coætanei: alterum *Marcelli* quem *Burdegalenſem* nonnulli, & Claudii Neronisque ævo vixiſſe volunt; ſed perperam: cum vir præcipua dignitate illuſtris floruerit medio ſeculo quarto à nato Servatore; quod ipſi illius tituli ſatis referunt. Præclarum tamen, ne hoc reticeamus, ex illa ſecta opus philoſophicum ſupereſt *Sexti Empirici* illius, cujus ſupra mentionem fecimus, adverſus Mathematicos inſcriptum, quod cura Henrici Sthephani & Gentiani Harveti Latine verſum, typis excuſum eſt. Per Mathematicos autem ille eos intelligit, qui ratiocinando docent, & vulgo rationales dogmaticive appellantur. Hos, & omnem ſimul ſcientiam illo opere irridet, atque per ſolam experientiam poſſe artem aut certi aliquid acquiri, oſtendere conatur.

IIX. Plane vero his contrariatur Methodicorum ſecta, cui Aſclepiadem primum occaſionem dediſſe conſtat.

Si

Si enim nonnullis credendum, rejecerunt illi omnem experientiam, omnem caussarum, facultatum, locique affecti cognitionem; *solam indicationem quæ ab affectu sumitur sufficere ad curationem existimantes*; quemadmodum doctrinam eorum nobis breviter depingit Clarissimus *Lidelius lib. 1. Artis Medicæ cap. 2.* Fortassis tamen mitius de illis est sentiendum. Nec vero tale quid in *Cælio Aureliano*, & *Cassio Jatrosophista* deprehendas: quorum scripta hodieque superant. Cæterum quoniam etiam adversus hanc sectam late disputat *Galenus* noster tum *libro de sectis cap. V. & seqq.* tum *lib. de optima secta cap. XXI. & seqq.* tum integro *libro I.* methodi medendi, nos lectorem eo amandamus: nihil enim attinet omnia hic referre. Celebris autem etiam hæc secta fuit, magnique nominis defensores aluit, quos Autor Introductionis *cap. IV.* ordine recenset. Inter quos Thessalus Trallianus, qui Neronis ætate Romæ vixit, quemque hanc sectam absolvisse modo laudatus Autor tradit, eousque impudentiæ & arrogantiæ processit, ut se ἰατρονίκην per summam imprudentiam appellaverit, & artem sex mensibus se traditurum non dubitaverit profiteri: sicuti illud ipsum partim apud *Plinium lib. XXIX. cap. I.* partim apud *Galenum libro 1. meth. med. cap. 1.* legimus. Extincta vero est & hæc secta simulac Galeni doctrina cœpit orbi innotescere. Eoque non etiam forte reperias qui post Galenum ex illa secta singulare aliquod nomen invenerit. Cassius sane & Cœlius aut pares Galeno aut non multum videntur fuisse juniores. Vnus inter recentiores *Prosper Alpinus*, magni nominis vir, grande opus in defensionem hujus sectæ composuit; sed lusit operam, nec invenit temere qui applauderent.

IX. Jam pergendum ad Dogmaticam Medicinam.

Dogmatici autem omnes audiunt illi, qui Artem non sola experientia sed hac cum ratione conjuncta demum acquiri & comparari profitentur. Inde etiam Rationales jam ab antiquo denominantur. Docent enim hi uno ore omnes, Artem Medicam esse habitum cum recta ratione effectivum: quam definitionem Artis in universum Aristoteles VI. *Ethic. Nicomach.* ponit. Semper autem horum Dogmaticorum maxima fuit laus & summa existimatio. Neque vero immerito: quum impossibile sit per solam experientiam posse integram artem addisci; quod ex superius traditis, & exemplo civilis prudentiæ, quæ itidem non potest solo usu acquiri, ut multis probatur *l. de civili prudentia, cap. VII.* satis manifestum est. Quamvis vero horum plurimi dudum ante ipsum Galenum fuerint; hunc tamen ipsam Artem primum omnium perfecisse haud injuria, dixeris. Ἀναλυτικὴν certe, quæ omnium scientiarum omniumque artium instrumentum est potissimum, adeo calluit, ut hac laude omnes tum antegressos tum post secutos longe superaverit. Ad quam cum accederet summa industria, judicium exquisitum, & studium à sectis alienum; non est mirum, ad illud culmen ipsum pervenisse. Sane summo jure Pater Artis vocari possit.

X. Quamvis autem Dogmatici Empiricis proprie oppositi sint; non semper tamen etiam hi idem senserunt: perinde ut & hodie inter omnes non æque convenit. Videntur itaque non male in certas quasdam ætates posse dividi. Et prima quidem ætas ab Hippocrate ad Erasistratum & Herophilum usque, quorum uterque paulo post tempora Alexandri Magni vixit, pertingit. Vocari autem forte potest Hippocratica secta, propterea quod omnia aut certe pleraque & potissima dogmata Hippocra-

tis

tis ſecta iſthæc Medicorum amplexa ſit. Sane non defuerunt etiam ſecuta ætate qui tanti fecerunt Hippocratem, ut eum *tam fallere quam falli neſcire* arbitrati fuerint; quomodo de illo *Macrobius* etiam *l. 1. in ſomn. Scipionis cap. VI.* loquitur.

XI. *Rationalis* certe *ſectæ & auctor & princeps Hippocrates Cous fuit;* ut recte *Auctor Introduct. cap. IV.* ſcribit. Nec vero ferendi ſunt illi, qui tantum virum inter Empiricos non erubeſcunt numerare; idque eo quod nulla præcepta Artis in ipſius operibus tradita reperiantur. Quibus cum tamen non dubitavit facere Hieronymus Cardanus, vir alioquin in omni doctrinarum politiorum genere miris modis verſatus. Eſt autem hæc inſignis ſummo & principi Medicorum illata calumnia. Enimvero multa reperiuntur in libris, præſertim de morbis mulierum, Hippocratis ἐπιστημονικὰ, ubi cauſas ſubtili mentis ratiocinatione Cous Senex indagat; quod tamen ab Empiricorum inſtituto eſt alieniſſimum. Nota porro eſt præclara ejus vox: δεῖ μετάγειν τὴν σοφίαν εἰς τὴν ἰητρικὴν, καὶ τὴν ἰητρικὴν εἰς τὴν σοφίαν. ἰητρὸς γὰρ φιλόσοφος ἰσόθεος. Quod profecto non dixerit Empiricus, ſi velit τὴν θέσιν φυλάττειν: utpote qui damnat omne philoſophiæ ſtudium. Multas inſuper diſputationes Phyſiologicas propoſuit, ſectione prima editionis Foëſianæ operum ipſius contentas; quæ procul ab Empiricis eorumque placitis abeunt. Libro porro primo Aphoriſmorum plurima occurrunt, quæ artem, nequaquam vero ἐμπειρίαν, ſapiunt. Teſtatur vero etiam *Celſus lib. 1.* de Hippocrate, quod rerum naturam ſit ſcrutatus, ſive ut ipſe loquitur, quod *rerum naturæ ſibi cognitionem vendicaverit:* quam tamen Empiricus non curat. Quamvis autem methodum medendi, quemadmodum Galenus, non tradit; curationes tamen

men methodice instituit: Licet has etiam per ἐμπειρίαν non raro peregerit, sicuti etiam à plerisque hodieque fit, eo quod via omnes morbos curandi nondum hactenus plene perfecteque sit investigata. Neque vero vel librum de Veteri Medicina vel Erotianum moramur. Namque istum quidem falso in Hippocratem referri & potius Acronis (de quo supra) scholam sapere; illum vero hominem Grammaticum non satis aptum esse qui de Hippocrate judicet, jam tum *præfatione in observationes Salmuthi* notavi. Jam olim autem Hippocratem à nonullis pro Empirico habitum fuisse, ex Galeno discimus comment. *III. in lib. Hippocr. de victus ratione in morb. acut. num. 62. & comment. III. in lib. de articul. 28.* quo posteriori loco ita loquitur: *Volo nunc vel semel indicare commemorareque id quod in primo statim libro de Hippocratis dissertatione dictum à me est: ubi impudentiam experimentatorum agnosces, qui Hippocratem experimentarium vocare audebant. Experimentarius enim omnium maxime qui in medicina arte versarentur, erat: maximeque experimentis animum advertebat, omniaque eis probandi esse censebat. Ut rem tamen assequetur, multis rationalibus commentis uti consueverat.* Plura in Hippocratis defensionem in laudata præfatione leguntur.

XII. Altera ætas usque ad Galenum pertinet. Comprehendit autem hæc varias sectas & scholas Dogmaticorum Medicorum: quarum præcipuæ sunt Erasistratæa, Herophilæa, Asclepiadæa, quæ Methodica, & Athenæi Attalensis. Et quidem quod Erasistratæorum sectam attinet, nobis illa & magnæ autoritatis fuit, cœpta autore Erasistrato Chio; qui paulo post Aristotelem floruit. Creditur ille à nonnullis Aristotelis nepos esse, idque diserte proditur

ditur à Plinio. At ex Sexto Empirico & aliis liquet fuisse illum privignum filiæ Aristotelis, non autem matre illa natum. Fuit autem vir magni nominis, & isto ævo primaria autoritate præditus. Cæterum ex scriptis ejus hodie plane nihil superest. Interim, varia ipsius dogmata apud Galenum legimus, qui adversus hanc sectam passim disputat. Hujus enim etiam tempore hæc secta superfuit præcipua laude. Extant etiam aliorum singulares libri adversus Erasistratum ejusque sectores: quos nemo cum fructu legerit, nisi ex Galeno Erasistrati placita ante perceperit, Sed de Erasistrato sequenti capite iterum aliquid nobis dicendum veniet.

XIII. Sequitur Herophileorum secta, & ipsa satis insignis, circa Erasistrati tempora orta principe Herophilo Chalcedonio; qui ea peritia anatomices fuit, ut primas illi tota antiquitas deferat. De quo ipso infra, ubi de studio Anatomico ex professo agemus, plura in medium nobis afferenda venient. Sed nec hujus tamen utut tam celebris quondam viri, ullum scriptum amplius extat; eoque dogmata ejus ex Galeno & aliis sunt addiscenda.

XIV. Succedit Asclepiadea, secta itidem nobilissima, instituta ab Asclepiade Bithyno, magni illo quondam nominis Medicinæ magistro, de quo seq. cap. plura Fuit autem hic pater methodicæ sectæ. Veterem sane *medendi rationem ex magna parte mutavit*, Celso teste. Sectatores ejus Methodici dicti sunt, quod brevem Artis methodum profiterentur: & hinc haud incommodo cum Petri Rami sectatoribus possunt comparari. Diximus autem jam tum supra de hac secta, ideoque hic sumus parciores. Duo autem tantum ex veteri ævo Methodica scripta habemus: *Cassii Jatrosophistæ* problemata & *Cœlii Aureliani* Tardarum

rum & Celerum (hoc eſt, chronicarum & acutarum) paſſionum libros, ſcabrô ſtylo conſcriptos.

XV. Ultima ex hac ætate ſecta eſt quam Athenæus Attalenſis inſtituit. Fuit hic Medicus inſignis, ita *nullus ex junioribus Medicis ita universam ſcientiæ medicinalis tractationem elaboraverit, ſicuti Athenæus*; qua laude Galenus eum afficit *lib. 1. de Element. cap.* 6. Verum illius etiam ſcripta omnia interciderunt: ideoque quicquid de eo ipſiusque dogmatibus nobis cognitum eſt, omne Galeno debemus. *

XVI. Hæ ſunt ſectæ Medicorum, quæ & ante Galenum exſtiterunt, & ejus tempore etiamnum floruerunt. Reſtat jam ut de Galeno noſtro aliquid narremus. Hic ſexcentis circiter poſt Hippocratem annis inter Rationales Medicos ita eminuit, ut palma ſummo jure ipſi debeatur. Hic eſt ille Claudius Galenus Pergamo ex Aſia oriundus. maximus vir medendique artis quaſi quoddam numen. Quanquam enim ſolus ille non omnia perfecerit, neque etiam unus ſit imitandus; ita tamen cæteros præcellit, ut nullus ſit hactenus inventus, qui tanto ſtudio & induſtria dogmaticam hanc artem excoluerit. Ipſe quidem nulli uni dogmaticæ ſectæ fuit addictus, nihilominus tamen maxime Hippocratem ſectari videri voluit, cujus etiam ſummum egit enarratorem. Licet vero ita talis haberi voluerit, fatendum tamen in pluribus eum non videri Hippocraticum, utpote qui interdum plurimum à dogmatibus Hippocratis abeat, nunc aperte, nunc clanculum. Nec enim quæ ille Hippocrati tribuit genuina ſemper ſunt Hippocratis placita, ſed ſæpe ipſiusmet Galeni, Hippocratico nomine duntaxat, majoris auctoritatis captandæ cauſſa, fucata. Vnde vera & genuina Hippocratis *

inter-

interpretatio ex Galeno ſemper non eſt petenda. Quod ipſum dudum etiam monitum, legere eſt in *præfat. ad lectorem. libri de generat. ſanguinis.* Certe ſi leges interpretandi obſervare velimus, plurimum Hippocratem à Galeno diſſidere deprehendemus. Multa ſcilicet à Galeno ex Hippocrate in alium ſenſum trahuntur. Interim tamen & quidem in plerisque Hippocratem ſequutus fuit, fecitque eum maximi. Cæterum non abs re fortaſſis fuerit, ſi hoc loco *Caſparum Hofmannum*, quem ipſius Pergameni Clinicum Carolo Sponio ex dedicationi Inſtitutionum ejus Medicarum non incommode appellaveris, loquentem audiamus. Ita autem ille præfatione ad lectorem libro de Thorace præmiſſa. *In Methodo Galenus ita explevit omnes generoſi Medici partes, ut paulo minus quam inepti ſit, dubitare. Et ut merito laudes ingenuitatem ipſius in fuga ſectarum in aliis, ita jure carpas* φιλοτιμίαν *ipſius juvenilem, à ſeipſo ſene damnatam. Cum enim (dicendum eſt, quod res jubet) in omni Medicinæ parte ſuperior eſſet Eraſiſtrateis, Herophileis, Methodicis, aliis ejus ſeculi peſtibus, putabat bonus vir imperium quoque in Ariſtotelem ſibi eſſe. Hac in re ſubſidium ferebat illi non vulgare facundia Aſiatica, qua anteibat Peripateticos omnes illius ætatis. Qui cum bonam cauſſam male agerent, mirum videri non debet, ſi Galenus, & tum, & hodie multos ſibi conciliavit amicos. Ego vero libere dicam de ipſo pugnaturiente, quod de heroë ſuo Maro,*

Arma amens captat, nec ſat rationis in armis.

Hui, dicat aliquis, de tanto viro tantoque opere de arte merito, tam humiliter loqueris tu? Ego vero niſi id verum eſſe demonſtravero, indignus ſim nomine boni viri! Quumque

que de principatu partium, de quo inter Ariſtotelem & Galenum controvertitur, exemplum attuliſſet, ita pergit: *Et ne ſine exemplo feciſſe videretur, Hippocratem & Platonem monſtroſi hujus dogmatis autores facit: at qua fronte? Vbi enim alteruter id docuit? Nec dubito fuiſſe etiam olim motam ei hanc litem, quandoquidem librum alicubi ſe ſcripſiſſe ait de iis, in quibus Plato diſſentit à ſeipſo in doctrina de anima.* Sed tota præfatio huc pertinet: in quam rem non ſemel etiam alibi diſſerit. Nimirum *numerandus & Galenus eſt inter Ariſtotelicos: etſi interdum voluerit videri Platone ſtudioſior. Namque totam artem medendi ſuperſtruxit fundamento Ariſtotelicæ doctrinæ de viribus tactilium qualitatum; nec niſi in paucis ab Ariſtotele diſſenſit. Recte certe rem putantes non poſſumus non pronunciare* φιλοσοφήματα *ipſius propria Ariſtotelicis quam Platonicis eſſe ſententiis,* quemadmodum monuimus Introduct. in Natural Philoſoph. cap. 11. th. 17. Verum de Galeno ſequenti capite iterum dicendum veniet: & plurima quæ huc pertinent, eaque longe utiliſſima habentur in vita Galeni, quam operibus ejus *Conradus Geſnerus*, (cujus nomen in Venetis exemplaribus per ſummam injuriam reticetur) vir optimus & quo nemo litterariam rempublicam juvandi fuit ſtudioſior, præmiſit; quam lectoribus etiam atque etiam volumus commendatam.

XVII. Pergimus itaque jam ad tertiam ætatem, ad quam omnes Medici Græci pariter & Latini pertinent qui poſt Galenum ad ſeculum uſque à nato Servatore nonum præter propter vixerunt. Quorum Græci plerique Galeni dogmata amplexi ſunt. Horum autem præcipui ſunt Aretæus, Aetius, Paulus Ægineta, Alexander Trallianus, Paulus & Joannes Jatroſophiſtæ, Alexandrini, Simeon Sethi

thi filius, Actuarius, Nonus, Myrepsus: qui omnes Galenum ejusque placita defenderunt. In tantum enim ejus crevit auctoritas, ut dicta ejus adinstar oraculorum multi horum suspexerint. Præ aliis autem Oribasius ita Galenum fuit sectatus, ut simiæ Galenicæ titulum hinc meruerit. Nonnulli tamen ab ejus sententia interdum ausi sunt discedere, interque eos præcipue Alexander Aphrodisæus. Ex Latinis tum vix quisquam alicujus nominis fuit præter unum Cœlium Aurelianum, qui tamen Methodicus fuit. Reliqui Empirici potius quam Dogmatici appellandi sunt: certe nullius fuerunt eruditionis. Similiter etiam Arabes communiter Galeni autoritatem venerati sunt, & consulto consilio ab ipsius sententia non facile discesserunt. Vnicus Averrhoes Cordubensis vir ingeniosissimus, de quo seq. cap. plura, aliquid contra Galenum movere ausus fuit, cumprimis autem in doctrina de constitutione hominis. Duravit autem hæc Arabum quidem ætas à seculo nono circiter ad usque tertium decimum.

XIIX. Cæterum seculo tertio decimo varia tum philosophica tum Medica Arabum scripta in Latinum sermonem verti & ex ita versis præcipua Philosophiæ & Medicinæ præcepta peti cœperunt; occasione ex sacris Europæorum Christianorum ad terram sanctam recuperandam expeditionibus sumpta; idqe ad usque annum supra millesimum quingentesimum. Ex illo vero tempore longe aliam faciem Ars Medica in Europa accepit. Etenim ad usque seculum sextum decimum in Occidente Medici magnam partem sequuti sunt Medicos Arabas, qui ante longe aliter sua scripta confecerunt, ut libri ipsi luculente docent. Vixerunt autem tum temporis præclari Practici, quamvis propter seculi istius infelicitatem omnes barbare scripserint.

Secuti vero quam maxime ſunt ex Arabibus Avicennam, Raſin, Meſuen, Serapionem, Haly Abbatem, Avenzoarem: utpote quum Avicennæ nonnulla & Raſis ad Almanſorem liber nonus in ſcholas publice explicandi recepti ſint.

XIX. Hoc itaque ſtatu res Medica manſit, donec circa annum milleſimum quingenteſimum novam iterum faciem Ars noſtra induere cœpit. Nam circa illa tempora ipſa tum Hippocratis tum Galeni genuina ſcripta ex Græco in Latinum verti atque in lucem edi cœperunt. Et primus quidem in utrumque curam impendit Nicolaus Leonicenus Ferrarienſis, vir elegantiori doctrina plane imbutus: qui duos præclaros diſcipulos reliquit, Antonium Muſam Braſavolam, & Joannem Monardem, utrumque Ferrarienſem: quibus tertium nulli inferiorem Joannem Baptiſtam Montanum Veronenſem ſummo jure jungimus. Circa eadem tempora nonnulli laxatis ingenii habenis, variis modis Artem excoluerunt, veterum medicorum non perinde reverentes. Itaque inter illos qui ab exordio ſeculi decimi ſexti floruerunt, magnum eſt magiſtrorum diſcrimen. Alii ſcilicet ne latum quidem unguem à Galeni placitis diſcedere voluerunt, atque adeo in verba illius magiſtri quaſi juraverunt. Quam laudem præ aliis Florentini quidam & nonnulli Italorum alii affectavere, inter Germanos horum veſtigia magnam partem calcante Leonharto Fuchſio. Alii contra autore præcipue Andrea Veſalio Bruxellenſi, qui primus Galeni in Anatomicis errores commiſſos notare auſus fuit, in multis à Galeno diſſentire non dubitaverunt. Quorum agmen ducunt Johannes Fernelius in Gallis, & Johannes Argenterius in Italis. Fuere & qui preſſius voluerunt videri ſectari Hippocratem: ut Jacobus Hollerius, Ludovicus Duretus, Deſiderius Jacotius, Anutius Foëſius

ſius, omnes Galeni: quanquam & ipſi multum ab Hippocrate diſſenſerint. Non defuerunt etiam qui Arabum partes acriter defenderint & ſummis viribus pro illis pugnaverint: quos inter celeberrimi, Sebaſtianus Montuus, Andreas Thu-
* rinus, Andreas, Alpagus & Remaclus Fuchs. Ex adverſo alii Arabum doctrinam exploſerunt, imprimis illi Galenici; quod ipſum magnis contentionibus anſam dedit.

XX. Superiori porro illo ſeculo exorta eſt nova &
* hactenus inaudita Medicorum (ſi modo illo nomine digni ſunt) ſecta, autore Philippo Theophraſto Paracelſo; quomodo quidem nequam ille, proprio nomine corrupto, una cum magnificis & pompoſis aliis titulis audire voluit. Hic monarchiam quaſi in Arte cum facienda tum docenda affectans, omnibus ante ſe natis exploſis & irriſis, abſurda, inaudita, pernitioſa & ſumme impia dogmata in Artem & Philoſophiam univerſam introduxit, eamque omnem ſuis ſordibus conſpurcavit, multis iisque nugaciſſimis ſcriptis exaratis: idque omne ſpecie potiſſimum Chemicæ peritiæ quam ſibi non vulgarem ὁ βάναυσος forte acquiſiverat. Prætextu ſane præcipue Chemiæ, novam, falſam atque noxiam Medicam doctrinam effinxit: qualis nec quidem per ſomnium cuiquam in mentem antea unquam venerat. Ex illo itaque tempore noſtra iſta indocta atque monſtroſa ſecta Medicorum cœpit; quæ tamen non tam Paracelſica quam Chemica, vel vero Hermetica dici voluit, quaſi ſcilicet Hermes Triſmegiſtus illa dogmata jam olim in Ægypto tradidiſſet; quum tamen inſana hæc ſchola agyrtam & ardelionem illum Paracelſum, non Hermetem aut quenquam alium autorem habeat. Invenit ille Paracelſus laudatores
** complures: vix quisquam tamen omnia illius probavit, ſed omnes propriis ſententiis quibusdam excogitatis, quaſi no-

 varum

varum sectarum voluerunt auctores videri: nisi quod in universum remedia Chemico more parata, aliis pene contemptis, quam maxime usurpare soleant. Cum noxia autem adeo sit hæc secta, immortalem gratiam tum Thomas Erastus tum alii apud universam eruditorum rempublicam inierunt, quod justis voluminibus eam voluerint retundere.

XXI. Sequuto vero tempore inventi sunt nonnulli Medicorum inter Galenicos & Hermeticos, qui ex Paracelsica & veteri Dogmatica Galenica Medicina mediam quasi sectam condere allaborarunt. Cumprimis autem hoc conatus fuit Daniel Sennertus, vir celeberrimus, quique magnam *existimationem, quam ille diligenti naturalis philosophiæ ac medicinæ cultura merito sibi peperit immortalem*, apud eruditos invenit. Huc vero pertinet præcipue liber illius cui titulus: *De consensu & dissensu Chymicorum cum Aristotelicis & Galenicis;* quem proinde non injuria suspectum habuit Caspar Hofmannus noster. Nec tamen etiam hac in doctrina constantem se exhibuit. Alibi enim, cum primis in Praxi Medica, vulgatæ doctrinæ magis adhæret, alibi Paracelsicis est affinior, præcipue in illo quem diximus libro & in Hypomnematibus. Et vero videtur jam senior nova illa magis magisque probasse.

De Calido innat. c. 5.

XXII. Reperiuntur insuper etiam nonnulli, qui Iatromathematicorum titulo insigniri cupiunt. Conantur autem illi Astrologiam cum arte Medica conjungere, nihilque agendum esse cœlo inconsulto contendunt. Iam olim autem in eadem opinione & Ægyptios & Chaldæos fuisse, & divinatricem *Astrologiam statim apud eos superstitiosam Medicinam peperisse*, recte observavit *Picus Mirandulanus lib. XII. cap. 6.* divini illius contra Astrologos operis. Pertinent autem ad hanc classem plerique illorum, qui

qui Calendaria sua evulgant. Quos inter antesignanum quasi agit Gregorius Collimitius Tanestetterus; qui hoc in genere aliquot scripta publicavit, quorum catalogum, si tanti est, apud Schenkium videre potes Merentur autem de hac re expendi, quæ doctissimus *Langius l. 1. Epist.* 35. perscripsit.

XXIII. Sed & alii novas sectas instituere cœperunt. * Qualis cumprimis est *Joannes Baptista Helmontius*, ille ** qui sese per ignem Philosophum nuncupare insolenti titulo voluit, ac si hujus beneficio Philosophus evasisset. Ex parte autem hic Paracelsum sectatur, ex parte vero nova multa & hactenus nunquam audita commentus est. Ideoque in universum omnibus, quotquot hactenus vixerunt, Medicis convitium dicere, se vero unicum verum Medicum à Deo ipso conditum, atque adeo illum quem Siracides honorandum dixit, pronunciare, ridicule & inepte non dubitavit. Quamvis vero nonnulla habeat haud contemnenda, plæraque tamen.

Non sani esse hominis non sanus juret Orestes.

*** Multum certe fallitur qui ejus credit jactabundis vocibus. Usu tamen Chemicorum operum sic satis videtur valuisse: at ille neminem vere medicum facit, prout notum est.

XXIV. Ut in pauca igitur ea quæ diximus conferantur, in hunc modum hodie sese artis nostræ facies habet. Alii plane sunt Paracelsici sive Chemici vulgo dicti: alii Galenic solum: alii inter hos medii, Galeni scilicet & Paracelsi parite dogmatibus instructi: Hippocratici alii sed pauci: complures denique nova inculcant dogmata. Sed hæc de sectis Medicorum dicta sunto.

ADDI-

ADDITAMENTA.

I. ✣ *Priorem Empiricam* &c. Non tempore, ſed ordine quo uſus eſt auctor in recenſendo. Medicinam enim inter initia experimentis conſtitiſſe, illisque ſolis primas inhæſiſſe medentum, extra controverſiam quidem eſt poſitum, adeoque ἐμπειρία τῷ λόγῳ utique fuit prior: ſed ſectæ tamen nomen non ſuſtinet. Nulla enim ſecta eſt, niſi ſecedant in partes Doctores; nec ſecari diſciplina poteſt, quæ nondum eſt perfecte conſtituta. Ubi vero certa aliqua artis ratio cepit haberi, tum demum hæc nota fuit diſſenſio. Videbant enim nonnulli, non ſatis imbuti liberalibus diſciplinis, Rationes nonnunquam difficilius inveniri, atque in rebus abditis aquam hærere magiſtris haut contemnendis: alios item alias, & ſæpe contrarias aut longe à ſe diverſas ejusdem rei reddere cauſas, nec minus ideo feliciter artem facere. Hinc tandem cogitare cæperunt, an non abrogari posſint omnes rationes rerum abditarum, ſolaque experientia ſufficere. Deinde hoc conſtituto, à priori & rationali diſciplina, non ſatis cauti collectores defecerunt.

✣ ✣ *Quæ videri voluit, etſi irepte, cum revera pertineat ad ſcholam rationalem* &c. Egregie Celſus, de eadem re: *Themiſonis vero æmuli* (Methodici) *ſi perpetua, quæ promittunt habent, magis etiam quam illi rationales ſunt. Neque enim ſi quis non omnia tenet, quæ rationales alius probat, protenus alio novo nomine artis indiget, ſi modo, quod primum eſt non memoriæ tantum, ſed rationi quoque inſiſtit.* Cæterum de auctore hujus ſectæ mox ad §. IIX. plura dicemus, & preſſius rem examinabimus.

In Præfat.

V. ✣ *Qui ſectam illam quam maxime illuſtrarunt.* Addit Celſus, aliquanto poſt Apollonium & Glauciam floruiſſe Heraclidem Tarentinum. An igitur hic poſt Saturrium, an vero ſimul cum Herodoto, aut Sexto? *Geſnerus in Bibliotheca* Mantiæ diſcipulum fuiſſe ait, quem deinde Herophili ſectatorem facit. Aliquot librorum ipſius mentionem facit, ex quo apparet, ſcriptis eum quoque inclaruiſſe.

✣ ✣ *Cum*

✻ ✻ *Cum rationalem sectam haut improbet.* Celsus qualis fuerit, ipse prodit: in prooemio enim, postquam rationes & dogmata utriusque sectæ recensuit; *subjiciendum esse*, pergit, *quæ proxima vero videri possint*, & quid in utraque probet vel non, his verbis docet: *Ea neque addicta alterutri opinioni sunt, neque ab utraque nimium abhorrentia, media quodammodo inter diversas sententias: quod in plurimis contentionibus deprehendere licet sine ambitione verum scrutantibus, ut in hac ipsa re. Nam quæ demum causæ vel secundam valetudinem præstent, vel morbos excitent; quomodo spiritus aut cibus vel detrahatur vel digeratur; ne sapientiæ quidem professores scientia comprehendunt, sed conjectura persequuntur. Cujus autem rei non est certa notitia, ejus opinio certum reperire remedium non potest, verumque est, ad ipsam curandi rationem nihil plus conferre quam experientiam. Quanquam igitur multa sint, ad artem ipsam non pertinentia, tamen eam adjuvant, excitando artificis ingenium. Itaque ista quoque naturæ rerum contemplatio, quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinæ reddit & perfectum, verique simile est, & Hippocratem & Erasistratum, & quicunque alii non contenti, febres & ulcera agitare rerum quoque naturam ex aliqua parte scrutati sunt, non ideo quidem medicos fuisse, verum ideo majores medicos extitisse. Ratione vero opus est ipsi medicinæ, etsi non inter obscuras causas, neque inter naturales actiones, tamen sæpe. Est enim hæc ars conjecturalis, neque respondet ei plerumque, non solum conjectura, sed etiam experientia: & interdum non febris, non cibus, non somnus subsequitur sicut assuevit.* Multa deinde alia ejus generis subjungit, cur ratiocinatione opus esse putet explicans: ut plurimum de rationali medicina tenuisse videatur, ex empirica vero nihil, nisi quod occultas causas & latentes, tum morborum tum partim actionum rejiceret: Non tamen id fecit ideo, quod nihil ad curandi artem putaret spectare, quemadmodum faciebant empirici: sed quia, cum ne ipsi quidem sapientiæ professores (prout tum quidem ei videbatur) eas possent assequi, adeoque meræ essent conjecturæ, ut tales, nihil certi haberent. Neque tamen eas prorsus negligi volebat, sed assidue in iis exerceri suadebat plane prævidens optime, multa earum esse ejusmodi, ut non

inutiles aliquando sint futuræ; quod si essent, ingenium tamen iis excitari, & ad reliqua capienda magis reddi idoneum. Itaque egregius hic vir ad empiricos refutandos in hac sua præfatione fundamenta jecit, & ipsi Galeno præluxit, Qui deinde acrius adversus illos insurgens, in eo capacissimum ingenium suum occupavit, ut etiam hoc de latentibus causis, cum naturalium actionum tum morbosarum dubium è medio tolleret, utque ostenderet, earum inquisitionem & esse apprime necessariam, & non omnem de iis assequendis spem adjiciendam. Utrumque vero præstitit peregregie, & factis ipsis comprobavit, respondente maximis conatibus fortuna; cum non magis acriter in templo Pacis disputaret, quam ad lectos ægrotorum feliciter ageret. Ubi, postquam sæpius adstantes empiricos in ruborem dedisset, tandem *libris de Usu partium, locis affectis, & Methodo medendi* plane obruisse videtur; quos qui legit attente, & citra præjudicium expendit, nec empiricos tum obmutuisse mirabitur, nec de felici tandem progressu his quoque temporibus, ubi undique turbatur libris & opinionibus, desperabit.

IIX. ✠ *Cui Asclepiadem primum occasionem dedisse constat.* Prudenter *Occasionem dedisse!* Non enim videtur Sectam ipse instituisse, sed primus tamen auctor fuisse mutationis illius quæ subsecuta est, & partem ejus invenisse, Themison vero eam roborasse & nomen imposuisse videtur. Neque enim auctor introductionis tantum hunc auctorem facit, sed & ipse *Galenus Meth. Med. l. 1. c. 4. communitates eum primum peperisse, hujusque unius esse monstrosos illos fœtus, ceu patris legitimos filios; capite* vero 7. *eum fundamentum hujus insaniæ jecisse* ait. Erant autem communitates & Methodus medendi ipsa fundamentum doctrinæ Methodicorum. Posset tamen alicui dubium subnasci, quod Plinius harum inventionem etiam Asclepiadi adscribat: Juvat ejus verba recitare, nam per ea etiam de tempore quo turbæ istæ ceperint, constabit, uti & de ipso etiam Asclepiade, ejusque conditione ac moribus. Sic ille: *Durabat tamen antiquitas firma, magnasque confessæ rei vindicabat reliquias, donec Asclepiades, ætate Magni Pompeji orandi magister, nec satis in arte ea quæstuosus,*

Nat. hist. Lib. XXVI. c. 3.

ut

ut ad alia quam forum sagacis ingenii, huc se repente convertit, ac meditata quotidie oratione blandiens, omnia abdicavit, totamque medicinam ad casum revocando, conjecturam fecit, quinque res maxime Communium Auxiliorum professus: Abstinentiam cibi, alias vini, (frustra emendatur *Aliquando vini*, Alias enim hic alio tempore est) *fricationem corporis, ambitionem, gestationes.* Apparet hic jam simul, quæ fuerint communitates istæ. Verumenimvero, Themisonis communitates ab his longe erant diversæ: Nam postquam glaciem Asclepiades fregerat, & posse contemni autem ostenderat primus, alii multi secuti sunt, varie sentientes. Tandem hæsit, plurimisque placuit quod Themison excogitavit. Id iterum Celsi elegantissimis verbis eloquemur: *Et quidem medici seculi nostri, sub auctore, (ut ipsi videri volunt) Themisone contendunt, nullius causæ notitiam quicquam ad curationes pertinere, satisque esse quædam communia morborum intueri. Siquidem horum tria genera esse: unum astrictum, alterum fluens, tertium mixtum* &c. cit. loc. Ex his perspicuum est quod diximus, nempe alias longe fuisse Asclepiadis, alias Themisonis communitates, huncque verum esse τῶν κοινοτήτων Methodicorum inventorem; ex quo deinde, quia tam brevis tamque concinna hæc methodus ipsis videbatur, Methodicorum nomen assumsere. Interim tamen, neque post Themisonem etiam omnes Methodici semper idem professi sunt, id enim docet nos iterum *Galenus*, ubi ait: *Post hos vero secuti sunt omnes, & inter se, & ab ipso Thessalo* (erat is diu post Themisonem, ut mox ex auctore patebit) *dissentiunt, nec easdem communitates tradentes, nec omnino inter se vel in uno concordantes. Id quod sæpe numero tibi, ipsis etiam Methodicis præsentibus, ostendi: fortasseque aliquando, majus otium nactus, de inconstantia ipsorum scribam.* Meth. Med. lib. I. c. 4.

⁂ *Fortassis tamen mitius de iis sentiendum.* Non licet de iis quæ ex Celso adduximus, dubitare: Non tamen omnes his strictim inhæsisse, ex iis discere est, quæ modo ex Galeno addidimus. Nempe ut quisque indoctior, eo & impudentior: Thessalus in testimonium prodeat. Igitur & scripta eorum longe differunt. Aperta autem erat janua cuique ex plebe, se me-

dicum statim profitendi, postquam tam brevi methodo licebat in hac secta artem perdiscere: *Hinc adeo fiebat, ut etiam sutores & tinctores & fabri tum materiarii tum ferrarii, proprio ministerio relicto, in medicæ artis opera insilirent*, conquerente de eo *Galeno Meth. Med. l. 1. c. 1.* Quis vero de iis quicquam elegantius expectasset?

X. ✠ *In certas quasdam ætates posse dividi.* Rationalis sectæ tanta est latitudo, quanta ipsius rationis: Neque fieri potest ut omnes rationales medici idem prorsus sentiant, cum nec pares ingenio sint, nec artis analyticæ æque omnes periti, nec ejusdem diligentiæ & industriæ: imo addo etiam felicitatis. Ex quibus omnibus fit, ut ea perspiciantur ab his, quæ aliis ne in mentem quidem unquam venit esse inquirenda. Institutio quoque à puero multum præstat ad scientiam acquirendam: quum enim una sit ad veritatem via, ad errores vero & fallacias permultæ, si quis semel à recto tramite aberraverit, nihil certius, quam in infinita incommoda ipsum iri abductum. Hinc tam necessarium est, sub præceptore & manuductore proficere: ut Galenus non dubitaverit Thessalo objicere, non posse ipsum de Hippocraticis scriptis ferre judicium, quod ea non sub præceptore legisset. Quod si hodie etiam observarent tyrones nostri, analyticæ insuper paulo pleniorem acquirerent peritiam, antequam artem excolere inducerent animum, non est dubium, longe majorem inter eos consensum futurum fore: Nunc cum quilibet ipse sibi somnia fingit, nec ex naturæ operibus eruere, sed ex proprio cerebro nova producere principia æquum putat, quid aliud nisi nugas & fabulas licet expectare? Sunt profecto ejusdem naturæ opera non modo abscondita, sed etiam infinita; ut qui vel maxime in ea inquirat sedulitate, si voti compos fiat, inter felicitatis partes quod numeret sit habiturus: si enim non omnia ejus generis, in quo animum occupat, habeat perspecta, facilis est in errorem lapsus. Taceo quod demonstrationis in arte principium unicum experientia nobis sit, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερή. Id quod integro libro ostendit Illustris Boyle quem inscripsit de infido experimentorum successu. Quemadmodum autem, ut in aliis disciplinis, ita etiam in hac nostra, mutuus & unanimis

unanimis consensus, qualis erat elapsis seculis, deinceps nunquam videtur sperandus, ita omnium opiniones diversissimas enarrare, nec factu facile est, neque etiam attinet quicquam. Sufficit eorum sententias cognoscere, qui circa principia diffident. Prudenter enim Celsus, *si quis non omnia tenet, quæ rationalis aliquis probat, eum non propterea protenus alio novo nomine artis indigere* censuit, quem locum supra adscripsimus integrum.

XI. ✠ *Acronis scholam sonare*. Cur librum de veteri medicina ἐμπειρίαν sapere dicat, apertius docet *Lib. II. de Herm. Med. c. 2. p. 180.* In quibus, fateor me à viro alioquin in his dijudicandis exercitatissimo non nihil dissentire: Ut enim Hippocratis non esse, facile mihi patiar persuaderi, propterea quod dogma de quatuor humoribus, quod in omnibus scriptis Hippocraticis receptum legitur, rejecit; adeoque non video quo jure doctissimus Ethmullerus ex hoc probare conetur, Hippocratem fuisse Chemicum, ita ex schola empiricorum prodiisse, merito potest dubitari. Nam & cur lædat crassior cibus, & cur intempestive ingestus noceat, reddit rationem. Deinde &, postquam calidum frigidum, humidum & siccum rationibus oppugnavit, iisque non contemnendis, quomodo amara, acida, acerba, corpori noxam inferant, ostendit: quod sane non fecerit empiricus, quippe id hominum genus internas & abditas rerum caussas rejicit omnes, ut ex ante dictis constat: tales autem sunt amarum, salsum, acidum &c. Extat quidem & locus nonnihil obscurus qui scrupulum movere possit, ubi ait: Λέγουσι δέ τινες καὶ ἰητροὶ καὶ σοφισταὶ, ὡς οὐκ ἔνι δυνατὸν, ἰητρικὴν εἰδέναι, ὅστις μὴ οἶδεν ὅ τί ἐστιν ἄνθρωπος, καὶ ὅπως ἐγένετο πρῶτον, καὶ ὅπως συνεπάγη: ἐγὼ δὲ τουτέων μὲν ὅσα τινὶ εἴρηται σοφιστῇ ἢ ἰατρῷ, ἢ γέγραπται περὶ φύσεως, ἧσσον νομίζω τῇ ἰατρικῇ τέχνῃ προσήκειν, ἢ τῇ γραφικῇ. *Dicunt autem nonnulli Medici & Philosophi* (ita hic interpretari rectius nomen σοφίστης puto) *fieri non posse ut quis medicinam calleat, qui nesciat quid sit homo, & quæ ejus prima generatio: Ego vero ea quæ de natura à tali philosopho vel medico dicuntur scribunturve, minus ad artem medicam quam pictoriam pertinere arbitror.* Ex quibus verbis existimare quis posset, illum physiologiam omnemque anatomen damnare: sed penitius considerari patebit non

Edit. Foës. p. 10. lin. 30. & p. 12. lin. 15.

p. 16. l. 40.

non de rebus ipsis, sed de modo quo describebantur ista, cum disputare. Videntur enim in ea philosophiæ infantia, neglectis internis & abditis, magnitudinem & proportionem partium tantum tradidisse, cum alias non liceat dicere, qui ad pictoriam talia referri queant. Hinc istis subjungit, manifestam naturæ cognitionem non aliunde quam ex arte medica haberi posse, indeque plerosque ea omnia certè cognovisse: addit his: ἐπεί τοι γέ μοι δοκέει ἀναγκαῖον εἶναι παντὶ ἰητρῷ περὶ φύσεως εἰδέναι, καὶ πάνυ σπουδάσαι ὡς εἴσεται, εἴπερ τι μέλλει τῶν δεόντων ποιήσειν; *Quandoquidem naturæ cognitio mihi videtur medico necessaria, isque omni studio contendere debet ut sciat, si quid recte præstare volet.* Tandem: *Non sufficere*, ait, *ut quis sciat, caseum malum esse edulium & quod se eo ingurgitans dolorem sentiat, sed nosse oportere, quemnam dolorem & quasnam ob causas inferat:* Quibus omnem de ἐμπειρίᾳ suspicionem à se videtur amovisse. Sed & porro Medicum discere jubet, quæ affectiones ab humoribus, quæ à solidis partibus (quæ ipsi facultatum & figuræ nomine veniunt) oriantur; taceo quæ antea de gravedine, & acrimonia humorum eorumque incrassatione & dilutione, seu, ut loquitur, cum aliis communione disserit. Itaque, si quid suspicor, est hic liber antiquissimus, ut cum omnibus Hippocraticis eo nomine certare possit, & conscriptus contra quatuor primarum qualitatum in artem introductionem, Quas tum primum Hippocrates videtur corroborasse, uti ex eo colligere est, quod contra eas tanquam recens inventum disputat hic noster, & καινὸν τρόπον τῶν τὴν τέχνην ἐξ ὑποθέσιος ζητεόντων, *novam rationem ex suppositis artem investigantium* nominat, statimque initio, *Medicinæ omnia jampridem subsistere, nec aliam viam, rejectis ac repudiatis veteribus esse quærendam*, contendit. Quo admisso, illa de amaro, acido, salso, austero peccantibus sententia multo foret Hippocratica ista doctrina vetustior. Verum hæc Doctioribus ulterius dijudicanda submitto.

XII. * *Erasistrato Chio.* Theophrasti coætaneo, secundum Galenum.

* * *Varia ipsius dogmata apud Galenum* &c. Præcipium erat, quod spiritum, non sanguinem in arteriis contineri putabat, quod operose refellit Galenus libro peculiari, ex quibus & ea,

quæ

quæ Erasistratum ut ita statueret, permoverint, discere licet. Idem quoque statuit Lienem viscus esse inutile: quod Galenus habet Lib. De Atra bile. Reliqua Vide *Lib. de Venæsect. adversus Erasistrateos, de Nat. Facult. Meth. Med. lib. II. c. 6. & alibi passim. Lib. III. cap. 3. M. Medendi.* Erasistratum & Herophilum appellat ex dimidio dogmaticos, quia calidum frigidum humidum & siccum principia prima esse negabant.

XV. ✠ *Athenæus Attalensis.* In multis Aristotelem secutus est, præsertim doctrina de generatione animalium. Hinc Galenus, Aristoteli infensior, ipsius etiam sententias convellere assolet, sed inani conatu, postquam nova seculi nostri industria Aristotelis placita haut ita pridem contra Galeni arrogantiam firmavit. Alibi tamen eum laudat, in aliorum meritis prædicandis alias satis parcus: ut egregium fuisse virum vel ex hoc solo sit colligendum. Præcipuum ipsius dogma fuit, quod Spiritum agnoscebat in omnibus corporibus, præter quatuor elementa quinti principii loco hærentem, qui cuncta penetraret, & à quo omnia continerentur ac gubernarentur. Hoc spiritu enim solo tum naturalia consistere ac dirigi, tum morbos universos, illo prius offenso, creari: Quod discere ex libro εἰσαγωγῆς seu *Medico*, inter Galenicos comparente. Qui hanc ejus sententiam amplexi sunt, πνευματικοὶ fuerunt appellati, & est hic ortus sectæ pnevmaticæ. De cœtero, an non sit hic spiritus ipse ille Paracelsi & Helmontii Archeus, viderint utriusque assecla & defensores. Fuit autem hæc etiam Archigenis doctrina, quam à Stoicis eum accepisse auctor noster existimat *II. Herm. med. cap. 9.*

Libro de Febb. I. cap. 6.

XVI. ✠ *Nullus sit hactenus inventus qui tanto studio & industria dogmaticam hanc artem excoluerit.* Hæc longe sunt verissima, & semper honos Galeni laudesque manebunt, quicquid obluctentur hodie recentiores: Quorum nonnullis tam contemtim haberi auctorem hunc, idque ob aliqua ab ipso ignorata, quorum hodie notitiam habemus, & quæ ille pro seculi ratione scire non poterat; ego quidem soleo apud me demirari, præsertim cum horum defectus aliis rebus, iisque maximis & scitu

dignis-

dignissimis abunde compensetur. Non est quidem dissimulandum, in eo viro hoc vitium fuisse maximum, quod speculationibus nimium quantum indulgens, & analytica, qua excellebat scientia securus, pateretur à cogitationibus propriis ita se abripi in præceps, ut licet experientia & Logica arte supra omnes reliquos mortales esset instructissimus, & tamen sæpius neglecta, elegantiam systematis artis medicæ præferret veritati: ex quo uno errore sexcenti alii ipsi acciderunt. Quorum meo judicio est præcipuus quod quatuor primis sic dictis qualitatibus plerasque omnes cum morborum, tum virtutum simplicium causas tulit acceptas: alter, quod facultatum inane nomen in scholas attulit, iisque functiones partium adscripsit. De cætero æternum illi obstricti sumus, quod omnes supra nominatas hæreses vi ac pondere rationum potentissime compressit, atque adeo ab infinitis erroribus repurgatam medicinam sub unum reduxit caput; anatomen vero, medendi methodum, aliaque plurima ita absolvit, ut omnes qui eum præcesserant, multis parasangis post se relinquat. Et possum id quidem sincera fide attesari, citra ullius injuriam, multa quidem in vastis illis voluminibus contineri, quæ hodie inutilia atque inania videbuntur; multa tamen etiam docta, præclara, utilitatis maximæ; multa deinde sapienter & commode dicta: uno verbo, digna principe medicorum sui ævi; nec sui tantum, sed forte quatuordecim sequentium seculorum & ultra. Haut scio, multis hoc meum judicium displicere, magnifice nimis de hoc antiquo scriptore me sentire ratis: sed ignoscant mihi: legi auctorem, & quid dicam scio; soleoque nonnunquam tacite mecum ridere, cum video illa à multis nostratum ignorari, pro novis venditari, aut inepte etiam explicari, quæ dudum Galenus rectissime tradidit: quem tamen illi contemnunt præ se, & quasi delirantem senem, nec satis sui compotem, palam apud infelicem ipsis forte concreditam juventutem traducunt: certo argumento, meliora ejus scripta nunquam se cum cura legisse.

XIIX. ✻ *Occasione ex sacris Europaeorum Christianorum ad*

terram

terram sanctam &c. Id est, ut interpretor, allatis ex Oriente MStis codicibus, quos postquam in Asia pedem fixerant, Linguæque Arabicæ sibi comparaverant notitiam, undique conquisiverunt, & in Latinam deinde transtulerunt. Ex iis postea Medici nostri scientiam suam potissimum hauserunt per integra tria secula, quibus publice in scholis Arabum scripta explicabantur. Ubi deinde Græci fuerunt translati, palmam ipsis cœperunt disputare, & paulo post eximere. Hinc & commentarii in Arabes ultimis temporibus fuerunt rariores, dulcius ex fontibus cum biberentur aquæ. Ultimus forte eorum explanator fuit celeberrimus Rolfincius, Avunculus meus magnus, qui primis annis quibus Jenæ docere jussus erat, Rhasen unice secutus, publicis prælectionibus eum exponere auditoribus consueverat. Verum & is tandem eum abdicavit: post ipsum vero nemo qui illis regionibus aut nostris ipsorum vestigia legeret, repertus est.

XIX. * *Remaclus Fuchs.* Fuit Leonhartus ille Tubingensis; hic vero Limburgus, nec videntur sanguinis necessitudine juncti, sed ortu ut sententiis diversi; licet eodem tempore scripserint, ut & hujus & illius opera iisdem circiter annis seculi nempe XLII. & seqq. variis tamen in locis, typis excusa sint.

XX. * *Proprio nomine corrupto, una cum magnificis & pomposis aliis titulis* - Cupiunt nonnulli, quibus viri nomen in pretio est, eum hic excusatum, Gentilitium nomen, seculi illius more, ex Germanico Latinum fecisse contendentes: Fuisse enim nobili familia ortum cui nomen ab Hohenheim: quod ille Latinum fecerit Paracelsus; imo præ modestia particulam Græcam παρὰ præmisisse, quæ minuat, non augeat. Verum enim vero: uti vix veri est simile, eum ex nobilissima illa familia, quam Schenckius antiquam & celebrem prædicat, esse ortum, Obs.L.1.
quippe cum moribus fuerit rusticanis, & Aurigarum consortio 36.
omnium maxime gaudere solitus, præterea Eremo, Helvetiæ pago natus, Nobiles autem isti ac Generosi Domini ab Hohenheim in Alsatia floruerint; ita vereor ut illa excusatio locum inveniat: ut nihil dicam de vocum Paracelsi & Hohenheim discre-

 pantia

pantia; nihil minus enim Paracelſus quam Hohenheim ſignificat. Multo vero minus modeſtiam illam ſuam in conflando nomine poſſum admittere, cum nemo hominum inſolentior, & à modeſtiæ ſtudio remotus magis unquam extiterit, quod omnia ejus ſcripta affatim teſtantur. Lubet unum afferre teſtimonium ex præfatione in Paragranum, ubi exclamat: Mir nach! ich nicht euch nach! ihr mir nach, mir nach! Avicenna, Galene, Rhaſis Montagnana, Meſue, &c. Mir nach und nit ich euch nach! ihr von Pariß, ihr vom Montpelier, ihr von Schwaben, ihr von Meiſſen, ihr von Cöln, ihr von Wien, und was an der Thonau und Reinſtrom liegt, ihr Inſeln im Meer, du Dalmatia, du Sarmatia, du Athenis, du Griech, du Arabs, du Iſraeliter, Mir nach, und ich nicht euch nach, euer wird keiner in hinterſten Winckel bleiben, an den nicht die Hunde ſeichen werden. Ich wird Monarcha! und mein wird die Monarchey ſeyn, und ich führe die Monarchey, und gürte euch eure Lenden &c. nam pudet reliqua referre. Hæc eſt illa modeſtia Paracelſi: patet autem, ex ignorantia Græcæ linguæ potius profectum quod Paracelſum ſe appellavit & quia particula illa παρὰ mire delectabatur, veluti grande aliquid ſonante, nam eodem modo multa opera ſua inſcripſit, Paramirum, Paragranum &c. Ut autem poſſit excuſari Paracelſi ac Bombaſti horrificum dicam (nunc præſertim) an magnificum nomen, tamen quo jure Theophraſtum ſe appellaverit & Aureolum, haut facile quis dixerit: ait quidem alibi, illud ſibi nomen in ſacro fonte impoſitum, ſed qui Germanorum peritus eſt morum, Helveticorum præſertim: etiam hoc facile mendacium eſſe crediderit, ut valde verear, ne vera ſint omnia quæ celeberrimus auctor noſter habet *L. II. Herm. med. c.* 1. & cumprimis *cap.* 12. quæ vide.

✠ ✠ *Paracelſum, non Hermetem autorem habeat.* Hoc pluribus oſtendit, & operoſiſſime auctor noſter integri illius nunquam ſatis laudati operis de Hermetica medicina parte II. eum in finem potiſſimum conſcripto, ut vanitatem & jactantiam Paracelſi, & Chemicorum reprimeret, quorum nonnulli ſua dogmata ab Hermete profecta eſſe, cupiebant doctis perſuaſum. Defenſionem

ſionem autem eorum ſuſcepit primum exigua quidem diſſertatione, mox vero ſatis grandi volumine vir varia eruditione & eloquentiæ laude inſignis Olaus Borrichius, dogmata tamen iſta Paracelſica de quibus lis eſt, Hermetis fuiſſe, vel Ægyptiorum, neutiquam evicit, imo eam controverſiam (in qua tamen cardo rei volvebatur) vix leviter attigit: Sed de Borrichii in Conringium injuria ad ſeq. cap. plura dicemus.

✠ ✠ ✠ *Uſurpare ſoleant.* Nempe viderunt mox ſecuti prudentiores & paulo doctiores viri, nugas & ineptias Paracelſi defendi non poſſe. Itaq; illis ſucceſſive magis magisq; valedicentes, quæ forte rectiora & ad culturam artis idonea viſa ſunt, ſelegere. Quo factum ut tandem Chemiam, nobiliſſimam pharmaceuticæ partem, & manibus ardelionum & operariorum hominum, literarum rudium, ereptam, altius evehere liceret excitatis ingeniis, repudiatis reliquis Paracelſi affaniis à vera philoſophia alienis. Utinam vero omnibus! Bonum interim factum! quod hodie nemo ſuperſit eruditorum qui illam ſectam aperte profiteri audeat, ita ut ipſe quem modo laudavimus, Borrichius, acerrimus alias doctrinæ illius, quantum unquam licet, defenſor, nec Paracelſici titulum ſe deſiderare, nec ejus mores venerari fateatur: nempe puduit tandem nonnihil magiſtri, impuri hominis & inepti. Et verò æquum erat, experimenta illa nova principiis verioris philoſophiæ ſubjici, & ſecundum rectam rationem examinari, quam tantum abeſt Paracelſum, Monarcham ruſticorum, eſſe ſecutum, ut potius inſanire quam philoſophari, ubi ad id animum convertit, exiſtimari queat: quod fidem facit, multa illum ebrium dictitaſſe, & cum non eſſet ſui compos, prout variis non facile repudiandis teſtimoniis adductis, auctor citato loco aſſeveravit.

✠ ✠ ✠ ✠ *Eum voluerunt rotundere.* His accenſeri meretur ipſe *Helmontius*, qui tria principia illa vulgo jactata peculiari libello *De tribus principiis* inſcripto refutari non dubitavit: item Illuſtris *Robertus Boyle*, edito *Chymiſta Sceptico*: poſt quos miror etiamnum hodie ſupereſſe viros doctos & rerum peritos, quibus commentum placet: imo qui ejus ſuſcipiant tutelam: cum iis quæ adverſus illud allata ſunt, & afferri porro poſſent,

ſatisfacere, inque locum quo exciderunt reſtituere quæ poſſit, nulla humana induſtria forte unqvam futura ſit.

XXI. ✲ *De conſenſu & diſſenſu Chemicorum* &c. Hunc Sennerti conſenſum *Joh. Freitagius* amplo volumine aggreſſus eſt, quam diſcors ſit nec ſibi ſatis conſtans in plerisque, oſtenſurus: ſed non impedivit operoſa iſthæc refutatio, quo minus Doctorum Germaniæ pars maxima hanc dogmatico-hermeticam ipſis appellatam ſectam amplecteretur. Cum enim medicamenta Chemice præparata non contemnenda eſſe intelligerent, Theorica autem omnia & reliquam doctrinam neutiquam talem ut cum Dogmatica recepta commutari queat, mediam quodammodo inter diverſas viam elegerunt, ſola primum remedia Chemicorum Galenicis junxiſſe contenti. Deinde, cum multa inter operandum nova corpora veteribusque ex parte ignorata producerentur, nova etiam ab iisdem excogitata nomina, ſpiritus, eſſentiæ, magiſterii, croci & ſimilia introducta ſunt; mox artis quoque ipſi termini, cum viderentur ad explicandas virtutes ſimplicium plurimum conferre, civitatis jure donati: Tandem ad humores corporis etiam & cauſas morboſas philoſophiam iſtam novam transferre à quibusdam laboratum eſt. Sed hactenus iſtud quidem ni valde fallor, non in omnibus æque felici ſucceſſu: quin multa hic gratis & temerarie ſatis à quibusdam aſſeruntur. Cæterum, quamdiu hæc omnia rectæ rationis imperio reguntur, injuria mihi videntur Dogmatico-Chemicorum nomen affectare, Dogmatica enim medicina eſt omnis illa quæ rationibus experimenta confirmat, indeque concinnans univerſalia, methodum medendi certam, rationi rectæ innitentem ſequitur: ex omni autem philoſophia transferre in artem quæ idonea videntur, ſemper eſt liberum: Nec alia hæc cenſenda eſt, & veteri illi oppoſita; quam illuſtrat tantum, & emendatiorem reddit, non item evertit & peſſundat, quod quibusdam imperitioribus videtur.

Conf. Galeni I. lib. de Opt. Sect. Transfig. empir. & reliquos ejus claſſ.

XXII. ✲ *Jatro Mathematicorum.* Hujus ſectæ, quam ineptiſſimum inſtitutum vocat, auctorem Crinam quendam Maſſilienſem facit *in Porticu Æſculapii Laurembergius*, idque ex Plinio

L. XXIX.

L. XXIX. Hist. Nat. cap. I. qui videtur hanc partem medicinæ ulterius excoluisse. Ipsam enim ejus originem ab Ægyptiis superstitiosissimo ad insaniam populo fluxisse constat, qualem fuisse *Libro de Hermetica Medicina I. c. 10.* recte auctor docet, & vere, quicquid Olaus Borrchius contra moliatur. simul etiam ostendens quid ea in re præstiterint. His Jatro mathematicorum placitis & nostri temporis medici nonnulli, iique non ex postremis visi sunt adhæsisse, quod post solidam adeo confutationem Comitis Mirandulani aliorumque, haut injuriâ mireris. Verum isti fortasſis fallaci experientia aut Paracelsi doctrina in errorem ducti fuere: Is enim nusquam non cœlum & astra crepat, Præfat. & ex quatuor columnis medicinæ hanc unam esse contendit. in paragrana. Quemadmodum ejus deliria, si cui sit volupe, magnam partem legi possunt in *Paragran. L. II.* Tametsi vero eruditi illi viri quam longisſime ab his recedant, non nisi vulgaris Astrologiæ præcepta sequentes, & vel cœli faciem, qualis nativitatis tempore extitit, vel etiam Lunæ phases observare jubeant, tamen & hæc vanisſima esse, non est dubitandum, postquam ipsi Mathematicorum Coryphæi causam hanc deserunt, & adversus illa omnia alta voce clamant: ut nuper celeberrimus suo merito, *Erhardus Weigelius Jenensis Academiæ Professor*, quo & olim doctore usus sum, Libro de Cometis lingua vernacula edito & *Joh. Christophorus Sturmius* incomparabilis ingenii vir & Noricarum Musarum decus, dissertatione lectu dignissima de Influxu stellarum. Etsi vero hic vir doctisſimus Lunæ aliquam adhuc vim concedat, quibusdam Medicorum & Physicorum experimentis in id inductus: cum tamen ista ex illorum sint genere, quorum vel fides vacillat, vel consequentia inde tracta incerta est, etiam huic sideri, proprio præsertim lumine destituto potestatem in humanam valetudinem licebit abrogare. Unum tangemus ex maxime jactatis argumentum: quod nimirum Epilepticis infensum dicitur, quoties orbe pleno lucet, aut obversa altera facie, umbra sua obvolutum in tenebris latet. Hæc autem ipsa inconstantia, quodque idem effectus est in eundem locum, & cum luce fulget tota, & ubi nulla, satis ostendit,

nihil illius radios conferre ad morbum. Præterea, cum prorsus abest, & cursum suum flexit ad antipodes: qui potest in nostrum hæmisphærium influere? Non autem de die tantum, sed etiam noctu conjunctio Luminarium accidit, respondente in terris putatitio effectu: Deniq; cum sæpe secundo demum, nonnunquam tertio post conjunctionem die primam in Luna phasin notari constet, epileptici vero ipso momento novilunii periclitentur: an non sole meridiano clarius est, à radiis ejus influentibus quos tum nullas ad nos reflectit, neutiquam id pendere? Ais: tamen experientia constat, id tum pati epilepticos. Respondeo: Multa simul sunt, quorum alterum alterius causa non est: Et cur non in omnibus epilepticis, sed paucissimis morbus hanc servat periodum? Quidam ex vicinia mea opera utens, dum hæc scribo, mihi narratum venit, se durante hoc æstu intolerabili, bis terve per hebdomadem correptum esse paroxysmo suo, cum alias unica vice soleat affligi: nunc ubi remisit calor, ac temperata est aeris regio, redit ad genium morbus: qui igitur hic Luna vim suam non exercuit & suum hominem à solis imperio vendicavit? Sed de his alibi pluribus forte dicemus nunc non est iis insistendi locus.

XXIII. ✠ *Joannes Baptista Helmontius.* Helmontio multum debemus, quod philosophantium sui ævi errores acriter perstringendo, atque impugnando, excitavit torpentia ad naturalem philosophiam ingenia, & post Verulamium ad experimenta à nugacissimis quandoque ratiocinationibus revocavit: In quo tanta usus est libertate, imo licentia, ut ne Magistri sui Paracelsi principiis tribus, aliisque vanissimis, parceret, sed hujus pariter atque Aristotelicorum ac Galenicorum doctrinam traduceret palam, licet illi in aliis quam arctissima conjunctione adhæreret. Sed multa sane etiam in ipso reperiri de quibus jure conqueramur, dissimulari non potest. Cumprimis vero perversa illa novam philosophiam & sectam condendi libido, cui tamen rei minime erat par, etsi excellenti ingenio præditus, & in philosophia non leviter versatus; non quidem sana illa antiquorum & veterum, sed qualis tum in publicis aut Romanæ

potius Ecclesiæ Monasticis Scholis docebatur, quæ ab illa quam diximus mirum in modum desciverat. Hanc igitur, sui juris factus, cum multa inepta & ab usu aliena in illa reperisset, repudiavit, & præceptorum suorum sententias pro Aristotelicis habens ac venditans, Aristotelem continuo increpat, & mox, nondum percepta ejus mente, quicquid ab ipso aliisque antiquis profectum est, omne sine discrimine damnat, quum tamen non nisi superficietenus eorum opera inspexisset, ut solent fere, qui spernunt auctores & præjudiciis occæcati ad lectionem accedunt. Quod exemplum secuti deinde omnes ejus Asseclæ, tanquam impostorium & ridiculum, omne quod veterum saperet scholas oderunt: Usq; adeo, ut quorundam falsitate deprehensa, non dubitarent omnia rejicere, novis quidem, sed veteribus nihilo melioribus, imo pejoribus multo principiis artem denuo corrumpentes. Neque cum Medicorum Scholis multo egit melius, aut meliore fide quam cum Aristotele Helmontius: Nam & his sæpe ea tribuit placita, acriterve exagitat, quæ tamen communiter recepta non sunt, sed quorundam tantum doctorum ideoque ab aliis dudum ante Helmontium rejecta & explosa, idque nonnunquam iisdem quibus ipse utitur argumentis. Quod autem ad suam doctrinam attinet, ita fere statuit: Esse rerum omnium undique dispersa & vel certis locis affixa, vel ex iis ubique terrarum propaganda semina, quæ in semine vegetabilium & animalium vulgo ita dicto, tanquam in siliqua lateant. In his vero esse quendam Architectum, quem Archeum vocat, qui generationis dirigat opus, deinde vero perpetuo in corpore præsideat, & actiones omnes pro sua phantasia vel bene vel male faciat administrari; sed præter hunc esse alium etiam Archeum influentem, & denique unicuique parti insuper proprium: Horum vero singulis tantum non aperte attribuit Intelligentiam, vult tamen ab anima & intellectu esse diversos, prout ea omnia est legere Libris *Causæ & initia naturalium, Archeus faber, & aliis passim.* Docet præterea, principium omnium rerum esse aquam, quæ seminibus modo laudatis imprægnata ab Archeo varie immutatur; quod discimus ex *Progymnasma-*

gymnasmate. Hoc semen, in quo Archeus, etiam fermentum quandoque vocat, & esse in sulphure, vult persvasum omnes autem rerum proprietates, qualitates medicamentorum, aliasque, non materiæ conditionibus, sed seminali vi, atque Archeo fert acceptas, & in his solis acquiescit. In quibus, tametsi sunt aliqua, modo recte explicentur, toleranda, pleraque tamen sunt nugæ nugacissimæ, & nullatenus in scholis ferendæ. Quid enim est, magnum ignorantiæ asylum constituere si hoc non est? Neq; est quod posthac de investigandis rerum causis quisquam sit sollicitus, sed sufficit nosse ab Archeo procedere: aut si adhuc magis recenti delectetur vocabulo, ejusdem tamen ordinis, ab Ideis seminalibus. Quo semel admisso, in brevem epitomen contracta Physiologia, Pathologia, Medendi methodus, & Pharmaceutica sex mensium spatio perdisci vel doceri posse, non est dubitandum, solis experimentis deinde ulterius excolenda. Ut autem Helmontius hæc ita prodere sit ausus, deinde tamen veritate convictus, longe aliter ipse ea exponit non raro, & omnem logicam, imo ipsam rationem tanquam fallacem proscribens, ex ipsius tamen legibus optime ratiocinatur. Verum & medicamentis nonnullis haut rejiciendis auxit pharmaciam quamvis nonnunquam & hic vano promissionum hiatu superstitiosa quammulta, & anilia laudare, & in immensum extollere soleat, earumque virtutes perquam-ridicule explicare. Ut igitur negandum non sit, multa egregia in ipsius libris haberi, magno tamen cum judicio, nec tyronibus legendi sunt, verum iis, qui jam tum veris artis principiis & ratiocinandi facultate sunt instructi: Multa enim habet, quibus facile capiuntur incauti lectores, cum nihil minus quam solidi quicquam iis subsit. In Physiologicis & Pathologicis præsertim misere artem nostram laceravit, & sunt in medio ejus absurdissima dogmata, in quibus familiam ducit Archeus iratus, & tanquam Ἄρχων ac princeps cohortem detestabilem præcedit. Fuit enim in corporis humani cognitione prorsus puer, citra quam nec Physiologia nec Pathologia sibi potest constare: ut meritò qui tantum ridet Galenicos, ipse ridendus hic plerumque sit, & explodendus.

✽ ✽ *Sese per ignem Philosophum nuncupare.* Cur se philosophum per ignem appellitet, erui potest ex libro cui titulus *Philosophia Aristotelis & Galeni ignara,* ubi hæc leguntur: *Natura sua metitur destillando, irrigando, siccando, calcinando, resolvendo, iisdem plane mediis quibus vitra ejusmodi operationes absolvunt, adeoque artifex naturæ operationes mutando, ejusdem proprietates & scientiam nanciscitur. Nam utut naturale ingenium & acumen judicii philosophus habeat, nunquam tamen ad rerum naturalium radicem, aut radicalem scientiam admittitur sine igne.* Et hæc quidem nova sententia novusque philosophandi modus, quem ex insana Paracelsi schola hausit Helmontius, permultos ex sequentium medicorum ordine ita affecit, ut omnibus reliquis experimentis posthabitis, & prope relictis per solas chemicas operationes ad notitiam totius philosophiæ naturalis adspirare non dubitaverint. Ut autem, quod in fine Helmontius dicit, ex parte tantum verum est; ita quod primo loco, falsissimum. Sane omnia illa quæ ignis beneficio ex rebus producuntur, in iis formaliter extitisse qui credunt, mirum in modum falluntur: adeoque philosophi illi per ignem nihil minus sunt quam philosophi.

Vide Paramiri L. I. De origine morborum ex tribus substantiis.

✽ ✽ ✽ *Multum certe fallitur qui ejus credit jactabundis vocibus.* Etsi non negem, satis ingenuum & veritatis studiosum se sæpe præstare Helmontium, tamen ubi se jactat, supraque omnes extollit, & ubi agit de circulato Paracelsi, Alcahest, & similibus, nullius fidei eum esse, certissimum est: ut demirari subeat magni cujusdam viri de eo sententiam: nunquam se quicquam falsi in ejus libris deprehendisse. Sed hoc fortassis de experimentis illis quæ aperte describit, voluit intellectum: De cœteris aliter ipse Tachenius, qui in epistola de liquore Alcahest, quam publicavit Helvicus Dietericus, satis ni fallor manifestum fecit, eum alcahest suum, de quo tantum gloriatur, nunquam possedisse.

XXV. Fœcunda vero admodum fuit Helmontii Schola: Quum enim chemica studia professus, philosophiæ suæ novæ subinde ex iis præsidia quæreret, quorum indagatio jucun-

ditatem quæstuoso ac utili labori jungebat; veterum vero illa ratio & senio ipso fastidium haberet, & admodum sterilis videretur, plurimi in ejus castra transiere, sive jam omnia viri aperte probarent & venerarentur, sive aliqua tantum: Hinc mira sententiarum diversitas. In hac vero demum *Franciscus de le Boye Sylvius*, ut se traducto ex corrupto Gallico idiomate in latinum nomine videtur appellasse, Lugduni Batavorum eminere cepit: vir alioquin non indoctus, nam imbutum veteri disciplina animum à præceptoribus retulerat, à qua dein sensim recedens, cum lectionem veterum neglexisset, cepit in illum errorem induci, ut omnia observata sua putaret esse nova, cum tamen partim in libris jam extarent, partim autem à nemine non facile observarentur. Hic multa in arte immutavit, maxime quod ad viscerum liquorumve spectat rationem. Prima & ipsi occasio partim ex Helmontio nata videtur, potissimum tamen ex Guidone Brosseo, Botanico Regio Parisiensi, cujus cum in librum de plantis & illarum facultatibus ex principiis Chemicorum explicandis forte incidisset, illius ita placuit doctrina, ut iter ad eum in Galliam susciperetur ejus addiscendæ causa; prout id sæpius auditoribus suis solebat referre, illumque librum mirum in modum iis commendare. His igitur ex asse subscribens, per Chemiam unice explicandas esse actiones non plantarum tantum sed & viscerum contendit, idque docuit aperte *Disputat. Medic. II, 8.* ubi ait: *Chymiam primariam esse mutationum naturalium artem, in quibusdam naturam ipsam superantem, atque Physicæ scientiæ, ut & Medicinæ solidæ construendæ perutilem ac unice necessariam:* Quod nil aliud est, quam ipsius Helmontii assertum illud de quo diximus; idque adeo, doctorem nactus improbum, & in celebritate ac luce constitutum, radices egit, & immensum mox habuit applausum; minime tamen diuturnum. Cum enim clarissimus vir huic innixus principio, physiologiam non modo, sed pathologiam quodque ad chemiæ leges revocare laboraret, duplicem post alia effervescentiam in corpore constituit concurrentis cum lympha (quam acidam perhibebat) alcalicæ suo sensu bilis. Primam in duodeno, alteram in dextro cordis

cordis sinu: Hinc plerosque morbos, præcipue autem febrium omne genus, quoties vitiose hi pugiles concurrerent, mortalium corpora affligere. Non magnis rerum documentis utebatur, sed ad sensuum testimonium, quod tamen nondum satis exploratum habebat, provocabat. Itaque mox duos adversarios habuit insignes viros, qui nascentem opinionem in herba supprimere ceperunt. *Ludovicus Le Vasseur* primus & mature ex Gallis reclamavit, epistola, sed prolixiore, docta, eleganti, quam *de Sylviano humore triumvirali* inscripsit, quod pituitam vocaverat Sylvius in partes, eoque nomine ipse erat usus. Alter fuit *Janus Laonicenus*, quo sub nomine latere tum voluit vir quidam ingenio atque eruditione præstantissimus qui, cum sal oleosum volatile divinitus revelatum Sylvio non crederet, ob eam rem probris lacessitus, injuriam acri stylo vindicavit, & paucis etiam hujus dogmatis vanitatem tetigit: sed cum interim, sub prælo sudante opusculo, Sylvius intermoreretur, adversus discipulum & dogmatis ejusdem propalatorem novum, Regnerum de Graef ingeniosissimum scriptum direxit, ne videretur mortuo Leoni insultasse. Seduxerat autem & Sylvium fallax chemiæ studium. Nam haut procul à vero abest Doctissimi Vasseurii censura: *Factus de Spagyrico medicus, idem semper in medicina garrit quod in chemia profitebatur: salia fixa, volatilia, acida, spiritus, effervescentiam, τὴν ὕψους ἀνάπεμψιν, præcipitationem: quasi in his solis medicina quanta quanta est, constituta resideret.* Hoc igitur pacto Helmontii illud dogma propagatum apud Batavos, & exemplis illustratum est. Sed præter hoc aliud, haut æque ab omnibus forte animadversum doctrinæ Sylvianæ vitium subest, saltim exemplo nocentissimum. Nam spretis apodicticis argumentis de quibus desperabat, probabiles sententias & ex ingenio fictas pro veris obtrudere, & super easdem methodum medendi ipsam construere, primus ni fallor est ausus, ideoque à juvantibus & nocentibus magnam indicationum partem arcessere opus habuit, cum de pathologia, in qua tamen alias satis egregium nonnunquam se gessit, non satis constaret. Hoc deinde malum instar maligni ulceris late serpsit, dum nunc

quisque præsidiis ἀποδείξεως non satis instructus, sufficere ratus quod posset peregisse, ex levi conjectura aut axiomatibus nondum satis certis conclusiones quascunque ingenti libertate extorquet. Sed ut de chemicis illis argumentis una hac vice depugnemus, & pauca prioribus superaddamus, non recedimus ab ibi jam lata de philosophis istis per ignem sententia. Licet enim non omnia ejus adminicula sint repudianda, imo permulta quæ fiunt in corpore plurimum lucis inde admittant, caute tamen hic procedendum: Non bene ripæ creditur, nec ad leges chemicas natura se patitur constringi. *Si medicinam undique oppressam* (verba sunt supra laudati Vasseurii) *abominando exemplo, administræ πυροτεχνίᾳ, colla jugo præbere cogimus*, actum est: monstrum pro medicina brevi daturi sumus: *Est namque varia, & diversa adeo in parandis operibus secreta hæc unde manant omnia, vis & potestas, ut latentia ejus miracula manifestis illis molіminibus mancipare sæpe per delirium non minus existat ac Æthereos orbes orbi nostro conferre*, ut loquitur alibi medicus quidam acutissimus. De Sylvio autem non dissimulandum, manere & hunc suas laudes, easque eximias. Multa enim peregregia quoque in operibus ejus habentur, ut Disp. I. De actione ventriculi, V, 7. de Liene, &c. Nam egregius fuit anatomicus, & ex dissectione corporum pathologiam non parum illustravit: Quare & Praxis ejus cum fructu juventuti potest legi: ubi etiam medicamenta subinde describit non contemnenda. Eandem vero Pathologiam etiam non parum corrumpit, falsa sua de bilis ex vesicula in hepar & sanguinem ascensione. In qua tuenda, mira ejus post explosam tot firmis argumentis constantia videri posset, cum alias velit videri veritatis præ cæteris studiosus, & pertinaciam illam in aliis damnet, quam in se perspicere nequivit. Majorem vero chronicorum morborum quam acutorum peritiam sibi videtur aquisivisse. Pharmaciam novis accessionibus auxit: in quibus est sal volatile oleosum illud, celebratum omnibus, & undique jam prostans, laudatissimum remedium: cujus licet propriam sibi descriptionem reservavit, ac post fata etiam testamento non nisi uni communicatum voluit, non tamen

desunt

desunt nobis imitationes à primo illo nullatenus aut perparum diversæ; ejusdem sane virtutis. Sed relicto tandem hoc viro docto, ad alterum transeamus, qui merus chemicus, non minorem ferme novo dogmate nominis famam adeptus est.

XXVI. Ottonem Tachenium dico, qui ex pharmaceutico ministro repente chemicus factus, cum natione esset Germanus, exteras regiones patriæ præferens, Venetis tandem domicilium collocavit. Is igitur, ne latum unguem ab Helmontiano asserto recedens, ejusque vestigiis de chemico rerum ortu insistens, publicato tandem gemino libello, Hippocraticæ medicinæ nomen prætendens, docere ausus est, omnes res naturales ex acido & alcali compactas esse. Acidum enim in aëre à sole generari, & occulta in se habere omnium rerum semina seu animam, (ut Paracelsicum dogma agnoscas) sibi porro alcali associare, & ex eo, tanquam subjecto passivo seu materia, pro seminis ratione quod contineat, quod fingere datur efficere, hinc Esse rei, ut cum scholis loquar, & formam manare: prout discere est ex *Clave Hippocratis Chemici capite potissimum sexto.* Quo autem majorem Pyrothechniæ suæ conciliaret auctoritatem, omnes in rerum natura obvias fermentationes ad chemiam reducere voluit (quem tamen insignem errorem ipso longe doctiores quoq; erravere) stolideque asseruit, Naturam citra chemiam ne unum ex terra granum posse producere: Mirum vero si non à Tachenii magistris ipsa etiam hausit istam scientiam! Sed illa tam absurda ejus doctrina quam recens, etsi nihil vel similis veri præ se ferret, suos tamen invenit admiratores; quo appareret, nihil tam à veritate alienum posse cogitari, quod quia est novum, non aliquem applausum inveniat: quamvis reapse nova hæc non sit omnino; sed recocta ex veteri Platonica philosophia crambe de spiritu mundi seu universali, nova larva induta. Sed quia ad experimenta quædam chemica, tanquam ab ipso Apolline constitutum tribunal causa hæc agebatur, continuo victoriam retulisse visus est, nec vulgus eruditorum tantum, sed eos etiam pertraxit in sententiam, qui inter doctissimos connumerabantur. Non autem consilio, aut deliberato animo

Helvec. Dieteric. post Ep. Tachenii Hamb. editam. Hippocr. chymicus & clavis Hipp. Ch.

impulſus hæc orbi literato communicavit, ſed laceſſitus, & ex Joh. Zwelferi ad Auguſtanam Pharmacopoeiam annotationibus anſa arrepta. Cum enim is, olim amicus & ſocius fortasſis laborum, ſal volatile viperarum, cujus ſe auctorem dicebat Tachenius, quodque arcani ſpecie plerisque in morbis commendabat, indeque lucellum facere conſueverat, contemtius habuiſſet, id male urebat hominem, hincque natum eſt nobis tam egregium totius artis omnisque naturalis philoſophiæ augmentum, & quod ipſa nobis natura negabat, fecit indignatio Tachenii. Primum autem ſuſpicionem ſalis volatilis abundantia movit, idque non ſoli Zwelfero. Cum enim tantam ipſius copiam in alias regiones quotannis mitteret, ut omnes totius Italiæ viperæ ipſi parando ſufficere non potuisſent, ex alio quam viperis eſſe, fucumque hunc facere primum prudentiores ſubolfecerunt. Uti vero nonnulla ſunt chemica in ejus libris experimenta non omnino contemnenda; ex quibus eſt ſalium in Merc. ſublimati ſolutione præcipitationis varietas; ita non ſine indignatione quisquam cordatiorum intelligat, noviſſimo iſti invento nudius tertius nato, antiquiſſimi artis antiſtitis nomen prætexi. Sunt enim in manibus Hippocratici libri, in quibus nihil tale extat: nihilominus, poſtquam ibi reperiſſet Tachenius, res omnes conſtare ex aqua & igne, perſuaſum voluit, acidum & alcali per ea intellecta auctori; cujus rei non ullum argumentum adfert, ſed ſibi pie credi poſtulat: qua docendi ratione nihil poteſt ineptius fingi. Sed in cæteris quoque, etiamſi ſingulis fere paginis, ſuum (ſic loquitur impudens) crepat Hippocratem, illum tamen non magis intelligit quam Græce. His vero ſe tandem oppoſuit egregio conatu Lipſienſis Academiæ decus, *Johannes Bohnius*, & edito libello, *de Acido & alcali inſufficientia*, rei vanitatem monſtravit, mox etiam alio, *de aëris in ſublunaria influxu*, parvo itidem ſed erudito, ſpiritum illum univerſalem, novum ut ipſis quidem videtur, chemicorum commentum oppugnavit: Promeruit autem utroque vir eximius, ut illuſtri poſterorum laude perpetuo celebretur. Poſt Tachenium ſcripſit quidem etiam de alcali & acido *Bernhardus Svvalve*,

Medicus

Medicus Amſtelodamenſis, ſed ludicro fere ſtylo, & oratoris in morem utramque in partem diſputans, ex quo parum roboris Tachenii deliriis accedit: Uti viciſſim poſt Bohnium noſtrum Boylium ejusdem argumenti librum edidiſſe inaudivi, quem pro more autoris valde egregium eſſe non dubito. Sed ut ad Tachenium redeam, fuit ille alias, uti doctrinæ analyticæ, ita rei medicæ & præſertim anatomicæ perquam ignarus: Hinc in probando acido occulto in rebus omnibus, nunquam non committit petitionem principii. Erat vero & audaciſſimus, ut non vereretur in illuſtri convivio ſummorum virorum, præſente etiam Conringio noſtro, de Pancreate ſuſtinere, viſcus eſſe non carneum, ſed cartilagineum: prout ille ſolebat non ſine delectatione ſæpius tam pulchrum certamen referre.

XXVI. Ex his apparet ni fallor, etiamſi haut parum commodi ſegnitiæ & ſocordiæ noſtrorum flagella iſta rei medicæ attulerint, exſuſcitando torpentia ingenia; omnem tamen illam utilitatem longe ſuperari damno quod ad ſcholas inde emanavit: Immani illa puta pro lubitu quidvis fingendi licentia, nec res tantum, ſed vocabula innovandi cupiditas, qua nihil magis peſtilens aut perniciosum in literato orbe eveniri poteſt: ut veriſſima ſint quæ Wolfgangus Hæferus præfatione in Herculem medicum in eam conſuetudinem prolixe effudit, ex quibus ſequentia excerpimus: *Deteſtor modernam, ſcribendi dicam an decipiendi obſcuritatem & perverſum docendi genus, quod nihil doctrinæ ſolidioris præ ſe fert, ſed callide ad tegendas mille contradictiones & ineptias ſcientiæ talis divulgatores peregrinis, & plane abſurdis vocabulis utuntur, & terminos ſuæ artis vel in omnem formam, Proteo magis variegatam torquent, vel ambiguis definitionibus & circumſcriptionibus ſcripta ſua obſcurant, finguntque ſibi philoſophiam novam pro cujuslibet ingenii & libidinis proprio argumento. Hinc in ſcenam prodeunt* Archei: *hinc exſurgit & furit* Gas & Blas *& magnum illud monſtrum* Magnale, & quæ ſequuntur: ſunt enim plura. Et hoc tum quidem inter initia levius erat malum, & facilius ferendum, quod id viri & ſeniores auderent: nunc adeo factum pene intolerabile, ubi vix juvenis in palæſtram academicam deſcendit, quin aliquot novis & in-

auditis

auditis antea ſententiis theſes ſuas exornare ſatagat: quod ſi cum ratione fiat, id eſt receptis ac ſolidis principiis innitatur, non damnandum quidem eſt, cum potius laudem mereatur verecunda & pudoris non oblita philoſophandi libertas. Sed ubi hæc perfregit clauſtra, & per omnes campos vagatur, ipſaq; fundamenta ſubruit, non obſcurum eſt quantas turbas expectare oporteat, nec eo pacto promotas, ſed peſſundatas iri ſcientias cum illam ætatem dogmatis condendis minus aptam eſſe, nemo non videat: Aliter profecto olim ſentiebant, cum de eo etiam dubitabant, an perdiſcendis artibus illa idonea ſit, & cohibere non docendi, ſed percontandi & diſcendi cupiditatem tyrones jubebantur. Nunc autem, quo pacto cohibeant fervida ingenia, cum videant doctores & ductores ſuos non modo quotidiè in eo ipſosmet unice occupari, ſed & ipſis de eo nomine applaudere, & quidvis permittere, imo calcar addere. Quibus ita contingentibus, quis, omnes immenſo labore enarret excutiatve ſententias? Quin potius filum abrumpo, & fata meliora tandem arti noſtræ apprecatus, laſſus ac fatigatus me ad quietem compono, illuſtri auctori locum dicendi relinquens.

CAPUT III.
DE
ORIGINE ET PROGRESSV MEDICINÆ, PRÆCIPVISQVE EJVSDEM SCRIPTORIBVS.

THESIS I.

CÆterum non abs re fuerit, ſi hæc explicatius adhuc tradiderimus, omnemque Artis noſtræ rationem à prima & antiquiſſima ejus origine ad noſtra usque tempora deducendo perluſtraverimus. Ita enim clare patebit, quomodo illa ſeſe ſemper habuerit, quasve mutationes acceperit, quique laudem in ea fuerint conſequuti.

II. Et

II. Et primum quidem ejus auctorem inventoremve quod attinet, de eo magna est inter scriptores dissensio, Diodorus Siculus, scriptor diligentissimus, *lib. 1. c. 2.* Mercurium; Plinius *lib. VII. cap. 15.* partim Ægyptios, partim Arabum, Babylonis & Apollinis filium; *libro* vero *XXIX. cap. I.* Deos in genere; nonnulli Orum sive Apollinem; alii Æsculapium; alii denique alium hoc nomine venerantur. Quicquid vero sit, haud injuria forte dixeris, ubivis terrarum illam aliqua ex parte fuisse, & nusquam tamen hactenus fuisse integram. Apud Æpyptios tamen pene primo omnium illam magis solito cultam, extra dubium videtur esse. Certe apud eos in pretio jam tum antiquissimis temporibus fuisse constat: utpote cujus in historia sacra Jacobi clara memoria extet. Quod autem in illos, quos modo memoravimus, inventio ejus referatur, sine dubio inde est, quod sive inter reliquos peritia medendi excelluerint, sive eorum unusquisque aliquid de novo ad Artem addiderit. Qua de re cum alii tum Thomas Dempsterus in *Paralipomenis ad cap. XVII. lib. II. Antiquit. Rom. Rosini*, si res tanti est, videri possunt. Nimirum sicut omnium rerum prima initia valde tenuia esse solent: ita *Medicina quondam paucarum fuit scientia herbarum, quibus sisteretur fluens sanguis, vulnera coirent paulatim;* quæ *deinde in hanc pervenit tam multiplicem varietatem: non minus quam cæteræ artes, quorum in processu subtilitas crevit*, quod præclare notavit sapientissimus Romanorum, Epistola XCV. Ægyptiis itaque prima Medicæ Artis gloria non potest denegari. Quin immo in tanta apud exteras nationes propterea existimatione fuerunt, ut Gryllus apud Plutarchum in hanc vocem eruperit: Τοὺς μὲν Αἰγυπτίους πάντας ἰατροὺς ἀκούομεν εἶναι. Quemadmodum hoc jam dudum præclarissimi & omni laude majores viri, Joannes Langius *lib. II.*

Epist. 2. & Thomas Erastus *Oratione de Medicinæ laudibus* & nuper etiam nos *lib. de Hermet. Med. cap. IX.* observavimus. Quamvis autem Medicinæ peritia nomen Ægyptii invenerunt, laudem tamen in plurimis neutiquam meruerunt. Partim enim rudis illa fuit, partim inepta, partim etiam, & quidem potissimum superstitione & Magica impietate, supra modum infecta. Quod ipsum primi dicto libro *cap. X. & XI.* fusissime juxta ac luculentissime erudito orbi ostendimus. Quo eodem opere præcedentibus aliquot capitibus, quid de Hermete Trismegisto, cui Medicinæ inventionem vulgo etiam attribuunt, sit judicandum, adeo clare demonstravimus, ut in tanta luce nihil amplius sit, quod quenquam morari possit.

III. Ab Ægyptiis porro ad Græcos Medicina pervenit: è quibus Trojanis temporibus, teste Plinio *lib. XXX. cap. I.* primus Chiron Centaurus Saturni & Phylliræ filius Medidica arte celebris fuit. Fuit autem medicina ejus Herbaria & medicamentaria; quam etiam ab eo inventam volunt, auctore eodem Plinio *lib. VII. c.56.* quamque etiam ab eo Heroas didicisse Auctor *Introductionis cap. 1.* refert. Chirurgicam medicinam illum insuper instituisse Julius Hyginus *cap. 274.* commemorat. Unde verisimiliter etiam ulcera ægre curabilia Chironia nuncupantur.

IV. Ab hoc cum alias artes tum etiam Medicam Æsculapius, Apollinis & Coronidis filius, edoctus fuit. Quanquam Diodorus Siculus *lib. VI. cap. 15.* plura ab ipsomet patre suo in Medicina illum percepisse, & eum primum ab Apolline patre institutum medicinam hominibus tradidisse, *Auctor Introd.* scribant. *Adeo autem medicinæ artem extulit, ut velut ejus inventor & auctor veneretur;* ut ibidem tradit Diodorus. Hinc etiam *Chirurgiam, & medelarum compositionem, radicum insuper virtutes adin-*

venisse

venisse dicitur. Quin *adeo peritia Artis excelluit*, eodem Diodoro lib. V. cap. 9. narrante, *ut quam plurimos desperantes sanitatem liberarit à morbo: proptereaque creditus sit nonnullis defunctis vitam restituisse.* Immo, *quoniam adhuc rudem & vulgarem hanc* (Medicam) *scientiam paulo subtilius excoluit*; vel, ut *Auctor Introductionis cap. I.* loquitur, quandoquidem *perfectam Medicinam & omnibus numeris absolutam, nimirum divinam, Æsculapius solus invenit:*
* *in deorum numerum receptus est;* uti post alios recte Celsus in proëmio scribit. Unde etiam eundem *vetustissimum Medicinæ auctorem* appellat. Valde autem verosimile est, Æsculapium ab Ægyptiis etiam ad Græcos primum pervenisse: quod pluribus confirmatur. *lib. 1. de Hermet. Medic. cap. 11.* Pag. 13. cap. 14.

V. *Hujus deinde duo filii Podalirius & Machaon* (verba sunt Celsi) *bello Trojano ducem Agamemnonem sequuti, non mediocrem opem commilitonibus suis attulerunt.* Utriusque Homerus *lib. II. Iliad. v. 732.* inter classium duces qui ad Trojam militarunt his verbis meminit:

— — Ἀσκληπιοῦ δύο παῖδε,
Ἰητῆρ' ἀγαθώ, Ποδαλείριος ἠδὲ Μαχάων.

Qualis autem medicina illorum fuerit, ex eodem Homero *lib. IV. Iliad. v. 192. & seqq.* discimus, quando Machaon, quem

— Ἀσκληπιοῦ υἱὸν ἀμύμονος ἰητῆρος

& ἥρωα vocat, Menelaum à Pandora sagitta percussum curavisse scribitur. Scilicet *non in pestilentia, neque in variis generibus morborum aliquid attulisse auxilii, sed vulneribus tantummodo ferro & medicamentis mederi soliti* leguntur, ut recte Celsus annotavit. *Ex quo* etiam *apparet*, eodem observante, *has partes Medicinæ solas ab his esse tentatas, easque esse vetustissimas. Maximam* vero *ob id gloriam*

adepti sunt; quin *meritis eorum immunitas rerum omnium post bellum est concessa:* quemadmodum Diodorus Siculus *lib. V. cap. 9.* narrat. Hinc est quod Podalirio etiam sacra ædes fuerit erecta: quod ex eodem Diodoro & aliis antiquis scriptoribus constat.

VI. Iisdem vero temporibus etiam fœminæ Medicinam cum laude fecerunt. Qualis fuit Agameda,

ἣ τόσα φάρμακα ἤδη ὅσα τρέφει εὐρεῖα χθών.

sicuti de ea Homerus *lib. XI. Iliad. v.740.* canit. Helena etiam pharmacorum miscendorum peritiam, quam à Polydamna Thonis regis Ægyptii uxore acceperat, habuit; uti apud eundem *IV. Odyss. v. 220.* videre est. Talis etiam fuit Medea, talis Circe, talis Crocodice apud Ælianum. Quanquam pleræque harum Magicis artibus potius quam Medicinæ notitia insignes fuerunt. Notum scilicet est, quomodo superstitionibus illis magicis divina Medicina jam ab illo tempore temere fœdata sit. Quod ipsum toto *capite primo lib. XXX.* Plinius ostendit. Quin plerosque istorum temporum sive Medicos sive qui alias pro sapientibus habebantur, Magiæ p. 103. operam dedisse, & hujus ergo addiscendæ in Ægyptum, ubi & seqq. quam maxime floruit, profectos esse constat. Qua de re meretur adiri *l. 1. de Hermet. Medic. cap. XI.*

VII. Ceterum ut ad Æsculapium redeamus, *successores ejus Medicinam veluti hæreditario jure acceptam posteris tradiderunt*, ut Auctor Introduct. cap. 1. scribit. Inter quos Hippocrates *omnibus facile præcelluit, primusque perfectam apud Græcos Medicinam in lucem protulit*, eodem teste. De quo anteaquam agamus, in antecessum monendum est, tres Medicas scholas ista ætate quam maxime fuisse insignes: Coam, Cnidiam, & Siculam. Et Coa lib. 1. quidem inter reliquas eminuit; cui *plurimos* etiam *atque* Meth. med. c. 1. *optimos discipulos fortunam contulisse* Galenus testatur.

Dicta

Dicta ita ab insula Co. quam Æsculapio dicatam fuisse *lib. XXIX. cap. I.* Plinius memorat. Ab hac Cnidia, Galeno teste, proxima fuit, quod in Cnido insula coleretur. Hæ sunt duæ illæ celeberrimæ scholæ: inter quas tamen male convenit, quemadmodum id ex Hippocratico libro contra Cnidias sententias constat, licet ambæ ex familia Æsculapii oriundæ essent. Galenus *l. c.* scribit, *non parvam litem eorum fuisse, qui in Co atque Cnido habitabant, uti videlicet inventorum multitudine reliquos superarent.* Tertia Sicula fuit, quæ partim empiricorum placitis adhæsit. Empiricis tamen potissimum addicta fuit. Præfuit enim inter alios etiam illi scholæ *Acron Agrigentinus*, celeberrimus ille auctor Empiricorum. Videtur autem ad hanc scholam etiam Italica pertinere, quam *in non parvo pretio habitam fuisse* ibidem Galenus commemorat.

IIX. Ex tribus his scholis commemorandus jam nobis est *Hippocrates*

— Κώων ἀνδρῶν,

primus ex omnibus memoria dignus, quique Celsi judicio *a studio sapientiæ disciplinam hanc* (Medicam) *separavit; vir & arte & facundia insignis.* Tantis autem laudibus Hippocratem post sequuti affecerunt, ut divino propemodum honore ipsum condecorarint. Notum est illud Suidæ: Ἀστὴρ καὶ φῶς τῆς βιωφελεστάτης ἰατρικῆς: qui de ejusdem etiam Aphorismis non dubitavit pronunciare, ipsos ἀνθρωπίνην ὑπερβαίνειν σύνεσιν. Quin Galenus *ab illo nihil perperam scriptum* affirmat, & vocem ejus ὥσπερ Θεοῦ accipit. Quod tamen encomium *non sine salis grano intelligendum* recte monuit insigne illud quondam Altorffinæ Academiæ decus *Caspar Hoffmannus* in præclaris illis ad *libr. de Usu partium commentariis num. 35. & 36.* Verissimum tamen est, eodem Galeno *lib. de Atra bile c. 7.* judice, *Hippocratem virum*

[Margin: Præf. lib. I.]

[Margin: l. I. de usu part. c. 8. & 9.]

virum honestum, bonumque fuisse; non honoris, aut gloriæ, sed veritatis amatorem. Quamvis autem in tanto precio merito suo Hippocrates fuerit, non defuerunt tamen, qui Æsculapii fani accensi & remediorum annotatorum surreptorum optimum & integerrimum virum non erubuerunt incusare. Quos inter etiam *doctissimus Langius lib. 1. Epist. 51.* non dubitavit nomen suum profiteri. Verum hanc fabulam justa animadversione prosequimur, Hippocratisque famam liberamus *lib. 1. de Hermet. Medic. cap. XI.* Cæterum quare facundiam ipsi Celsus attribuerit, merito dubites: Ex scriptis sane ejus βραχυλογίαν potius deprehendimus. Nisi facundiam illud vocare velis, quod singulari quadam brevitate observationes suas potuerit exprimere. Unde etiam *Galenus l. 1. de Usu part. 9.* inter *alia viri hujus bona etiam hoc ipsum admiratu justum* esse existimat, *quod multa paucis verbis doceat.* Scripta tamen, quæ hodie Hippocratis nomine circumferuntur, non unius sunt auctoris. Id quod inde potissimum patet, quod unus liber alteri sæpe aperte contradicat, immo nonnunquam in uno eodemque libro complures contradictiones inveniantur, quem itaque consutum esse ex variis variorum auctorum centonibus, manifestum est. Quod utique certissimo indicio est, opera ista à varia manu esse profecta. Et sane jam Galeni ævo de nonnullis est dubitatum: quod tum ex aliis ejus locis passim, tum ex commentario secundo in tertium Hippocratis Epidemiorum & ex commentario primo in sextum videmus. Quamvis autem peculiari opere & Hieronymus Mercurialis & Ludovicus Lemosius censuram Hippocraticorum librorum instituerint multa tamen adhuc desiderantur hactenus nondum explicata. Doctissime tamen insuper etiam de Hippocratis libris Anutius Foësius vir præstantissimus scripsit. Non eandem autem laudem

Pag. 119.

omnia

* 1. omnia illa opera commerentur. Et Physiologica quidem
* 2. scripta, quæ sectione prima apud Foësium habentur, di-
gna lectu sunt, non tamen sine ratione admittenda. Ana-
tomica partim rudia partim etiam inepta sunt, Morbo-
rum scientificam cognitionem quidem interdum depre-
hendimus, rarius tamen. Similiter Therapeutica pauca
apud ipsum reperiuntur. Quin etiam ipsa medendi ratio à
Galenica multum abit. Chirurgici libri maxime Hippo-
* 3. crate digni sunt. Inter omnia vero Pathologica ejus ex-
perimenta usque adeo præclara sunt, ut simile quicquam
postea hactenus non sit natum. De quibus cum fusius jam
tum *Præfatione in observationes Salmuthi* à nobis sit actum,
lectorem eo remittimus. Cæterum omnium illorum
operum primam editionem, quanquam Latinam tantum,
* 4. procuravit *Janus Cornarius*, qui multam adeo operam in
Græcis scriptoribus vertendis collocavit. Post illum ea-
dem, & quidem Græco textu adjuncto, recensuit *Hiero-*
* 5. *nymus Mercurialis.* Quæ editio utut sic satis eximia sit,
neutiquam tamen meretur cum illa comparari, quæ cura
Anutii Foësii prodiit. Commentatus autem est in plera-
que Hippocratica ipse Galenus. Post quem ex antiquis
Erotianus quidam, homo Grammaticus τῶν παρ' Ἱπποκράτους
λέξεων συναγωγὴν composuit, quæ cura Henrici Stephani
evulgata est. Ex recentioribus non minori industria scri-
pta Hippocratica aggressus est primus *Jacobus Hollerius*,
* 6. vir certe insignis: quem sequuti sunt discipuli *Desiderius*
* 7. *Jacotius* & *Ludovicus Duretus*; quanquam ille plagii ac-
cusetur. Post illos iterum *Anutius Foësius* commemo-
* 8. randus venit, nec non *Mauritius Cordæus*, ut & *Joannes*
* 9. *Libautius*, quorum doctissimi labores in Hippocratem ex-
tant. Non silendus etiam est inter Anglos *Joannes Cajus*,
vir clarissimus, & rerum naturalium diligentissimus scrutator.

Quam-

Quamvis enim hic in omnia ejus opera non ſit commentatus, ſed plæraque tantum verterit; quæ tamen ſcripſit præclara ſunt, & digna quæ ab omnibus legantur. Sed & *Joannis Marinelli* optima commentaria in univerſum Hippocratem habemus. De reliquis Hippocratis interpretibus ſuo loco infra dicetur.

IX. Poſt Hippocratem filius ejus *Theſſalus* & diſcipulus *Polybus* Medicam artem quam maxime coluit: quorum ſcripta hodie tamen non extant, niſi Hippocraticis commiſta. Cujus notæ eſt *de natura humana* liber, qui Polybi eſſe jam tum olim multis viſus fuit, teſte Galeno *comment.* 5. in illum librum. Ariſtoteles etiam *lib. III. de hiſtor. animal. c.* 3. ex Polybo quædam de origine venarum memorat, quæ hodie in libro illo de Natura humana leguntur. Ante hos, & quidem Hippocratis ævo, cum quo etiam familiaritatem coluit, *Democritus Abderita*, inter Philoſophiæ ſtudia etiam Medicinam ſcriptis illuſtravit, quod ex Diogene Laërtio *in vita ipſius* diſcimus. Quæ tamen cum cæteris omnibus operibus interciderunt; niſi quod inter Hippocratica etiam nonnulla habeantur, quæ non injuria in Democritum poſſunt referri: quod etiam Andreæ Cæſalpino eſt obſervatum. Περὶ σαρκῶν certe liber non videtur alium autorem agnoſcere.

X. Circa eadem tempora Peripatetici Phyſiologiam ac Pathologiam excolere cœperunt, auctore ipſomet ſcholæ principe atque Æſculapii familia genito *Ariſtotele*, quem etiam Medicinalium duos libros ſcripſiſſe apud Laertium videmus. Iisdem veſtigiis inhæſit ejus diſcipulus & in ſchola ſucceſſor *Theophraſtus Ereſius*, uti & *Strato Lampſacenus*. De quibus quum *Præfat. in Obſervationes Salmuthi* fuſe ſit tractatum, hic actum agere vel illa repetere nolumus. Ariſtotelis ævo etiam *Glaucus* Medicus vixit; de cujus in-

jus infelici fortuna Plutarchus *in vita Alexandri Magni* scribit, illum quod in Hephæstione curando negligentior fuisset visus, à Rege in crucem actum miserabili morte vitam * finiisse.

XI. Post tempora Aristotelis porro Medicina multis in locis solito magis cœpit efflorescere; cumprimis autem Alexandriæ in Ægypto. De cujus scholæ celebritate ante omnia merentur expendi, quæ cum *libro de Hermet. Medic. cap. IX.* tum *dissertatione prima de Antiquitatibus Academicis* prolixe disseruimus. In Asia tamen apud Seleucidas præcipua tum existimatione vixit Erasistratus, de quo jam præcedenti capite egimus, quemque *maximum Medicum* appellat Plinius *lib. XIV. cap. 7. & circiter DC. annum urbis Romæ* vixisse refert. *Hic Antiocho Rege sanato C talentis donatus est à Rege Ptolomæo filio ejus*, quod idem Plinius *lib. XXIX. cap. 1.* & ex eo doctissimus Langius *Epist. ult. lib. III.* sub finem tradunt. Ejus σύγχρονος vel potius paulo inferior fuit *Herophilus*, de quo capite superiori itidem egimus: quibus illa adjungenda sunt, quæ *lib. de Herm. Med. cap. cit.* traduntur. Hic, sicuti & Erasistratus, peritia Anatomicæ præcipue excelluit: præterea autem cumprimis doctrinam de pulsibus, quanquam nimia subtilitate exposuit; sicuti infra in suo loco plenius recensebitur.

Herm. Med. p. 83. & seqq. Differt. p. 23. & seqq.

pag. 84.

XII. Paulo ante Servatorem ætate Magni Pompeji * Romæ vixit *Asclepiades Prusiensis*, (quem alium esse à Myrleano illo, contra Suidam *lib. de Herm. Med. cap. IX.* notavimus) *orandi magister: in qua arte* quum *non satis* esset *quæstuosus*, ad Medicinam *repente se convertit*; Plinio teste *l. XXVI. c. 3.* Hic in Physiologicis partim dogmata Epicuri sequutus fuit, partim ipse nova induxit. Ipsam vero curandi rationem usque adeo immutavit, ut novam

pag. 84.

sectam condiderit, de qua superiori capite nonnulla diximus. Blandimentis autem suis *universum prope humanum genus circumegit in se, non alio modo, quam si cœlo emissus advenisset*, referente ibidem Plinio. Duabus autem potissimum rebus maximam auctoritatem sibi conciliavit. Primo quod robusto corpore esset, à morbo nunquam tentatus: id enim peritiæ artis dein adscriptum fuit. Quo pertinet illud quod idem Plinius *lib. VII. cap. 37.* narrat, *sponsionem eum fecisse cum fortuna, ne Medicus crederetur, si unquam invalidus ullo modo fuisset ipse: & victorem suprema in senecta lapsu scalarum exanimatum esse.* Alterum est, quod mulierem ὑστερικῶς πνιγομένην, adeoque pro mortua à vulgo habitam quasi revocaverit & restituerit. Unde factum fuit, ut *homo è levissima gente, sine opibus ullis orsus* ad tantas divitias pervenerit, ut *legatos & pollicitationes Mithridatis Regis sperneret*: quod non sine indignatione laudatis locis Plinius commemorat. Scriptorum ejus hodie nihil superat: passim tamen contra eum Galenus disputat, ex quo, uti & ex Celso & Plinio sententiæ ejus hauriendæ sunt.

XIII. Jam Augusti Cæsaris temporibus, quo regnante in flore fuit res literaria, in Medica arte etiam aliquot celebres fuerunt. Et primo quidem tum Medicinam fecisse *Dioscoridem Phacam Herophileum*, ex Suida discimus. Di- *
stinctum enim hunc esse à nobilissimo illo materiæ Medicæ scriptore, quem Galenus in opere *de simpl. medic. fa-*
Pag. 31. *cult.* Anazarbeum vocat existimavimus *lib. de Herm. Med. cap. IX.* quod jam dudum etiam Picus Mirandulanus *lib. 1. de auro c. 3.* monuit. Cæterum notissimus istius ævi Medicus est *Antonius Musa*, qui, quum *Augustum* Cæsarem *contraria medicina gravi periculo exemisset*, uti Plinius *l. XXIX. c. I.* loquitur, à populo Romano statua ærea juxta

Æscula-

Æsculapii simulacrum posita, in singulare gratitudinis monumentum & decus Artis, honoratus fuit, quod ex Suetonio constat. Quin propter hanc ipsam rem *universo Medicorum ordini cum aurei annuli jus tum & immunitatem munerum concessam* esse, à Dione præclare observatum, in Augusti vita.
* uti monuimus *dissertatione IV. de Antiquit. Acad.* Habemus quidem nonnulla huic attributa, attamen fidei incertæ, certe tantæ famæ imparia. Vixit tum etiam *frater Antonii Musæ Euphorbus*, herbæ cognominis inventor. Tiberii porro Cæsaris ætate *Philonides Siculus*, *Pamphilius*, *Meneontes*, *Apollonius Myseras Cappadox*, præcipui fuere. Item *Antonius Pachius*, auctor Hieræ, & *Scribonius Largus* Empiricus, cujus librum habemus, sed de Græco potius versum. Jam Claudii temporibus celebres fuerunt *Cassius Felix*, qui aliquoties in Pandectis Medicis Matthæi Salvatici nominatur, unde scripta ejus alicubi adhuc extare conjicitur, (laudantur enim duo libri sub hujus nomine de curatione morborum;) *Heraclides Hierophilus Erythræus*, *Apollonii Mys* dicti discipulus, Strabonii coætaneus; & denique *Vectius Valens* Antiochenus, *adulterio Messalinæ Claudii Cæsaris nobilitatus, pariterque eloquentiæ affectator*, quemadmodum Plinius notavit, cujus nomine Astronomica fragmenta supersunt. Nerone Cæsare *Andromachus Senior*, ille, qui Theriacæ confectionem heroicis versibus descripsit, maxime claruit. Quo tempore etiam *Thessalus Trallianus* vixit, ille summæ pariter inscitiæ atque impudentiæ homo, de quo supra jam meminimus, cujusque sectatores Galenus Asinos vocare solet. Hujus tamen sectæ ex parte addictus fuit *Soranus*, Menandri & Phœbes filius, Ephesius, qui Alexandriæ aliquandiu versatus Romam deinde se contulit, Trajano & Adriano Imperatoribus; cujus nonnulla fragmenta hodieque extant. Sequutus eum fuit

pag. 111. l. 29. c. 8.

Cælius Aurelianus Afer, quem Latinum Soranum vocant, de cujus Tardarum & Celerum passionum libris jam egimus: quos optime Lugduni in Galliis edidit Jacobus Dalechampius, nomine tamen non addito. Ejusdem sectæ etiam fuit *Cassius Jatrosophista*, cujus problemata habemus, quemque Alexandriæ Galeni ævo docuisse, valde verisimile reddidimus alibi.

l. d. Herm. Med. c. 9. p. 85. 86.

XIV. Cæterum ex seculo illo primo adhuc nonnulli nominandi sunt. Ante omnia vero *Cornelius Celsus*, quem Latinum Hippocratem & Medicorum Ciceronem vulgo appellant. Fuit enim vir multæ eruditionis; cui etiam comparandæ potius quam arti (hanc enim vix illum exercuisse patet) operam videtur dedisse. Cui sectæ fuerit addictus, non facile dixeris; pleraque enim sua ex variis scriptorum Medicorum generibus collegit. Nam Empiricum illum non esse, supra jam manifestum fecimus. Sub Vespasiano vixit *Cajus Plinius secundus*: hunc enim Medicis etiam accensemus, quandoquidem Naturalis ejus Historia magnam partem ex Medicorum libris compilata ejusdemque argumenti est. Hunc multa sine judicio collegisse oppido patet, præsertim ex re herbaria, cujus utique fuit imperitus, unde etiam sæpe eandem herbam, diversa ejus appellatione deceptus, viribus diversam facit. Id quod primus optime demonstravit *Nicolaus Leonicenus* & nuper etiam infinitæ lectionis Vir *Claudius Salmasius*. Ante Plinium adhuc vixisse videtur *Aretæus Cappadox*, cujus scripta merito in admiratione doctorum sunt. Omnibus sane reliquis eo nomine præferendus est, quod in recensendis morborum symptomatibus tantam industriam adhibuerit, quantam ex antegressis eum nemo. Cæterum sub Vespasiano etiam vixerunt *Niger Atticus* cum filiis, *Andromachus junior*,

Græcinus,

Græcinus, *Menodotus Empiricus*, *Theadas Empiricus*, *Servilius* etiam & *Democrates Asclepiadei duo* medicamentorum scriptores, & denique *Dioscorides Anazarbensis*. Sub finem denique demum seculi & sequentis initium Trajano Imperatore *Crito*, & *Ruffus Ephesius*, cujus nonnulla fragmenta extant. Habemus etiam ex illo ævo librum *Evaci Regi Arabum* adscriptum, sed incertæ, imo sublestæ fidei.

XV. Ad secundi porro seculi initium præter nonnullos modo commemoratorum *Olympianus* pertinet, hujusque discipuli, *Apollonides*, & *Julianus*, quem & audivit Alexandriæ, & post acerrime refutavit Galenus; *Sabinus* item Hippocratis commentator. Hadriano Cæsare *Dioscorides Alexandrinus* & *Artemidorus Capito*, qui junctis operis Hippocratis scripta enarrarunt. Huc etiam pertinet *Pelops* & *Satyrus*, insignes tum temporis anatomici, Galenique in eo studio magistri: ille Numesiani, hic Quinti auditor: & denique *Marinus* itidem anatomicus. Circa hæc tempora etiam vixit *Lycus Macedo* origine, sed qui Alexandriæ degit, Galeno σύγχρονος, vir magni nominis & celebris anatomicus; utpote qui Quintum audiverat, quo magistro ipse Galenus quoque usus est. Hic peculiari libro Aphorismi decimi quarti libri primi Hippocratis sententiam impugnavit, cujus summa à nobis explicatur *lib. de Calido innato cap. XXII.* Sed ille liber ad nostram ætatem non pervenit, præter nonnulla verba quæ apud Galenum in scripto Lyco opposito habentur. Fuit certe vir doctus; Galenus enim illum justo acerbius reprehendit per idem tempus vixit *Athenæus Attalensis*, de quo superiori capite jam diximus.

XVI. Marci porro Antonini & Commodi tempora maxime illustravit *Galenus*, de quo itidem jam sat multis

egimus. Duabus autem potissimum laudem immortalem * sibi peperit: quod Physiologiam & Anatomicum studium imprimis excoluerit; quodque doctrinam de medicamentorum facultatibus, omnia ex vi primarum qualitatum deducendo, tanta industria exposuerit, quanta præter eum nemo. Opera ipsius, quantum quidem illorum perennavit, Græce bis tantum edita, Latine tamen aliquoties excusa sunt; inter quas editiones Lugdunensis in Gallia & Basileensis in Germania anni 1562. præcipuæ sunt; ita tamen ut Veneta, quæ anno hujus seculi nono cura Iuntarum prodiit, omnibus præferenda veniat. Græco-Latinam editionem molitus fuit ὁ πολυμαθέστατος Hoffmannus noster, adjuncto etiam duplici commentario in universa omnino opera; verum morte præventus publicare non potuit. Fortassis etiam tantum opus, ** utut longe sit præclarissimum, vix typographum inveniet; licet ad editionem paratum illud possideat Clarissimus vir Ioannes Georgius Volckamerus Norimbergensium medicus doctissimus.

XVII. De Medicis tertii seculi quod dicamus, nihil fere habemus; neque enim ullus ex eo seculo Artis Medicæ scriptor nunc extat; immo vero vix nomina quædam Medicorum ejus ætatis habemus nota, præter unius *Antilli & Posidonii*, quorum in libris Oribasii, Aetii & Pauli perfrequens fit mentio. Medium quoque hujus seculi habuit *Q. Serenum Sammonicum*, Medicum disertum ac elegantem, ac carmine Latino sic satis insignem Poëtam, Gordiani Junioris præceptorem, cujus meminit Spartianus in *Caracalla*, his verbis: *Occisi sunt & in balneis plures, & in cœnis: inter quos Sammonicus Serenus, cujus libri plurimi ad doctrinam extant.* Macrobius quoque *Saturnalium L. III. cap. 16. & 17.* ejus mentionem facit. Supersunt hodie hexametri, præcepta Medicinæ continentes.

XIIX. Cæ-

XIIX. Cœterum quarto seculo non parum Artem Medicam floruisse, & quidem Alexandriæ in Ægypto, ex Eunapio colligimus. Maxime autem celebris fuit *Zeno Cyprius*; quem Juliani τ̃ παραβάτε ætate adhuc floruisse, constat ex Epistola Cæsarea ad Zenonem, utpote qua rogatus ab Alexandrinis, Zenonem ex agro in urbem istam honorifice revocat. Audiverunt autem eundem eodem teste, *Magnus* Antiochia, quæ trans Euphratem est, Nisibis dicta oriundus, & *Jonicus Sardianus*, & *Oribasius*; quem Sardianum vulgo perperam appellari, quum Pergamenus fuerit, jam tum *Lib. I. de Herm. Med. cap. IX.* notavimus. Pag. 58. Etsi vero Magni Emiseni schola Medica valde tum floruit, omnia tamen ejus, ut & Jonici scripta hodie desiderantur. Oribasii vero nonnulla, quanquam valde mutila, supersunt, quæ Latine à Joanne Baptista Rasario, quanquam minus feliciter versa sunt; Græce enim omnia nondum prodierunt. Pleraque autem Oribasius ex Galeno transcripsit: reliqua, quæ de suo addit, plerumque rudia sunt; in medicamentorum tamen genere sic satis est felix; ideoque opuscula ejus ad praxin multum conducunt. Eodem hoc seculo vixit *Vindicianus*, Comes Archiatrorum Valentiniani Imperatoris, gloriosus ille Empiricus: cujus libellum una cum aliis in suum opus transtulit *Marcellus* itidem Empiricus ætate Theodosii Magni ejusque filiorum, medicamentorum collector verius quam Medicus dicendus.

XIX. Ex seculo quinto nulla Medica scripta itidem extant; nisi quod ad hæc tempora pertinere videantur duo illi præclari Medicæ rei scriptores Græci, *Paulus Ægineta* & *Aëtius Amidenus*. Et Pauli quidem liber de curandis morbis uti brevis, ita satis nervosus est; nisi quod nullas rationes addat, Galeno addictus: quem post Albanum Torinum felicius Janus Cornarius vertit; ita tamen ut utram-

que

que editionem animadversionibus doctis exceperit Christophorus Oroscius. *Aetius* vero, (quem Alexandriæ studiorum gratia vixisse, probabiliter satis colligitur *lib. 1. de Herm. Med. cap. IX.*,) curationem morborum prolixius tradit; ideoque opus ejus ad medendi quidem rationem satis præclarum est, reliquas tamen artis partes non attigit. Græce integrum Aetii opus hactenus quidem non prodiit typis descriptum, exspectatur tamen Parisiis cura viri longe doctissimi Renati Moreau Parisiensis, Regii Medicinæ Professoris.

XX, Sextum à nato Servatore seculum, quantum ex Agathia Scholastico conjicimus, exornavit *Alexander Trallianus*, qui Justiniani circiter temporibus vixisse videtur: felix Medicus, quique satis egregie de plerisque morbis scripsit, ab ipso etiam Galeno nonnunquam ausus discedere. Varias autem regiones medendo peragravit, totumque adeo in facienda arte illum fuisse occupatum, contra commu-
Vid. l. c. nem opinionem verosimile existimamus. Opus ejus optime editum fuit à Joanne Guintherio, quem à patria Andernacum vocamus, Græcæ linguæ apud Argentoratenses Professore & Medico pariter doctissimo. In opere autem illo magnam factam transmutationem observare licet. Vltimum sane librum primo loco ponendum esse, ex præfatione ei præmissa satis colligitur. Ad hoc idem seculum etiam *Paulus & Palladius Alexandrini* pertinere videntur: de quibus pluribus egimus *lib. 1. de Herm. Med. cap. IX.* Forte
Pag. 86. tum quoque vixit *Stephanus Atheniensis Philosophus*; cujus doctissimum opusculum dignum sane est, quod omnium manibus teratur.

XXI. Post seculum sextum & tempora Justiniana Imperatoris una cum universa bona eruditione Medica studia in Occidente pariter & Oriente conciderunt, spissa totum fere

terrarum orbem justo Dei judicio occupante barbarie. Sub- * sequentibus tamen temporibus apud Sarracenos sive Arabas eadem hæc studia reflorescere cœperunt; quod factum videtur mirifico illo Calipharum nonnullorum erga studia propaganda amore & hinc sequuta incredibili munificentia. A seculo nono itaque ad usque decimum tertium à nato Christo per quadringentos annos Medicina apud Arabas floruit, tum in Asia, tum in Africa, tum in ipsa etiam Hispania. Quanquam autem tum præclaros Medicos inter illos vixisse nullum sit dubium, plerorumque tamen scripta ad nostrum Latinum orbem non pervenerunt; ideoque nomina tantum illorum discimus ex Mesue, Serapione, aliisque. Et quidem quod nonum seculum attinet, collocantur in eo ab Abrahamo Zacutho *Gabriel Surianus*, *Joannes Mesue*, *&* *Sela filius Behelæ*; sed quorum scripta nobis hactenus ignorantur; quum & Mesue hic longe alius sit ab eo qui nobis hoc nomine cognitus est, de quo infra. Inter clarissimos autem hujus ævi Arabum Medicos primo loco memorant Maronitæ Parisienses *Homain Ben Isaac Abaditam*, *deinde Isaac Judæum*, *&* *Aben Amran* seu filium Amramidis: quem multa in Arte Medica præstitisse iidem Maronitæ testantur in *commentariis ad Geographiam Nubiensem* & alibi *libello de Arabia*. Et sane sunt libri ejus satis docti: quanquam de nonnullis non sine caussa dubitetur ne potius in Haly Abbatem auctorem referendi sint.

XXII. Seculo porro decimo magis adhuc inter Sarracenos Asiaticos studium Medicum effloruisse certum est. Nihilominus tamen ex omnibus illis vix nomina ad nos pervenerunt. Unus vero præ multis esse potest *Rhases*, cujus non immerito apud Arabas summa auctoritas est, auctor ingentis illius operis, quod Continens appellatur. Dignum illud lectu est, vel eo nomine, quod multa alio-

rum fragmenta ibi collecta reperiantur, quæ nullibi alias extant: hoc tamen in eo reprehendendum judicaveris quod vox illa *Dixit* ad nauseam usque identidem repetatur. Adscribitur etiam vulgo illi liber ad Almansorem, qui non infeliciter totam plerorumque morborum medendi rationem continet, quique etiam in plerasque scholas Medicas, Italiæ cumprimis publice interpretandus introductus fuit: unde etiam tantam copiam commentatorum in nonum Rhasis habemus. Verum opus illud suppositititium, neque cujus est Continens, esse, valde videtur verosimile. Ex hoc eodem seculo unum etiam, Græcum habemus, *Nonum* Constantini Porphyrogenetæ Imperatoris σύγχρονον.

XXIII. Neque leviter seculo undecimo iidem Sarraceni Asiatici Artem Medicam excoluerunt. Inter quos ad medium usque seculi floruit *Joannes Serapionis filius*, cui libri de simplicibus medicamentis & practica quædam adscribuntur. Videntur autem illa non esse unius scriptores, etiamsi satis sint docta; præcipue illud de simplicibus medicamentis opus. Floruit tum quoque *Haly filius Rodoham*, Ægyptius, Astronomus & Galeni commentator. Item *Haly Abbas*, magnæ famæ Medicus, cujus præclarum opus itidem extat. Similiter & *Isaac Beimiram*, cujus opera multa itidem habemus. Cæterum inter omnes Asiaticos pariter atque Arabicos Sarracenos scriptores primum locum merito obtinet *Avicenna*. Fuit ille patria Corasenus, adeoque in Persia vixit, secus ac vulgo est persuasum. Quanquam enim non desint etiam ex eruditis qui in Hispania eum natum, & Averrhois coævum existiment, utrumque tamen falsum est, ut notatum *lib. II. de Herm.* pag.407. *Med. c. XIV.* Fuit autem vir summi ingenii, magnus Philosophus, excellens Medicus, & summus apud suos Theologus. Quum itaque tanto ingenio, tanta Philosophiæ cognitio-

cognitione, tanta denique peritia Artis instructus esset; rem hactenus Græcis ipsis intentatam aggressus est, integram artem Medicam in unum systema redigere conatus. Quanquam enim non negaveris, multa in illo opere Canonis occurrere, quæ correctionem mereantur; fatendum tamen est, esse opus admiratione dignum. Leonhardus sane Fuchsius & alii Arabum Medicorum hostes eximium illud opus damnando nihil egerunt. Quanquam autem aliquoties illud opus Latine sit excusum, omnium tamen optima editio illa est, quam notis suis & Joannes Paulus Mongius & Joannes Costæus illustraverunt. Ex Græcis Constantinopoli tum alicujus nominis fuit *Michael Psellus*, cujus opuscula, sed exiguæ eruditionis, supersunt. Neque enim ad Constantini magni ætatem ille pertinet. In Italiam adeoque in Occidentalem orbem hoc eodem seculo Medicam artem à Sarracenis transtulit Constantinus Africanus, de quo infra. Vide lib. I. de Herm. med. c. 3. Pag. 23.

XXIV. Duodecimi vero seculi ætate in Asia quidem studia iterum refriguisse videntur, in otium & socordiam Caliphis prolapsis: At in Africa & Hispania sub auspiciis potissimum & patrocinio Almachindarum Principum studia eadem excoli ceperunt. Itaque hac tempestate egregios Medicos illis in locis vixisse citra dubium est; quanquam ex scriptis illorum pauca ad nos pervenerint. Habemus tamen *Avenzoarem*, virum experientissimum & gravem scriptorem, quemque Averrhoes nunquam sine præfatione memorat, adeo ut eum omnes Medicos post Galenum superasse scribat. De μακροβίᾳ ejus superiori capite jam diximus. Opus ejus practicum, cui Thrisir titulus, dignum est lectu, utut barbare sit versum & raro haberi possit. Commendatur ex hoc seculo quoque *Jacobus Alkindus* itidem Arabs, cujus scriptum etiam extat. Verum enim vero in-

ter omnes illius seculi scriptores potissimum eminet *Averrhoes*, omnium scriptorum Arabicorum περιπατητικώτατος, quique universam Aristotelis Philosophiam luculentis commentariis exornavit, unde Commentatoris sive ἐξηγητοῦ appellatio illi hæsit. Floruit autem ille circa annum hujus seculi sexagesimum, adeoque Friderici Barbarossæ circiter temporibus. Hic tanti ingenii tantique nominis vir etiam à re Medica non fuit alienus, utut ipsam artem nunquam exercuerit quantum videtur; conscripto doctissimo opere quo universam Artem singulari laude in compendium redegit, titulo Arabico Colliget, quam vocem perperam & inepte vulgo collectanea interpretantur; utpote quum tantum absit ut liber ille collectanea contineat, ut optimo ordine eaque methodo & elegantia artem comprehendat, ut omnes similes conatos superaverit. Eodem hoc seculo vixit *Moses Maimonides Cordubensis* Judæus, ille qui Scaligeri judicio primus inter suos nugari desiit; cujus Aphorismos ex operibus Galeni ingenio longe felicissimo collectos habemus. Declinante denique seculo vixit *Serapion* auctor libri de simplicibus. Commendatur etiam *Joannes Mesue Damascenus*: de quo tamen notandum, scripta quæ sub Mesues nomine extant, diversorum esse scriptorum unius nominis. Quod ipsum jam tum *lib. II. cap. XIX. de Herm. Med.* ostensum est. Videntur autem tres omnino fuisse: unde uni de purgantibus medicamentis liber, alteri practica quædam, tertio Antidotarium adscibendum. Quicquid vero sit, tum de purgantibus liber, tum Antidotarium præclara sunt, neque absque illis veterum Medicorum scripta possumus intelligere. Optimam vero Mesues operum editionem dedit nobis urbs Veneta, adjunctis notis animadversionibusque Jacobi Sylvii & Joannis Costæi.

pag. 407.

Memo-

Memorantur quoque *Jesus Ben Hali*, *Zoar*, *Hali Aben Ragel*; sed cum minutiores, non adeo magni sunt pretii.

XXV. Atque hi sunt qui inter Arabas Medicinæ laude quam maxime inclaruerunt, quorumque scripta habemus. Interea tamen, & quidem post seculum nostrum, apud Græcos Constantinopoli ars Medica non nihil refloruit. Præcipui autem sunt ex illis *Theophilus Protospatarius*; *Actuarius*, *Joannis Zachariæ filius*, Græca juxta & Arabica lingua institutus, cujus extat præclarum scriptum de urinis; *Simeon Sethi*, qui de simplicibus, sed minus accurate scripsit; *Michael* denique *Psellus* & *Nonus* quorum jam meminimus. Verum in horum omnium scriptis non licet magnam eruditionem invenire, certe cum Arabibus neutiquam sunt comparandi: princeps tamen inter hos Actuarius videtur esse.

XXVI. Post seculum duodecimum sive Sarracenici, sive Græci Philosophiæ ac Medicinæ scriptores nulli amplius scriptis præclaris medicis apud nos quidem nomen aliquod invenerunt. At vero eodem tempore hæc laus in hunc Occidentalem orbem quasi postliminio reverti cœpit, excitata potissimum schola Salernitana, auctore primum
* *Constantino Africano*. Ex illo scilicet tempore Arabum scripta magis magisque Latine verti cœperunt. Tulit autem hæc schola multos eximios Medicos: qui quum longo ordine *Dissertatione tertia de Antiquitatibus Academicis* recenseantur, hic denuo eos repetere supervacaneum ducimus. Per eadem tempora floruisse videtur *Guilielmus de Saliceto*, cujus practica ab auctore Guilielma dicta hodie-
** que superest; *Gerhardus* item *Cremonensis*, *Brunus Chirurgus Dini* de Florentia pater, *Lanfrancus Mediolanensis*, *Petrus Hispanus*, post Johannes XX. Pontifex & denique *Gilbertus* natione Anglus, qui artem ex Italia in

Britanniam, uti tum temporis Oxonienſis & Cantabrigienſis Academiæ florebant, videtur tranſtuliſſe. Nec prætereundus ex eodem hoc decimotertio ſeculo *Druſianus*, qui in tanta exiſtimatione fuit, ut vulgo plusquam commentatoris titulo honoratus ſit. Sub finem hujus ſeculi & ſequentis initium *Petrus Aponenſis Patavinus* vixit, qui diſcendi ſtudio Con-
Pag. 43. ſtantinopolim migravit, ut obſervavimus *diſſert. 1. de Antiq. Acad.* Hic eſt ille qui Conciliatoris nomine vulgo audit, cujusque præclaros commentarios in problemata Ariſtotelica habemus, vir multæ lectionis & judicii ſic ſatis exacti. Dolendum autem, tam perperam illum de Chriſtiana religione ſenſiſſe; certe ea de cauſſa primum in carcerem conjectus, & deinde combuſtus fuit. Suppar illi ætate, & fortaſſis non diverſi circa religionem ſenſus fuit *Arnoldus Villanovanus*, cujus opera varia ſuperſunt, quique primus Medicinam in Galliam videtur intuliſſe una cum Chemiæ ſtudiis. ***

Saeculo 1400.

XXVII. Decimo quarto porro ſeculo inſignes maxime fuerunt Thaddæi Florentini diſcipuli, *Gentilis Fulginas*, Avicennæ commentator, & *Dinus de Garbo* Florentinus. Item *Guilielmus Varignana*, Judæus quantum apparet, vir magnæ eruditionis; *Matthæus* etiam *Sylvaticus* Mantuanus, Pandectarum ſcriptor, ac *Franciſcus de Pedemontio*, uterque vir doctus: & demum *Joannes de Gratesden* Anglus, Roſæ Anglicanæ auctor. Immo ad hæc usque tempora videtur pertigiſſe *Raimundus Lullius* Eremita Majoricenſis, propriæ ac ſingularis tum Medicinæ tum Philoſophiæ,
Pag. 415. & ſeqq. propemodum etiam Theologiæ auctor, de quo plura habentur *lib. II. de Herm. Med. cap. XV.* Poſt medium ſeculi vixit *Joannes de Rupeſciſſa*, Lulliani prorſus ingenii ho-
Pag. 417. & ſeqq. mo, de quo *loco citato* agitur. Claruit tum etiam *Thomas de Garbo*, Dini filius, Philoſophus & Medicus excellens; item

item *Jacobus de Dondis*, auctor præclari iſtius operis, cui Aggregator titulus, unde etiam Aggregator Patavinus vulgo appellatur. Sub finem denique ſeculi floruerunt *Chriſtophorus de Honeſtis* Bononienſis, & *Joannes de Dondis*, Jacobi filius, Patavinus.

XXIIX. Decimi quinti ſeculi initio potiſſimum exornavit *Nicolaus Nicolus* Florentinus, prolixiſſimus Avicennæ commentator & ſcriptor doctus, quique totam Artem Medicam tribus vaſtis voluminibus complexus fuit: ut & *Jacobus de Partibus* itidem commentariis in Avicennam ſcriptis clarus, qui tamen in Theoreticis potisſimum occupatus fuit. Ut autem hi Italiam, ita Galliam eodem tempore condecoravit *Guido de Cauliaco*, Chirurgus longe præſtantiſſimus. Circa annum vigeſimum & trigeſimum clari fuere *Jacobus Florolivienſis*, *Marſilius de ſancta Sophia*, *Hugo Senenſis*, vir præclaræ eruditionis. Quadrageſimo anno præ aliis eminuit *Bartholomæus Montagnana*, inſignis Practicus & Chirurgus magni nominis, in Academia Patavina commoratus; ut & *Joannes de Concoreggio* Mediolanenſis: item *Joannes Panormita*, nec non *Leonhardus Bertapalia* Paduanus. Paulo ante hos nomen obtinuit *Gerhardus de Solo*; at longe clarius *Bernhardus de Gordonio*, excellentisſimus Medicus & per viginti annos in Academia Montispeſſulana Profeſſor, doctiſſimo opere Lilii Medicinæ & tractatu de conſervatione vitæ humanæ clarus, Guidoni Cauliacenſi coætaneus: quorum uterque medendi peritia Italos potuit provocare. *Valeſcens* item *Tarantanus*, Regis Franciæ Protomedicus, auctor Philonii, docti & ad Praxin valde utilis ſcripti. Circa annum octogeſimum vixerunt *Joannes Michael Savanarola* Patavinus, *Antonius Guainerius* Papienſis natione, &

Anto-

Antonius Cermisonus; omnes editis practicis iisque doctissimis libris clarissimi. Ante hos circa sexagesimum & septuagesimum annum in magna existimatione fuerunt *Joannes Arculanus* Veronensis, *Pantaleon de Confluentia*, *&* *Baverius de Baveriis*. Circa octogesimum annum præter propter etiam vixit *Joannes Matthæus ex Ferrariis de Gradi Mediolanensis*, longe præclarissimus medendi artifex. Eodem fere tempore ac paulo post primus *Nicolaus Leonicenus* Vicentinus, vir Græce & Latine doctissimus, à barbarie illorum temporum Artem purgare conatus est: quia in re nonnihil illum juvit *Hermolaus Barbarus* Patricius Venetus, vir undiquaque doctissimus. Omni autem illo tempore nemo qui studiis Anatomicis operam dederit, exstitit, præter unum *Mundinum Bononiensem*, qui tamen pro captu illius seculi rem Anatomicam non nisi rudi modo tradidit.

XXIX. Seculo itaque decimo sexto melioribus litteris renascentibus, etiam studium Medicum solito magis excoli cœpit. Itaque Græcorum scripta, quibus ut plurimum hactenus præcedentium seculorum Medici destituti fuerunt, Arabibus tantum contenti, in Latinum verti cœperunt. Unde etiam magna dissensio inter Medicos exorta fuit, quibusdam Græcos, quibusdam Arabas sectantibus: quemadmodum illud ipsum præcedenti capite *num. XIX.* fusius à nobis explicatum est. Inter illos autem qui veterem morem sequuti sunt, potissimum floruerunt in Italia circa initia seculi *Leonellus Faventinus de Victoriis*, apud Felsinenses Practicus ordinarius; *Petrus de Bayro* Taurinensis; *Andreas Turinus* Pisciensis, Pauli III. Pontificis & Galliæ Regis Archiater; *Joannes de Vigo* Genuensis, & *Jacobus Berengarius* Carpensis, uterque Chirurgus excellens;

lens; item *Marianus Sanctus Barolitanus* itidem Chirurgus. In Gallia uti & in Germania neminem illius ævi reperire licet, qui antiquum modum omni ex parte retinuerit. Magis tamen priſcum morem obſervavit *Symphorianus Campegius* Lugdunenſis, Eques auratus ac Lotharingorum Principis Archiater, & *Sebaſtianus Montuus* Gallus, uterque doctiſſimus.

XXX. Inter illos vero, qui Arabibus repudiatis Græcorum doctrinam unice amplexi ſunt, præ reliquis excellit adeoque inter primos nominandus *Donatus Antonius ab Alto mari*, Medicus & Philoſophus Neapolitanus. In eundem ordinem etiam referendus eſt *Leonhardus Jacchinus* Emporienſis, Medicus Florentinus, & Piſis ejusdem Profeſſor, totus Galenicus. Commentatus enim quidem eſt ad nonum librum Rhaſis, ſed non niſi ex lege antiqua ſcholarum. Ejusdem ordinis eſt & *Comes Montanus* Vicentinus, magnæ eruditionis vir, longe tamen recentior, Galenicæ medicinæ pene unice addictus; & alii admodum pauci. Ad hos quoque pertinet *Julius Alexandrinus à Neuſtain* Tridentinus, ac Cæſareus Medicus primarius; *Alexander* item *Maſſaria*, in ſchola Patavina Profeſſor, qui non dubitavit profiteri, *malle ſe cum Galeno errare quam cum aliis ſapere.* Scilicet his hominibus pro argumento eſt auctoritas unius Galeni, ideoque in illorum ſcriptis nihil aliud atque mera Galenica videas. In Germania ejus plane notæ fuit *Leonhardus Fuchſius*, qui patrum memoria ſcholam Tubingenſem valde illuſtravit, & primus Galeni lectionem introduxit, ejusdem acerrimus defenſor: qua re etiam ingens nomen per univerſam Germaniam; imo Europam ſibi comparavit. Tanto autem odio in Arabas flagravit, ut nullam etiam occaſionem eos inſectandi prætermittat. Quanquam autem Græce & La-

tine fuerit doctissimus, Philosophiæ tamen parum fuit peritus, unde etiam in multos errores fuit prolapsus. In his etiam recensendus videtur *Ianus Cornarius* Zuiccaviensis, Medicus Francofurtensis, omnibus fere Græcis Medicis in Latinum sermonem versis maximam laudem adeptus.

XXXI. Huic sectæ sive scholæ Galenicæ quam maxime obstiterunt *Andreæ Vesalii* conatus, maximi & incomparabilis viri; de quo præcedenti capite *th. XIX.* jam diximus. Quo eodem fere tempore itidem contra Galenum insurrexit *Joannes Argenterius*, Castellonovensis Pedemontius, vir quidem eximie doctus, verum veteris Philosophiæ non satis peritus, & novitatis si quis alius cupidus; quod illi cum Fernelio commune est. Observandum autem, in illis ejus operibus pleraque esse Logica aut Philosophica, pauca quæ ad praxin faciant. Quinimo in Galeno reprehendendo modum plane excedit: qua de re etiam nobis usque quaque nunquam placuit. Opposuit sese vero illi *Julius Alexandrinus*. Verum Argenterii defensionem suscepit *Reinerus Solenander*, admodum tum juvenis. Huc quoque referimus, antiquiorem tamen, *Marcellum Vergilium* Secretarium Florentinum, de materia Medica optime meritum.

XXXII. Inter illos porro Italorum, qui Arabum sententias cum Galeno junxerunt, princeps fuit *Joannes Baptista Montanus* Veronensis, Professor Academiæ Patavinæ celeberrimus, vir tantæ auctoritatis, ut in eum Galeni animam quasi transvolasse creditum pene fuerit. Quanquam autem hic tam Græcorum quam Arabum scripta accuratissime & legerit & expenderit, ipse tamen nihil in lucem edidit, sed discipuli ejus, ut Hieronymus Donzellinus, Reinerus Solenander, & potissimum Joannes Crato, cujus opera Consilia Montani quam optime evulgata sunt. Collegit

git item universam Montani Medicinam in unum opus, jussu maxime Cratonis, Martinus Weinrichius. Ejusdem porro ordinis est Montani successor *Victor Trincavellius* Venetus; ut & hujus itidem successor *Hieronymus Mercurialis* Foroliviensis, vir elegantiori doctrina plane imbutus, in quo præcipue omnis generis scriptorum Medicorum multiplex lectio cum accurato judicio vix potest satis lau-
2. * dari. Ad eandem classem quoque pertinet *Hieronymus Fracastorius* Veronensis, Philosophus, Medicus, Mathematicus & Poeta eximius. Similiter & *Hieronymus de Capite vaccæ sive Capivaccius*, Nobilis Patavinus & in eadem schola Mer-
3. * curialis collega, cujus methodus medendi accuratissime conscripta est; nisi quod medicamentorum videatur mi-
4. * nus fuisse peritus. *Hercules* itidem *Saxonia* ejusdem scholæ Professor, celebris potissimum grandi illo opere practico, quod Pantheon, titulo sic satis ambitioso appellatur, vastum tamen fortasse magis quam doctum. Collegam habuit *Alexandrum Massariam*, cum quo etiam de phœnigmis magnas contentiones fovit, editis quoque in vulgus ab u-
5. * traque parte in eo genere scriptis. *Horatius* denique *Augenius à Monte sancto*, in Taurinensi primum & dein Patavina scholis Professor, Capivacciique in hac successor; qui tamen magis in sectam Galenicam videtur propendere Scripsit ille ingentia volumina de venæsectione, & libros Epistolarum, quæ tamen nihil minus sunt quam Epistolæ, sed integri potius tractatus. Lectu tamen omnia dignissima.

XXXIII. Cæterum in Gallia plane alia facies Medicinæ cepit. Plerique enim soli Galeno adhæserunt, nonnullis tamen exceptis. In illorum vero ordinem merito referre debemus *Jacobum Sylvium* Ambianum; qui una cum *Fernelio* & paulo juniori *Jacobo Hollerio* ut & paulo ante

hos *Guilielmo Copo Basileensi* & *Petro Brissoto* receptam Arabum Medicinam ex Academia Parisiensi expulit. Atque à Sylvio quidem introducta est schola Galenica, ab Hollerio autem Hippocratica, ut mox dicetur: Fuit enim Sylvius præ aliis Galeni ita studiosus, ut etiam dictum illud Vesalii, *quod Galenus quædam ignoraverit*, ægerrime tulerit. Fuit præterea etiam Artis pharmaceuticæ apprime studiosus, unde etiam Pharmacopœam edidit, opus sane doctum. Habemus autem omnia Sylvii opera uno volumine non ita pridem junctim edita. Verum enim vero eodem tempore floruit *Johannes Fernelius* itidem Ambianus Regis Archiater, vir in melius promovendæ Artis studiosissimus, qui in multis à veteribus pariter recentioribusque diffidere ausus fuit, plurimis novis dogmatibus in medium adductis; quique primus inter recentiores morbos totius substantiæ celebravit. In quo uti omnino summe laudandus venit, universam Artem uno volumine ad modum Avicennæ comprehendendi insignis conatus, quodque veterum expositionibus non semper superstitiose inhærendum existimaverit, præterea etiam multa circa morbos eorumque caussas primus observaverit: ita in sermone elegantissimo majus robur argumentorum merito desideraveris. Et vero eloquentia sua incauta & rerum imperito lectori passim fucum facit potius quam ut firmis argumentis eum instruat & convincat. Quod igitur Argenterius Italis, idem Fernelium Gallis suis fuisse non injuria pronunciaveris. In praxi tamen tanta felicitate fuit versatus, ut *invisam sterilitatem à domo regia Henrici II. repulerit*; quod Scævola Sanmarthanus in elogio testatur.

XXXIV. Eadem ætate vixit *Jacobus Hollerius Stempanus*, Medicus eximiæ eruditionis atque Hippocraticæ medici-

medicinæ obſervantiſſimus, & poſt unum Galenum ſummus interpres, quidque inter recentiorem omnium primus eandem felici cum ſucceſſu illuſtrare conatus eſt. Ipſemet vero licet nihil ediderit, poſt obitum tamen ſcripta ejus lucem demum viderunt, inter quæ præcipuum opus eſt de morbis internis, propter nobilia remedia detecta. Variam tamen fortunam paſſa ſunt Holleriana ſcripta, utpote quæ alii deinde viſi ſunt ſibi voluiſſe arrogare: quo nomine & Caſpar Wolfius & Deſiderius Jacotius, innocentes tamen fortasſis, vapularunt. Sequutus autem eſt Hollerium in eodem ſtudiorum genere clarisſimus diſcipulus *Ludovicus Duretus*: ex cujus ſchola deinceps doctiſſimi quique Hippocratis interpretes prodierunt, præſertim *Joannes Heurnius*, *Mauritius Cordæus*, *Anutius Foëſius*, *Joannes Libautius* & alii, qui omnes Hollerii veſtigiis inſtiterunt. Ad quos etiam pertinet *Guilielmus Ballonius* Dureti diſcipulus, inque Hippocratis & aliorum veterum Medicorum lectione eximie verſatus: inter cujus opera, quæ poſt ejus obitum ante paucos demum annos Pariſiis prodierunt, libri Epidemiorum & Ephemeridum præcipue eminent, ſcriptum nunquam ſatis laudatum; quamvis omnia perdocta ſint & ad accuratam dignoſcendi curandique affectus rationem plurimum facientia; niſi quod in vocabulis non raro ludat. In Italia nemo ex Hippocratis lectione eximiam & Gallis æmulam laudem hactenus videtur aſſecutus, ſi excipias fere unum *Andream Cæſalpinum*, hominem ingenioſiſſimum, cujus Ars Medica tota fere ex Hippocrate deprompta eſt.

XXXV. Qui Arabum ſcripta magnifecerit in Gallia, nemo reperitur præter *Hieronymum Montuum* Sebaſtiani filium, Mirebelli Dominum, cujus libri rariores quidem ſunt inventu, doctiſſimi tamen & practico cumprimis utiles. Huic tamen adjungendus eſt *Joannes Bruyerinus Campe-*

gius, cujus ſcriptum de re cibaria eruditisſimum extat. Uterque Henrici II. Regis valetudinem curaverunt, & neceſſitudine valde conjuncti fuerunt: Bruyerinus etiam Græcæ Latinæque linguæ peritia Montuum longe antecelluit. Materiam quoque Medicam eodem tempore elucubrauit *Guilielmus Rondeletius* Monſpelienſis, vir clariſſimus. Vixit jam ante hos *Petrus Briſſotus*, Medicus ſui ævi ad miraculum doctus, & *Matthæus Curtius* Ticinenſis; celebris uterque, potiſſimum mota de vena in pleuritide ſecanda controverſia. Rei herbariæ cultura ingens quoque ſibi decus comparavit *Joannes Ruellius*. Quanquam vero plerique Gallorum Galeno fuerint addictiores, hodie tamen à Galeni ſententia in quibus recedunt, Fernelium potius ſuum imitantes; cujus auctoritas multis illorum pene ſacroſancta * eſt.

XXXVI. In Hiſpania plerique Medici receptum morem medendi docendique conſervant. Hippocratis enim vel Galeni veſtigiis pauci inhærent, ut plurimum Avicennam ſequentes, cujus hodie etiam nullibi temere major eſt auctoritas. Elegantiorem tamen & Galenicam illam viam ſectatus eſt *Franciſcus Valleſius* Covarruvianus, in Academia Complutenſi Profeſſor, vir plane admirandus, & liberrimi ingenii. Poſt ipſum etiam *Ludovicus Mercatus*, Philippi II. & III. Regum Medicus Cubicularius & in Valledoletana Academia primarius Profeſſor: nec non *Ferdinandus Mena* eorundem Regum Medicus & Complutenſis ſcholæ Profeſſor itidem primarius, vir ſolide doctus, & nonnulli alii. In univerſum tamen dixeris, Medicos Hiſpanos aut totos aut certe magna ex parte Avicennæ & Arabibus addictos eſſe: quemadmodum etiam Philoſophiam & Theologiam Scholaſticam illi ſoli præ aliis hodieque mordicus tuentur.

XXXVII. A-

XXXVII. Apud nos in Germania eadem tempestate Artem nostram potissimum exornarunt quos supra laudavimus, *Leonhardus Fuchsius* & *Joannes Guintherius Andernacus*. Quibus procul dubio plures accessissent, nisi Germaniam tum temporis dementasset ille, qui se *Philippum Aureolum Theophrastum Bombastum Paracelsum ab Hohenheim* nominavit, monstrum hominis & in perniciem omnis melioris eruditionis natum. Cujus doctrinam, mores, adeoque vitam omnem cum justis voluminibus vir præclarissimus, Thomas Erastus atque alii universo eruditorum orbi luculente exposuerint, nos hic nihil addendum putamus. * Non possumus tamen, quin adscribamus versus ab Homerô mutuatos, quibus Paracelsum ad vivum plane depingit, quemadmodùm ille Thersiten suum, vir eruditione juxta ac pietate eximius *Bruno Seidelius lib. de morbis incurabilibus*: Pag. 138

Βομβαστὸς δ' ἔτι μοῦνος ἀμετροεπὴς ἐκολῴα,
Ὅς ῥ' ἔπεα φρεσὶν ᾗσιν ἄκοσμά τε πολλά τε ᾔδει,
Μάψ' ἀτὰρ οὐ κατὰ κόσμον ἐριζέμεναι ἰητροῖσιν,
Ἀλλ' ὅ, τι οἱ εἴσαιτο γελοῖον Γερμανοῖσιν
Ἔμμεναι· αἴσχιστος δὲ ἀνὴρ ἐπὶ φάρμακα ἦλθε,
Μῶρος ἔην κεφαλήν. ψεδνὴ δ' ἐπενήνοθε λάχνη,
Ἔχθιστος δ' ἦν Ἱπποκράτει καὶ πᾶσι παλαιοῖς.

Quod verissimum sane est istius Thessali elogium. Quamvis autem pleraque Paracelsi istius generis h. e. impia, absurda & monstrosa sint, non diffitendum tamen egregia in ipsius scriptis quædam medicamenta, quæque apud alios fortassis non perinde occurrunt, haberi. Verum & hæc ipsa ut ipse ex aliis fuit suffuratus, ita qua fide tradat, dudum ** observavit magnus ille Crato *præfatione in* illustris *Scaligeri de Subtilitate Exercitationes*. De reliquis artis nostræ scriptoribus

ptoribus suo loco deinceps agemus. Nam ut de Paracelsi sectatoribus pluribus velimus agere, supervacaneum esse ducimus. Et vero quid de illis jure sit sentiendum exspectandumque, quantumque vel magistri sui placitis adhæserint, vel ab iisdem recesserint, sub finem superioris capitis jam fuit expositum. ***

XXXIIX. Quamvis autem omnes illi, quos hactenus recensuimus, Medicam Artem excoluerint, non tamen unicuivis ad Artem aspiranti necessarium est, omnes illos scriptores legisse; quorundam tamen eorumque optimorum scripta si non omni, maxima tamen ex parte cuilibet Artis studioso cognita esse debent; utpote sine quorum notitia finem suum difficulter obtinebit. Maximi autem utique momenti est, quid unusquisque præstiterit, scire. Certe bonos libros habere cognitos, eximia pars est bonæ eruditionis. Magnam itaque gratiam ab omni posteritate inierunt illi, qui scriptorum catalogos texuere. Quale opus avorum memoria primus *Conradus Gesnerus* Tigurinus Helvetius, vir quo nemo rempublicam litterariam juvandi fuit studiosior, concinnavit. Quod institutum uti summe utile fuit, ita à nemine ante ipsum tentatum: nisi quod in *Suidæ* collectaneis quædam annotata legantur. Bibliothecæ Gesneri (ita enim opus illud inscripsit) epitomen valde utilem publicavit *Josias Simlerus*, ipsius discipulus, professione alias Theologus, vir doctissimus. Recensentur autem ibi non solum omnis generis Medica scripta, sed & multa alia, quæ Artem nostram non tangunt. Quorum exemplum ut in Theologicis & Juridicis, ita & in Medicis scriptis seorsim alii deinceps sequuti sunt. Et quidem in nostræ Artis scriptoribus primum id conatus fuit *Otto Brunfelsius* Moguntinus, cujus tamen liber non adeo magni momenti est. Post hunc in eodem labore majorem operam posuit *Robertus*

Constan-

Constantinus vir doctissimus; deinde etiam *Paschalis Gallus* Picto-Villæfanensis edita Bibliotheca Medica. Idem porro voluit *Joannes Schenkius* vir longe diligentissimus, edita per filium *Joannem Georgium* Bibliotheca itidem Medica; in qua multa habentur, quæ à præcedentibus intacta fuerunt relicta. Hunc in eodem argumento imitatus est *Israël Spachius*, Argentinensis scholæ Professor Medicus: & nuper denique *Joannes Antonides Vanderlindius* Enchusanus, evulgato de Scriptoribus Medicis libro. Quanquam autem omnes hi suam mereantur laudem, præcipui tamen sunt Schenkius & Vanderlindius. Duo in omnibus merito desideres: cum quo seriem temporis non observaverint, ordinis Alphabetici studiosi; tum hoc nemo judicium de scriptore ferre ausus fuerit: quod utrumque tyronibus tamen, cumprimis autem posterius, scitu per est necessarium. Conradus Gesnerus tamen censuram aliquam addidit: & hoc nomine præ aliis meretur commendari.

XXXIX. Decet porro elegantem Medicum, non scripta solum sed & vitas Medicorum habere cognitas; utpote quum notitia illa non solum per se jucunda sit, & liberalem eruditionem valde ornet, sed & præterea sæpe numero consilium actionibus nostris possit suppeditare. Quapropter etiam in illo argumento primus avorum memoria aliquo modo laboravit *Symphorianus Campegius Gallus* Lugdunensis. Secundum ætates deinde de Medicis aliquid dicere aggressus est *Jodocus Willichius* Resellianus Germanus, scholæ Francofurtensis ad Viadrum Professor Medicus: cujus liber tamen à conatu magis, quam quod expectationi satisfaciat, laudandus est. Germanorum Medicorum præcipuorum vitas edidit *Melchior Adamus*. Similiter ante paucos annos de Medicorum vitis aliquid evulgavit

Petrus Castellinus; verum ita, ut & ipse expectatione longe sit inferior. Sine dubio vero hac in parte magis eruditorum desiderio satisfacient *Renatus Moræus* & *Joannes Henricus Meibomius*, viri jam tum eruditorum orbi meritis suis satis noti: quorum ille Medicorum Parisiensium, hic præcipuorum quarumvis gentium vitas publico dare jam dudum molitur. Interim tamen non possumus non unicuivis Artis studioso optimum consilium etiam atque etiam commendare, ut videlicet, quæ vel ipsemet apud alios de quovis scriptore legerit, vel à præceptoribus suis viva voce acceperit, in adversaria sub suum quodque caput referat: ita enim quis brevi tempore insignem peritiam sibi comparare poterit. Id quod in unaquavis bonæ doctrinæ parte serio observandum, semel hic monuisse sufficiat.

XL. Denique quum argumentum Medicum varium sit nec unius generis, etiam hoc sciendum est, quid quisque in qualibet parte præstiterit. Cujus utilitatem quum videret nunquam satis laudatus *Conradus Gesnerus* post editam Bibliothecam, omnis generis scriptorum Pandectas elaboravit. Quanquam autem scriptum illud admodum crudum sit, neque cum aliis ejus operibus comparandum; veniam tamen apud omnes bonos meretur, quum unus ille non potuerit omnibus sufficere. De Medicis quidem rebus in Pandectis istis nihil habet, quod secundum locos communes seorsim ea de re & peculiari libro agere voluerit, morte autem præventus & aliis etiam impedimentis occupatus absolvere non potuerit. Post illum in eodem argumento aliquid scripsit *Israël Spachius* paulo ante laudatus: & post hunc operosius adhuc idem deducere conatus fuit *Joannes Schenkius*. Quantum enim ex Bibliotheca ejus Medica apparet, grande opus Pandectarum Medicarum in parato

parato habuit. Verum neque illud lucem hactenus vidit, nisi quod filius ejus Joannes Georgius Artis Semeioticæ scriptorum catalogum publicaverit, grandis istius operis unicam tantum portionem. Num qui præterea in eodem argumento laboraverint, hactenus nos latet.

XLI. Atque hæc de Medicinæ etiam universæ origine & progressu in genere dicta sufficiant: restat ut de singulis Artis partibus jam seorsim differamus. Adjiciemus tamen heic ante nonnulla, de iis qui Arabum medicorum memoriam singularibus libris sunt persequuti, qualia illa in epistola quadam ad doctissimum Meibomium 14. Febr. anno 1652. perscripsimus. *Quoniam video longe majores mihi labores imminere, & nihil perinde desiderem atque perfectum videre tuum de Medicorum vitis opus, statim respondeo ad tuas, etsi haud parum defatigatus. Schenkius etiam me olim multum turbavit: præsertim quum nemo esset dux iis in Arabum desertis. Nam testatur quidem Andreas Alpagus proœmio in Avicennam, versam à sese nescio quam Medicorum & Philosophorum Arabum historiam: Joannes etiam Leo l. 3. historiæ suæ Africanæ vitas Philosophorum Arabum à sese scriptas refert, in quibus indubie & nonnulli fuere præclarissimorum ejus gentis Medicorum: A Ben Casen item doctissimorum historiam proditam, non semel notant duo illi Maronitæ Parisienses ad Geographiam Nubiensem. Inter libros porro quos ex oriente devexit Jacobus Golius, reperiuntur volumina quidem duo Aben Aselbi de vitis omnium doctorum virorum qui stante Arabum imperio claruerunt, & unum nescio cujus de vitis Medicorum qui floruerunt in Oriente. Verum nihil horum hactenus typis editum, multo minus mihi est lectum, vereor autem ut quis possit in rebus Medicorum Arabum per tem-*

pora sua digerendis, iis libris destitutus facere pretium operæ, aut cavere lapsum. Eoque mi Amice, nec à me expectaveris aliquid certi, adeo male à libris qui huc faciunt instructo. Non dubito tamen Schenckii conjecturam si non omni, saltim magna ex parte futilem pronunciare. Hactenus illa. Nec enim est opus quæ de variis Arabibus Medicis eadem epistola perscribuntur heic addere.

ADDITAMENTA.

II. ✻ *Sive inter reliquos peritia medendi excelluere, sive*

In proœm. Celsus de Æsculapio aperte: ***Cum vetustissimus auctor Æsculapius celebraretur, qui, quoniam adhuc rudem & vulgarem illam scientiam paulo subtilius excoluit, in Deorum numerum receptus est.*** Sapienter, & candide; non Græcorum aut Ægyptiorum more, qui uni solebant artis totius inventionem tribuere; quasi vero non paulatim, & per experimenta illa primum ceperit creveritque: quæ deinde, cum ab uno aut altero notata diligentius essent, is tum quidem medicus videbatur, & erat in laude; minime tamen auctor totius artis poterat haberi, quæ inventa esse putari non debet, antequam plene exculta, & in artis formam sit redacta: plane ut cum aliis disciplinis omnibus se res habet, quæ à collectione singularium sensim ad universalium justum numerum & scientificam constitutionem evehuntur. Quo sensu nemo illorum qui hic commemorantur, auctor artis celebrari poterit: verum hæc laus debetur demum Galeno, ut ex supra allatis constat: sed hoc forte rectius dicemus cum auctore Artem perficere quam invenire: Uti autem hæc absolutio uni adscribi certo quodam sensu potest; ita inventio vel ulli mortalium tribui jure nequit.

✻ ✻ ***Quo eodem opere*** Quo magis mirari subit laudati supra Olai Borrichii institutum, qui libro de Ægyptiorum sapientia contra nostrum conscripto, quo evinceret Chemicos

recte

recte Hermeticos appellari, non dubitavit in Hermetem suum non hujus modo, sed pene omnium aliarum artium, liberalium, mechanicarum, disciplinarumque omnium, denique ipsarum literarum inventionem conferre. At qua fronte? cum fere nunquam non adductorum in id testium laboret fides; certe nulla videri post ea quæ dicta sunt, prudentioribus possit: Ut dubitari queat, quodnam sit magis admiratione dignum, homini erudito id visum fuisse, an vero toti orbi eum voluisse persuasum. Sed fortassis neutrum horum de ipso credi par est: omnia enim ista congessisse videtur potius ut eruditionem suam ostentaret ac male ureret Conringium, quam ut ita accidisse crederet: quem tot, tamque indignis modis solet tractare, ut, si solum legas Borrichium, facile Conringium rerum medicarum imperitum, in omni antiquitate hospitem, chemiæ infensissimum hostem, hominem malignum, affectibus deditum, sententiarum aliorum corruptorem, & vix prima Latinæ linguæ rudimenta probe doctum existimes: Ut enim omnia congereret in opprobrium incomparabilis optimique viri, non erubuit commissa adversus Latinæ linguæ genium peccata subinde ipsi exprobrare, idque etiam falso, ut videas ex livore potius & maledicendi studio quam ex meritis adversarii qui nunquam lacessierat, eum egisse. Mihi vero si fas est in tantum virum vicissim animadvertere, & libere ac ingenue dicere quod sentio, videtur multo potiori jure accusari ipsemet posse analytices ignorantiæ, & malæ fidei. Nullum enim fere in toto vel priore panegyrico, vel posteriore historico volumine occurrit apodicticum quod ad controversiam primariam faciat argumentum, sed pleraq; vitio laborant Logico, & robore suo destituuntur, fucum autem verbis facere, & ex eloquentiæ coloribus nonnunquam malæ causæ præsidium quærere, & imponere lectori videtur haut semel: Multa etiam malitiose & per calumniam torquet; dixeris mores in hoc imitatum Paracelsi, & aliorum olim chemicorum, qui non tam argumentis, quam adversariorum contemtu & calumniis pugnabant, cæterum neque solidum in rebus pondus inerat, neque in verbis fides; nisi & multo rectioribus studiis

& elegantioribus literis eum imbutum, esset manifestum. Id doleo, non satis cavisse summum virum, ne in aliis etiam ejus imitator videretur. Quam enim superbo fuerit animo, & quam contemtim habuerit summum virum & cui universus orbis literarius infinitis nominibus est obnoxius, id unum poterit docere, quod ex triviali schola nuperrime evocatus ad medicinam docendam, non dubitavit in præfatione secundi operis postulare, ut Conringius ad pedes suos, tanquam justissimum quod agnoscere habeat, tribunal devolutus, veniam errorum (quos nullos commiserat) peteret: & quidem verbis ipsi in id talibus præscriptis;

Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.

Sed bene habet quod propius alii tam misere ab ipso laceratum Conringium, & rectius norunt, qui uno ore omnes poterunt de eo testari, neminem magis sincerum (de eruditione sua & Latinæ Græcæque linguæ peritia scripta sua loquantur) aut veritatis studiosum unquam extitisse. Sed quoniam ipse in apologetico ad prius panegyricum scriptum satis ostendit quo pacto secum egerit Borrichius, neque etiam hujus loci est de iis curatius disspicere, nihil addimus: rogamus saltem, ut, si res tanti est, conferant inter se Conringii & Borrichii scripta lectores: ita enim facile quas offundere nebulas laboravit, citra ulteriorem indicationem, solius recti judicii viribus discutientur, & ad solem veritatis evanescent.

IV. * *Perfectam medicinam & omnibus numeris absolutam, nimirum Divinam, Æsculapius solus* - Hæc ut rectius intelligantur, operæ pretium est integrum istum locum adjicere, præsertim cum nostram de ortu medicinæ sententiam illustret ac firmet: *scribit Herodotus, quondam ægris per compita expositis, illos qui iisdem aliquando morbis laborassent, referri solitos quibus unusquisque usus sanitatem recuperaverit: atque hoc modo ex multorum usu & experimentis rem medicam conflatam esse. Sed hæc quidem experientia ratione vacua nondum rationalis fuit. Cæterum perfectam & omnibus numeris absolutam, nimirum divinam, Æsculapius solus invenit: Illam vero quæ inter homines versatur, hujus successores Asclepiadæ posteris, veluti hæreditario jure acceptam tradiderunt.* Satis obscurum

rum

rum autem est, quid per divinam hic innuat, cum illam quæ inter homines versatur, ei opponat. Si quis ergo conjecturæ locus, videtur Magicam illam Ægyptiorum in Ægypto didicisse, & redux exercuisse Æsculapius. De qua, ne cum Borrichio alicubi dubitemus, (alibi enim concedit) post alia multa & hic auctor facit, qui paulo ante, apud eos præter herbas aliam quoque medicamentorum rationem fuisse, ex Homero asserit: Magicam autem artem Hippocratis etiam temporibus adhuc medicinam inquinasse, luculenter patet ex libro de morbo sacro, ut sole meridiano clarius hoc existimari queat.

V. ✲ *Has partes medicinæ solas*. Non Homeri tantum, sed ipsius etiam Hippocratis adhuc temporibus ita se rem habuisse ex *Libro de Arte* videre est, ubi circa finem, postquam de cognoscendis morbis internis egit, Hos paucos aggredi ait, cum per aliorum expositionem ad medici curantis cognitionem, πρὸς τὴν θεραπεύουσαν σύνεσιν ἑρμηνευομένων, pervenerunt. Tota autem prior pars illius libri de chirurgia venit intelligenda: Liber etiam de Medico nihil minus quam medicum (hodierno dicendi modo si uteris) instruit, sed mere chirurgicus est, cum tamen exordiatur his verbis: τὸ μὲν γράμμα ἐστιν ἰητρῦ προστασίη, sed de hoc sequente annotatione dicemus. Denique ipse etiam Magnus Cous, sui ævi princeps, longe majorem Chirurgiæ quam Therapiæ peritiam in operibus suis ostendit.

VII. ✲ *Ab hac Cnidia proxima fuit*. Cnidiam scholam in multis parum recte sensisse, & rudem admodum medicinam exercuisse, non est dubitandum, ut longe infra Coam extitisse videatur. Extat ineptissima quæ illis in usu fuit empyematis curatio apud *Galenum Lib. de optima secta*, quæ imperitiam istam palam facit, & exemplo esse potest.

IIX. ✲ *Hippocratem virum honestum*. &c. Hoc encomium ex Galeno ita commemorat *Joh. Hermannus, Wittebergensis professor, in oratione ibi habita Anno M D L X. De ipso Hippocrate. Galeni* inquit, *judicium est:* Καλὸν καὶ ἀγαθὸν ἀνέρα αὐτὸν γεγονέναι, μὴ φιλοτιμίας ἢ φιλοδοξίας ἀλλ᾽ ἀληθείας ἐραστήν. Et de scriptis ejus; ὅτι κα-

κῶς

κῶς ἐδὲν ἔγραψεν, Sed esse quadam obscura quadam mutila, pleraque concisa, brevia, & in arctum contracta: nihil superfluum, otiosum nihil, & alienum à rei natura continens, sed arguta brevitate rotunda & significantia, tantaque referta bonarum rerum copia, ut ubertas & amplitudo rerum verborum numerum longe superet. An autem per omnia standum sit hoc judicio, merito quis forte dubitaverit: Multa certe in Prorrheticis leguntur quæ alibi rursus occurrunt, multa cum hic tum alibi ab ultima perfectione longissime remota, haut pauca etiam inania leguntur; Cujus rei rationem alibi reddidimus: Sed haut paulo sincerius ipse auctor noster sequenti pagina de scriptis Hippocratis fert judicium; nos igitur manum abstinemus.

✠ ✠ *Physiologica scripta quæ sectione prima* &c. sunt hæc non proprie dicta Physiologica, nihil enim de natura continent humana, sed quæ vulgo ad Physiologiam referuntur, potius tamen præcognita sunt: ut I. Jusjurandum Hippocratis, ex quo quam sanctam habuerint medicinam Asclepiadæ apparet. II. Ejusdem lex, ubi requisita in futuro medico, & quibus adminiculis ad artis peritiam perveniatur, paucis, sed accuratissime enarravit. III. De arte: ubi contra calumniatores & contemtores medicinæ fortissimis argumentis pugnat. IV. De prisca Medicina: de quo jam tum ad præcedens caput quæ scitu necessaria, prolixius annotavimus. V. Liber de Medico, quem, non esse Hippocratis, ex stylo ab Hippocratico diversissimo potissimum docti prope omnes judicarunt. Est autem ex his Mercurialis iniquus nimis & acerbus. Quanquam enim negandum non est, libri initium non satis dignum Hippocratica magnificentia videri posse, non tamen meræ propterea sunt nugæ ut ille contendit: Quin nonnulla eorum quæ sequuntur prorsus egregia: ut quæ de cucurbitulis & ulceribus habet. Patet vero & ex hoc libro medicos tum temporis quo scriptus est, in solis adhuc chirurgicis operationibus fuisse occupatos. Sequuntur VII. De decenti habitu, & IIX. Præceptiones, quæ ejusdem sunt ordinis, nam & dicendi genere, & rerum gravitate ab Hippocraticis libris longius absunt, etsi multa non inuti-

lia in iis contineantur, proprie vero dicta Physiologica & Anatomica sectione tertia Foësii habentur, de quibus sigillatim ferre judicium nil attinet.

✣ 3. *Pathologica ejus experimenta.* Non loquitur de omnibus scriptis pathologicis, sed illis tantum in quibus observationes conditæ leguntur. Sunt autem, quemadmodum in citata præfatione declarat, Epidemica, Aphorismi, Prorrhetica, Prognostica, & Coacæ prædictiones: Quorum tamen non omnes ejusdem sunt dignitatis, nec in iis omnia. Multa certe videntur admodum adhuc cruda & indigesta, nec in id ab Hippocrate notata, ut universalia habeantur pronunciata æternæ veritatis, sed tanquam singulares observationes, cum artem faceret, tumultuarie conjecta in pugillares, quo videret an semper eodem modo accidant nec ne: Scio aliter sentire summæ auctoritatis interpretes: sed videntur potius amori Hippocratis quam veritati litasse. Quisquis enim cum judicio legit eorum opera, deprehendet, sæpe eum textui Hippocratico affingi sensum, de quo nunquam Cous forte cogitavit. Sed veritas ejus quod modo diximus, potissimum ex Coacis elucet, ubi leguntur interdum, quæ vix unquam in morbis accidunt. Rectius se habent Aphorismi, in quibus plurima incomparabili Hippocratis ingenio digna continentur: quamvis etiam de his, an ab Hippocrate eo quo nunc extant, ordine sint editi, & non potius post ipsius obitum ab alio collecti, meritò possit dubitari: nam ex reliquis scriptis ejus excerptos esse, manifestum est. Sed de his prolixius egimus in programmate explicationi ipsorum publicæ ante annum præmisso. Habentur vero etiam in reliquis operibus Hippocratis sparsim plurimæ ejus generis aphoristicæ assertiones: ut Libro de Superfœtatione, de dentitione, de Aëre aq. & loc. ut facile longe majus volumen eorum exinde colligi queat:

✣ 4. *Janus Cornarius, qui multam adeo operam collocavit.* Vide catalogum illorum quæ edidit diligentissimus hic vir apud Johannem Ant. Lindanum: qui tamen non omnia enumeravit. Hippocrates ipsius Basileæ prodiit ex officina Oporini M D XLIII. Ipse vero jam anno seculi XXXI, inclaruerat.

❊ 5. *Hieronymus Mercurialis.* Foro Livii in Umbria natus anno MDXXX. antiqua utrinque familia, nec modicis opibus. Patavii tyrocinium cum Philosophicis in studiis, tum medicis fecit: postea cum septennium in Alexandri Farnesii Cardinalis familia exegisset, & primum ingenii sui fœtum, Gymnasticam veterum, absolutissimum illud opus, edidisset, per XVIII. annos medicinam ibidem fecit & docuit: Bononiæ dein per quinquennium, denique Pisis XIII. adhuc annos, ad seculi finem. Tandem in patriam secessit, ubi mox calculo acerbe vexatus vitam morte commutavit V. Eid. Nov. *Thuanus.*

❊ 6. *Anutii Foësii prodiit.* Quantam hic vir, Medicus Mediomatricum longe celeberrimus operam, quantumque studium in hoc opere collocaverit, discere licet ex præfatione operi ab ipso præfixa. Interim tamen haut parum ejus lumen obscuravit novissima Joannis Anth. Van der Linden editio, nitidissima & emendata post Foësium pluribus locis, novis etiam accessionibus aucta: de quibus tamen, an sint Hippocratis, dubia forte res videri potest.

❊ 7. *Jacobus Hollerius.* In Stampensi agro haut procul à Lutetia ortus, & qui in maxima illa urbe, vere microcosmo, artem exercitavit; Obiit MDLX.

❊ 8. *Ludovicus Duretus.* Medicus Regius Parisiensis & Professor, Vir celeberrimus, Heurnii Magister: qui eum divino quodam afflatum numine Hippocraticæque mentis interpretem Galeno æqualem subinde solet appellare. In ultima Burgundia natus, Lutetiam admodum puer ad literarum studia capessenda missus, ibi perpetuam fixit sedem. Obiit anno MDLXXXVI, ætatis LII. morte nondum satis matura, sed placida, & quod imprimis tanto medico dignum, omnino prævisa. Præcipuum ejus opus est in Coacas prænotiones: sed in quo sæpe ingenii sui magis quam sensus Hippocratici vestigia reperias. Hoc etiam vitii habet summus vir, (C. Hoffmanno judice in de Us. Part.) ut in illa affectata grandiloquentia involvat se, non minus quam sepia atramento suo.

❊ 9. *Plagii accusatur.* Ab Antonio Valetio, qui Hollerii & Jaco-

& Jacotii opera practica juncta edidit. Is enim in præfatione ad Lectorem his utitur verbis: *Accuratissima in libros priores scholia, quæ Desiderii Jacotii Vandoperani, Medici Arelatensis nomine hactenus sunt circumlata, quia αὐτογραφικῶς in Hollerii codicibus annotata reperi, nefas putavi, non ea legitimo auctori restituere.* &c.

✱ 10. *Mauritius Cordæus*, Rhemus, scripsit in libros de morbis Mulierum, & *περὶ παρθενιῶν*. Editio est Parisina Anni MDLXXIV, & MDLXXXV.

✱ 11. *Johannes Libautius*, Hollerii commentarium in Aphorismos suis scholiis, ut habet titulus, doctissimis illustratum edidit. Ego vero, neque Hollerio inde lucem accedere video, à cujus sententia non raro plane discessum facit, neque multum eximii in illis scholiis contineri: certe præ Hollerii luce Umbra est, ut quomodo illustrare ipsum potuerit, præsertim propriâ luce clarum, non queam discernere.

IX. ✱ ✱ *Ex Polybo quædam de origine venarum.* Quatuor esse paria venarum, ibi docetur: Unum ex capite ortum retro per cervicem ad poplitem & malleolos pedum exteriores descendere: Alterum ex eodem prodire, Jugulares dici, & ad interiores pedum malleolos protendi: Tertium ex temporibus per cervicem abire ad pulmones, hepar, lienem, & renes: Quartum denique ex oculis derivari ad manus. Ex quibus hujus in anatome peritia, vel saltim illius seculi infelicitas conjicitur. Et quidem ab Aristotele refutatur. Extant autem hæc eadem & iisdem pene verbis in libro de Ossium natura, qui rectius fortasse, de Vasorum in corpore progressu inscriberetur, cum alii multo plura etiam confusissime de iis referantur, ejusdem plane farinæ: Ex quo colligitur, si alter ille est, etiam hunc librum esse Polybi, multo autem altero isto de Natura humana est inferior.

✱ *Quæ tamen cum cæteris omnibus operibus interciderunt.* Non magnam videmur in his omnibus fecisse jacturam, quicquid etiam nonnulli hodie de Democritæa philosophia sibi persuadeant, quam reducere etiam nuper *Joannes Chrysostomus Magnenus* laboravit, Ticinensis Professor: sed neminem, qui ejus accesserit

partibus, invenit. In medicina non multa potuit præstitisse, cum certò constet, eum, quacunque tandem de causa in solitudine & sylvis degerit, in ipsa partium corporis notitia valde fuisse rudem. Sed medicos qui post Hippocratem floruere, & quomodo illorum scripta in templo Pacis Romæ conservata infelici illo templi ac bibliothecæ Palatii incendio perierint, commemorat *ex Galeno Zacutus Lusitanus Præfatione ad Lectorem Historiæ Principum Medicorum.*

XII. ✣ *Quem alium esse à Myrleano illo*- Idem agnoscit Gesnerus in bibliotheca, ubi de utroque agit prolixius: Nos supra de eo ex Plinio jam aliqua annotavimus.

XIII. ✣ *Dioscoridem Phacam.* Cognomentum est à φακῇ Lenticula: quasi Lentiginosus, quod Lentiginibus facies ejus dehonestabatur, ut idem Suidas.

✣ ✣ *Habemus quidem nonnulla, huic attributa.* Sunt ista I. De herbæ betonicæ remediis XLVII. ad M. Agrippam libellus, restitutus per Gabrielem Humelbergum & commentariis illustratus, quam Froshoferus Tiguri impresfit cum L. Apuleii libro de medicaminibus herbarum: cujus etiam esse putatur. Prodiit Basileæ quoq; ex officina Cratandri & Oporini cum aliis de re medica libellis. II. De bona valetudine conservanda instructio ad Mecænatem suum. Excusus hic est Noribergæ MDXXXVIII. Gesnerus in bibliotheca etiam eorum meminit.

✣ ✣ ✣ *Apollonius Myseras Cappadox.* Legendum: Apollonius Mys, Heras Cappadox. Heras autem prior fuit tempore Apollonio.

XIV. ✣ *Cajus Plinius secundus.* De eo *Dalechampius in præfat.* Ex Græcis Athenæus, ex Latinis Plinius ea prodidere, quæ aliis vel primariis autoribus intacta, ignota nobis essent, nisi horum scripta superessent.

✣ ✣ *Quandoquidem naturalis ejus Historia*-- Præter libros sex ordine priores nihil à Plinio traditum est, quod medicorum artem & suppellectilem non augeat. *Idem.* adi ipsum: plura enim ibi reperies.

✣ ✣ ✣ *Aretæus.* Aretæi scripta optime excusa sunt Augustæ Vindel. MDCIII. in fol.

✣ 4. *Dio-*

✻ 4. *Dioscorides Anazarbensis:* Asiaticus fuit, & in illa mundi parte vixit, quod notandum, ut eo facilius intelligi possit ubi de indigenis plantis loquitur. Multas enim frustra hic quæri in Europa, & perperam de eorum cum virtutibus tum generibus vel disputari vel dubitari, ex hoc uno liquet. Sed de his alibi.

XVI. ✻ *Duobus autem potissimum.* De Galeno jam capite superiore actum est: ibi igitur sententiam nostram exposuimus. Quod vero ad hæc duo spectat, optime hoc auctor monet & verissime. Peritia sane anatomes & doctrina de usu partium Galenum omnes, qui eum antecesserant longe superasse, eaque invenisse atque ostendisse de quibus nemo antea ne cogitaverat quidem, ex scriptis ejus facile est ostendere: ut si recte rem pensitemus, plus ille unus fortassis in his præstiterit quam omnes ætatis nostræ anatomici (Vesalium excipio & Fallopium) quorum tamen ingentia extant in rem anatomicam merita. Uti vero fieri non potest ut unus omnia; ita & ipse non tantum multa adhuc ignoravit, sed & plurimos fovit errores, propter quos in anatomicis Vesalio, in Physiologicis vero Caspari Hoffmanno, τῷ πολυμαθεστάτῳ plurimis in locis vapulat præsertim ubi Aristoteli iniquior est, & de principatu partium earumque ortu cum ipso contendit. Quibus postquam accessere Harvei aliorumque observationes, hac in parte prorsus Galenus succubuit. Quod vero ad alterum illud attinet de medicamentorum virtutibus ex primis qualitatibus deducendis, incomparabile viri ingenium hic quoque admirari licet: tametsi enim ex his solis explicari commode omnia non possint, sed & acidum, amarum, dulce, austerum, acerbum vocanda in partes, ut recte docet auctor libri de prisca medicina: & hæc tamen magna ex parte ex calido, frigido, sicco humidove pendent; prout memini, non sine insigni voluptate hæc & alia permulta ab incomparabili nostro auctore ex iis perpulchre explicari solita: Non licet jam de his uberius: quisquis vero de ea re aliter persuasus est, illum omnino velim adire *Joannis Baptistæ Montani*, genuini illius Galeni interpretis, aureum libellum *De differentiis Medicamentorum,*

torum, & causis diversorum virium ac facultatum earundem: exiguum quidem, sed tanti ponderis, ut nec sine admiratione legi, nec ista Galeni dogmata citra illum satis intelligi queant.

✠ ✠ *Fortassis etiam tantum opus --* Prodiisse jam audio Parisiis, sumtibus ab ipso Maximo Rege suppeditatis: nondum tamen oculis usurpare licuit; itaque plura de eo addere non possum.

XXI. ✠ *Apud Sarracenos seu Arabas.* Quid præstiterint Arabes in Medicina, iis liquidum est, qui scripta eorum evolverunt. Nempe præter egregias observationes plurimas, ad morborum causas & historiam pertinentes, cumprimis simplicium numerum adauxere, taliaque addidere, absque quibus si esset, minus longe feliciter artem exerceremus. Mitiora certe purgantia prope omnia, magnamque aromatum vim, Indicarumque rerum supellectilem ipsis debemus: taceo etiam rei medicæ in Europa instaurationem ab eorum scriptis sumsisse initium, ut supra innuimus. *Petrus Bellonius*, Asiaticarum & Africanarum rerum peritissimus, & testis αὐτόπτης de iis tale fert Judicium: *Nemo sane est qui nesciat, quantum Arabibus debeatur, quorum profecto si exemplaria excidissent, cum re medica fortassis male actum foret. Nam cum Libri Græci non extarent, Arabes serio suam operam opportune præstiterunt; in queis* Avicenna *cumulatissime de re medica multos libros conscripsit*, Mesues *quoque quam doctissime*, Averroes & Rhases, Isaac, *& multi alii rem medicam tam Theoricen quam Practicen & illustrarunt & auctiorem multo reddiderunt. Verum cum Græcæ literæ, quæ diu velut in tenebris jacuerant, in lucem revocatæ sint, Græcos in præsentia sequi malumus; sed revera sine Arabibus praxis frigidiuscule exerceretur. Vellem Arabum omnium scripta ad authoris fidem conversa haberemus, sed qvia non intelliguntur, aut alio sensu conversa sunt, male à quibusdam quod rem medicam corruperint, taxantur.* Hæc Bellonius: Et vere quidem serioque dolendum, versionem Arabum tam misere ac Barbare plerumque se habere, ut nonnunquam assequi verum auctorum sensum difficile sit: nec male de arte meriturus videtur qui Arabicæ linguæ Latinæque facultatibus pariter instructus, aliam præcipuorum

De Medicat. fun. l. 1. c. 13.

rum magisque exactam moliretur, verum hoc hisce temporibus cum eruditissimo Welschio nostro optare licet, expectare, forte imperitiæ rerum nostrarum indicium sit. Habent tamen & suos Nævos Arabes: Auctor noster alibi in MSto de Simpl. Med. Facultatibus hæc in iis reprehendenda ait: 1. quod multa ex Græcis male in Arabicum sermonem transcripserint conversa, 2. quod non videantur valde versati fuisse in cognitione simplicium medicamentorum, & imprimis addit, nos potest decipere Avicenna: meliores sunt Serapion & Mesue. In simplicium autem cognitione eos defecisse, non est mirum, avulserant enim ab arte nobilem medicinæ partem Pharmaciam, & ad Pharmacopoeos ablegerant: hinc illa imperitia secuta est, quæ ad initium usque hujus seculi medicis alias etiam peritissimis atque oculatissimis nebulas offudit.

XXIII. * *Avicenna*. Artis cognitione eum admodum instructum fuisse, non est negandum, sed vereor tamen ne verum sit quod meo exemplari descriptum docta sed ignota manu invenio: Avicenna Judicio & ingenio eximius, experientia nullus. Et fortassis illud ingens Philosophiæ ac Theologiæ studium opusq; ipsum hoc systematicum immensi laboris à praxi eum abstraxere. De simplicium notitia Avicennæ modo ipsum auctoris testimonium adjecimus.

XXIV. * *Avenzoarem*. De hoc in manuscripto quodam auctoris sequentia, ex eruditissimi viri *Joh. Henrici Meibomii tractatu de vitis illustrium medicorum* adhuc ἀνεκδότῳ excerpta invenio: *Abenzoar sive Avenzoar, cui prænomen Abhomeron Abhumeron & Abhymeron faciunt, cognomento est sapiens.* (Addidit in margine auctor noster: Sapiens ille, videtur esse Abumeron Babylonius non vero hic Maurus) *Hic licet Anno ætatis decimo ad discendam medicinam animum appulisset, non ante quadragesimum tamen factitare eam cepit. Vir fuit singularis doctrinæ & summæ experientiæ, Averrhoi fere σύγχρονος ut ex ejus lib. VII.* collectan. cap. *XXXIV. colligere licet: ubi Avenzoarem, quemadmodum & Lib.* VI, cap. VI. *virum admirabilem vocat. Et* lib. IV. collect. cap. XL. *ait; Ipsi esse concedendam coronam in scientia medicinæ, qui*

viderit quantum videre quispiam vel cognoscere potuerit; ut propterea *ipsi & testimoniis ipsius fides sit arbitranda.* Reliqua de hoc viro excellenti legitimo editori aliquando publicanda relinquo: hæc adjicere ex multis placuit, ut juventus nostra quanti sit æstimandus Avenzoar, cum ex ipsis ejus operibus, quod justo rariores occurrant, id perspicere non liceat, ex hoc testimonio philosophi incomparabilis agnoscat. Scripsit etiam de simplicibus medicamentis tractatum, quem Joh. Schenckius publici juris se facturum, jampridem in Bibliotheca medica promisit, sed morte præventus non præstitit.

✠ ✠ *Averrhoes:* Natus Cordubæ in Hispania anno MC. Lingua Maurus, religione Muhametanus. Hunc doctissimus auctor propter Philosophiæ Peripateticæ peritiam magni faciebat.

XXVI. ✠ *Schola Salernitana, auctore primum Constantino Africano* -- De his alibi ita disseruit Auctor: *Vixit seculo XI. vel XII. Constantinus Monachus Monasterii Cassinensis. Ea ætate in tota Europa non erat qui medicinam ex arte profiteretur, exceptis paucis Judæis, qui artem ex Arabibus tantum didicerant. Constantinus vero & Græcæ Linguæ & Arabicæ & Latinæ peritus, multa scripsit, pleraque vero tantum vertit ex Arabico & Græco, & pro suis venditavit, imprimis libros Isaaci Aben Amlam: ut post aliquot demum secula apparuit: aliqua etiam ex Haly scriptis & ita porro Galeno & Hippocrate depromsit. Monasterio Cassinensi adjacet urbs satis insignis olim, Salernum. In ea statim post tempora Constantini cepit quædam schola Medica institui. Apparet autem ex monumentis, ibi fuisse lectos olim Hippocratis & Galeni libros versos in Latinum sermonem. Præter autem Salernitanam nulla fuit in Europa schola Medica usque ad seculum XIII. quo desiit. Ejus fuit auctoritatis uti Fridericus Imperator legem constitueret, ut nemo haberetur medicus nisi quem schola Salernitana probasset. Extat autem scholæ illius Libellus ad Regem Angliæ in quem docte nuper Renaldus Moreau, Medicorum Parisiensium hodie doctissimus commentatus est.* Hæc auctor ipse anno MDCXLIX. ita publice disseruit. Conveniunt autem sic satis bene cum illis quæ editione scholæ Salernitanæ à se adornatæ

haut

haut ita pridem præmisit *Zacharias Sylvius*, Medicus Roterodamensis. Prodiit illa editio Roterodami anno hujus seculi LXVII. Ait ibidem, Monachos Casinenses, ac præsertim Constantinum, qui opera sua medica Abbati Desiderio circa annum Christi MLX. dedicaverit, medicinæ rudimenta in ea civitate, cui proximus mons Casinensis, posuisse. Sed nomine Academiæ nondum fuisse tunc ornatam. Deinde Rogerium Regem primum Siciliæ & Salerni Principem cum circa annum MC. nonnullas leges sanxisset, decimam octavam tulisse de probabili experientia medicorum, cavisseque, ne quis medicinam exerceret nisi prius à Magistratibus & Judicibus probatus: qui secus fecisset bonis omnibus spoliaretur. Hanc legem dein Fridericum Ænobarbum Anno MCL. occupato Regno Neapolitano, amplificasse, & ad Salernitanam scholam restrinxisse. Plura de occasione opusculi scholæ Salernitanæ ejusque auctore ibi est legere, qui perhibetur à Sylvio fuisse quidam Joannes de Mediolano, idque Chronici Cassinensis & Tulloviani codicis auctoritate: consensisse autem in ea quæ conscripserat, universum Doctorum coetum. Hæc nos quia ex illis initiis universæ Europæ medicina renata est, prolixius notare, duximus operæ pretium.

* * *Gerhardus Cremonensis* in Arabum scriptis, & potissimum Avicenna vertendis operam posuit. Veram linguam Arabicam ignorasse eum, Garzias ab Horto L. 1, c. 3. scribit. Petrus Kirstenius Præfat. in Grammat. Arab. etiam JCtum fuisse ait, ideoque erratis ejus, quæ multa sint millia, veniam dandam. Aliter judicavit Josephus Scaliger in notis ad Garziam: Apparet autem ex his quam pulchre tralatos habeamus Arabes: Medicum tamen fuisse Toletanum contra Kirstenium ex Justi Chronologia forte rectius statuimus.

* * * *Arnoldus Villanovanus*. Primus, ni fallor qui in orbe occidentali Chemico studio operam præ cæteris navavit. E Galliæ Provincia erat ortus: ut perperam Hispani Catalanum illum fuisse contendant: Natus Villa Novæ, unde cognomen habet, A. C. MCCC. Calluit linguam Hebraicam

Græcam pariter & Arabicam. Scripsit multa in Philosophia & Theologia, sed plura in Peonia arte. Multa tamen ei attribuuntur, quæ ejus non sunt, ut vel ex stylo patet: fuit enim tum Characteris tum ipsius dicendi rationis mire negligens: quod scripserat, rursus inspicere noluit unquam, nullam orthographiæ habuit curam, stylusque ejus medius inter laudabilem & Barbariem fluit. Doctrina autem tantum valuit, ut cum ante illum Galli ad externas gentes sapientiæ gratia peregrinati fuissent, post Arnoldi tempora cœteræ nationes in Galliam confluerent: Obiit in maritimo itinere, cum à Rege Siciliæ, ad quem inquisitores metuens aufugerat, ad Romanum Pontificem sanandum in Jtaliam mitteretur: teste Symphoriano Campegio in ejus vita.

XXXII. ✣ *Ipse tamen nihil in lucem edidit sed discipuli ejus.* Hoc adeo factum superstite adhuc Montano. Inde Lib. de differentiis medicamentorum supra à nobis laudato conqueritur ea de re, & seipsum sua editurum pollicetur, quod videat male à discipulis evulgari, *Quæ* inquiens (*Di boni!*) *ita conscribuntur, ut cum mihi quandoque offeruntur, non amplius ut mea recognoscam, ita sunt corrupta contaminata & infeliciter explicata.*

✣ ✣ *Hieronymus Fracastorius.* De eo citato loco *Montanus: Hieronymus Fracastorius* inquit, *Municeps meus, vir genere & mo ibus insignis summique alioqui & prope divini ingenii.* Pöeta fuit eximius, & vel ipsi Virgilio comparandus. Scripsit de Lue Gallica poetice libros tres. Cum Carolus V. in Italia esset, & lustraret exercitum, ille spectatores inter simul aderat. Cumque unus ex aulicis eminentioribus eum conspicaret, ostendit Carolo: Hunc esse virum, fatus, cujus parem seculum non haberet. Itaque prodire jussus, & Carolo se sistere propius, qui eum contemplatus est, tanquam sui ordinis singulare ornamentum.

✣ 3. *Cujus Methodus medendi accuratissime conscripta est.* De aliis igitur ejus scriptis intelligendum Philippi Scherbii judicium, quod Casparus Hofmannus in Animadversionibus annotavit his verbis; Capivaccium non magni facio, præjudicio acce-

accepto ab incomparabili Scherbio, qui ajebat, Nimis multas easque inutiles habere distinctiones, quæ legentis cerebrum tantum non diffundant.

✲ 4. *Hercules Saxonia.* Est & aliud ejus opus à Pantheo diversum, Praxis, seorsim edita Francofurti à Leandro Vailaco, M. D. sunt autem ejus prælectiones practicæ.

✲ 5. *Horatius Augenius.* Edidit & libros de partu hominis duos, quibus annexa est historia de fœtu integro, in utero matris in lapidem verso, aliaque.

XXXIV. ✲ *Andream Cæsalpinum*, Ejus scripta elegantissima pariter omnia, sunt 1. Speculum artis medicæ Hippocraticum 2. Controversiæ seu quæstiones cum Philosophicæ tum medicæ, 3. De Plantis lib. XVI. 4. De Metallicis Libri tres, 5. De medicamentorum facultatibus: qui omissus est Lindano. Cæsalpinus autem primum Pisis vixit, horti botanici præfectus per annos XVII. Tum Romam evocatus, stipendio mille scutatorum (MCCL. thalerorum imperialium) auctus, ibidem obiit, annum agens LXXIV. cum seculi hujus numeraretur tertius. *Rolfincius.* Addi vero meretur Prosper Martianus, medicus Romanus, vir ingenii incomparabilis, qui unus dubito an non Gallos illos omnes doctissimis suis expositionibus minimum æquaverit.

XXXV. ✲ *Cujus auctoritas multis illarum pene sacrosancta est.* Ita tum quidem se res habuit, cum hæc primum adspicerent lucem: nunc, sicut undique, ita in Galliis multis in locis aliam faciem medicina induere cepit; ut alii quidem, seniores nempe, antiquorum vestigiis insistant, alii vero recentius docti, novis inhæreant; chemicis maxime: Hæc enim studia cumprimis excolere abhinc aliquot annos studuere.

XXXVII. ✲ *Nos hic nihil addendum putamus.* De Paracelso & nos supra pluribus egimus, ad cap. II. Certum est omnem philosophicam ἀκρίβειαν atque adeo etiam eam quæ in medicina usum habet eum pervertisse, & infinitos errores & falsissima dogmata, nunc quoque à plurimis foveri, quæ, sive Helmontiana videantur, sive alia, ex ipsius scriptis unice ducunt originem; quod nemo putaverit, nisi qui Paracelsum ipsum

evolvat. Tantoque periculosius ars nostra laborat, quod nondum satis agnoscit originem & fontem mali sui. Uti autem hæc negari non possunt, ita verissimum quoque, quod mox subjungit auctor, medicamenta, & chemica plurima egregia in ipsius scriptis reperiri, quæ laude extra cuncta alia putari possent, nisi obscura describendi ratione ea corrupisset. Distingvenda igitur ea quibus bene, ab illis quibus male de re medica est meritus, neque propter ista enormia ejus peccata sunt excusanda, neque horum gratia reliqua vili pendenda aut promiscue damnanda sunt, sed suum cuique tribuendum dicendumque quod quod res est, secus atque alii, qui non omnino nihil affectibus dare videntur, hodie censuere.

✻ ✻ *Dudum observavit Magnus ille Crato* - Verba Cratonis si quis forte desideret, uti profecto merentur legi, hæc sunt: *Non sunt hi* (Paracelsistæ) *qui divinam artem medicam norunt. Quædam medicamenta ab illorum Deo Theophrasto recta atque utilia tradita non diffiteor; sed quam perverse & corrupte divulgata ista sint, hi optime agnoscunt qui veterum MSta exemplaria, in quibus illa quæ mirifiçis involucris Theophrastus involvit, perspicue tradita sunt, viderunt. Fuit in bibliotheca viri optimi & integerrimi Marci Singmoseri sacratissimi Impp. Consilii à secretis primi liber, ante ducentos annos à Monacho quodam exaratus: Eo multis mensibus usus sum & omnia quæ isti tanquam in Eleusiniis sacris inter se mussitant, tam evidenter tradita, ut neminem fallere possint, animadverti.* Reliqua quæ plurima sunt, adscribere nolo, curioso tamen lectori, ut ipse evolvat, etiam atque etiam commendo.

✻ ✻ ✻ *Superioris capitis jam fuit expositum.* Postulat series rerum ut jam nos id etiam exponamus, quid post hæc in arte medica sit actum: cum autem magnam ejus partem capiti superiori subjunxerimus, hic erimus breviores. Itali igitur post illa tempora Galenicam doctrinam ubique fere modicus tenuere, & omnibus aliis nationibus in alia omnia dilapsis, constantissimos in veteri medicina tuenda se præstitere. Excelluit vero cumprimis Neapoli *Marcus Aurelius Severinus* Amicus auctoris, qui ei & librum suum de calido innato dicavit, & in fine illius libri egregio illum ornavit encomio. Is autem

tem in chirurgicis potissimum laudem commeruit, editis de efficaci medicina & recondita abscessum natura libris egregiis. Sed de Vipera quoque scripsit, & Observationes ex brutorum anatome reliquit, quas Zootomiæ Democriteæ titulo edidit Clarissimus Noribergensium Medicus Volkamerus: De his vero rursum deinceps dicendi nobis nascetur occasio. Romam exornavit præ cæteris magnus ille Hippocratis interpres, de quo modo egimus *Prosper Martianus*. cujus liber ibidem typis exscriptus est anno M DC XXVI. Deinde *Petrus Castellus* editis variis libellis, qui tamen maximam partem ad pharmaceuticam spectant, Index operum ipsius cum editorum tum ἀνεκδότων habetur in calce Antidotarii Romani prioris editionis: satis profecto prolixus, multoque plura continens quam Lindanus in libro de Scriptis Medicis enumeravit, qui tamen in editione recentiore anni M DC XXXIX. nescio qua de causa omissus est. Tum *Paulus Zachias*, cujus Quæstiones Medico-Legales tanto Medicis æque ac Jurisconsultis in pretio sunt: sed in quibus tamen hodie forte nonnulla essent emendanda. Vixit ibidem eodem tempore *Petrus Servius* itidem doctissimus, qui varia quoq; scripsit. Galenicæ doctrinæ nimium in quibusdam videtur adhæsisse, quamvis in aliis ab ea recedat, ut in libro de Unguento Armario. Sed de hoc ipse auctor alibi fert judicium. Pisis floruit *Stephanus Rodericus Castrensis, Lusitanus*, qui varios tractatus partim ipse edidit, partim filio Francisco edenda reliquit. Patavii anatome summa assiduitate excoli cepit primum ab *Hieronymo Fabritio* Aquapendente, qui simul excellens erat chirurgus, & *Julio Casserio* Placentino, ejus ex discipulo æmulo. Quos secutus *Spigelius* est, hunc vero *Veslingius*: cuncti post initia hujus seculi vixerunt. Spigelius ad Medium accessit. Nostra autem tempora cohonestarunt duo celeberrimi viri, quorum alter Pisis primum, mox Romæ vitam egit laudatissimam, *Johannes Alphonsus Borellus*. Altero Bononia gavisa est, *Marcello Malpighio*: Uterque Physiologiam præ cæteris excoluere, ille quidem, ascita potissimum Mechanica doctrina, ad cujus normam naturam articulos & musculos constituisse ostendit; hic vero subtilissimis se-

candi artificiis adjutus. Excoluit, vero ultimus etiam Herbariam Philosophiam, cum *Nehemia Grevv* qui in insula longissime dissita, Britannia puta, forte fortuna eodem tempore idem prorsus in animum quod Malpighius induxerat. Alphonsus primum edidit librum de vi percusſionis, alterius prodromum & fundamentum, quem deinde incomparabilis ille de motu animalium, in quo omnes veteres longisſime post se relinquit, secutus est. Patavii Anatomen & chirurgiam post Veslingium summa cum laude professi sunt *Duo Marchetti Petrus* & *Dominicus*, pataviæ Doctores incomparabiles. Sed Chemica etiam studia plurimum promovere *Laudatissimi Principis Cosmi, Magni Ducis Hetruriæ* eruditæ curæ, adornato Florentiæ Laboratorio cujus *Experimenta* ibidem mox ipso Ducis nomine publicata, prodiere. In Gallia post Fernelium *Josephus Quercetanus* Regius medicus inclaruit; sed qui relicta veterum via magis ad Chemica dogmata inclinavit; vixit vero superiore seculo, & hujus nostri principio, quo eodem tempore *Ambrosius Paræus* Chirurgiæ laude super omnes sui temporis ibidem excelluit. Patrum memoria populosissima hæc urbs in *Guidone Patino* se plurimum extulit, verum is fama potius quam editis in publicum libris celebratus est: Erat enim vir eximie doctus, nec in medica tantum arte, verum & elegantioribus studiis versatissimus. Post hæc Galli sui Cartesii amore rapti, illius potius philosophiam excolere quam medicinam promovere sategerunt. Chemicas tamen operationes celebrant, & exiguis libellis singula sua vel inventa vel excogitata subinde communicant, qui tanquam exigui, (non tamen semper ex merito) vel negliguntur vel ignorantur. De Hispanis nihil dicendum venit. Germania vero nostra sibi non defuit, tam fœcundis alibi currentibus temporibus. Paracelsi enim audaciam & impudentisſimum os compressit mox publice stupendi ingenii par illud nobile, *Thomas Erastus* primum, deinde ipse *Conringius* noster quorum utriusq; libri omnibus veræ eruditionis cultoribus debent esse commendatisſimi: etsi enim peritia operationum chemicorum ab hodiernis superantur, veritatis tamen amore & acris judicii vi aliis

vicis-

vicissim præpollent. Secutus est eos *Antonius Guntherus Billichius*, Angeli Salæ gener, & subinde absurda & falsa chemicorum dogmata perstrinxit. Huic sese opposuit Petrus Laurembergius, vir celeberrimus, qui nescio quo in Chemica amore ductus, eorum defensionem suscepit: tanto ardore ut tandem in meras calumnias desineret cepta inter eos contentio, ex quibus parum utilitatis ad publicum pervenit. Uti vero dogmatum illorum vanitatem & superbiam atque arrogantiam impugnavere in inferiore Germania bini ultimo nominati amici. Ita in superiore Germania id quod laudabile & egregium atque utile in Paracelso, Helmontio, aliisque istiusmodi auctoribus reperitur, à quisquiliis sejungere cepere quibus de meliore luto cor finxerat Deus: quorum inter primos fuit *Joannes Hartmannus*, forte etiam primus publico stipendio Chemiæ professor constitutus: hujus est.

Dogmata non juro in Paracelsi aut scita Galeni.
Vera utriusq; placent, falsa utriusq; jacent.

Vide ejus disputationem Medico-chem. VIII. p. 144. Huic socius accedat ejusdem provinciæ indigena Oswaldus Crollius, qui egregia medicamenta collegit, etsi prolixa illius præfatio non magni sit momenti. In eum vero postea commentatus est ipse Hartmannus. Sed felicius etiam alibi hoc opus urgebatur. Posteaquam enim *Guernerus Rolfincius* Hamburgensis, vastissimæ vir doctrinæ Anatomen & Botanicam & Chirurgiam in Jenensi Academia restaurasset, etiam hæc pertentandi ipsum libido incessit. Idem desiderium tum ceperat *Johannem Michaelem*, Lipsiensem: cujus Manuscripta practica & chemica omnibus juvenibus etiamnum expetuntur. His auctoribus cepit chemiæ illa pars, quæ ad pharmaceuticam maxime pertinet, caput extollere, quos successores sui, singuli suo loco laudandi pari æmulatione secuti sunt, eoque successu, ut rei pharmaceuticæ primas hodie partes occupare videantur. Italiæ propior vixit nuper, Augustæ nempe Vindelicorum, vir supra laudem positus, Medicus & Polyhistor incomparabilis *Hieronymus Welschius*, Germaniæ decus, variis varii generis scriptis clarissimus;

rissimus: Inter quos eminent Consilia ejus, & observationes. Hunc nuper fata nobis eripuerunt: nomen vero ejus cum publica scripta tum *Lucas Schræck us*, amicus noster, ab interitu vindicant, qui cum de vita ejus pariter ac scriptis ac instituto egerit, nos eo Lectorem amandamus. Et ex illis quidem temporibus nemo amplius inventus est facile, qui Paracelsicis dogmatis aperte inhæreret, Helmontiana secta eam absorbente, nisi quod in Dania *Petrus Severinus* mira deliria propagare ausus sit: quæ commentariis illustrare suscepit postea *Wilhelmus* quidam *Davidsonius* Scotus, quorum prodromum edidit, veterum philosophorum hanc esse doctrinam, ipsiusque Hippocratis, non veritus profiteri: Sed meras nugas esse facile patet legentibus, ut mirer Borrichium de tali antecessore sibi tam prolixe esse gratulatum, cujus tamen dogmata, relictis vestigiis ejus saniore & sobria sua philosophia tacite falsitatis ubique convincit ac damnat. Post chemica ista undique locorum nominalis quoque herbarum notitia, quam Botanicam vocant, evehi insigniter cepit, alibi *Caspare* aut *Johanne Bauhino* fratribus, alibi *Jungermanno*, *Vorstio* alibi; alibi aliis præeuntibus juventuti, quod argumentum capite X. persequimur. Vixit etiam seculi initio *Gregorius Horstius*, plurimis scriptis clarissimus, maxime tamen observationum & epistolarum volumine, quod operosa commendare supervacaneum foret. Ad Belgas accedo, ubi Plempius in Regio territorio eminuit: Lugduni vero *Johannes Antonides Lindanus*, iis annumerandus, qui Hippocratem unice venerati sunt. Huic *Sylvius* successit, de quo supra diximus. Sed ultimis deinde temporibus Anatomen & physiologiam sibi selegerunt potissimum Batavi: primum *Johanne van Horn* exsuscitante præclara ingenia qui etiam testes viriles vasorum conglomerationem; mulierum ovaria esse primus asseruit: vir perquam egregius, cujus præmaturam mortem non satis lugere se posse ajunt qui eo familiarius sunt usi. Impari ingenio & eruditione, sed longe majori felicitate ejus vestigia premere & quod ille ceperat, absolvere vidimus *Regnerum de Graef* & *J. Swammerdammium*. Et quidem Swammerdammii industriæ & subtili-

tili ingenio potisſimum debemus quicquid per viſcerum excarnationem, injectionem ceræ in vaſa cujusvis generis, & partium à corruptione vindicationem anatomico ſtudio emolumenti acceſſit. Contendit cum Hornio aliisque tum temporis *Ludovicus de Bils*, nobili loco natus, ſed ſingulari exemplo genioque tractus ad anatomen: in qua omnium rerum rudis ſine magiſtro miros etiam fecit progreſſus. Sed cum in controverſia quæ agebatur, non ſatis circumſpecte oculis uſus eſſet, cauſa cecidit. Ingenti autem anatomicæ & Phyſiologicæ rei amore tum temporis magnus ingenuorum juvenum numerus exarſerat. Hinc *Nicolaus Steno* quoque, *Olaus Rudbekius*, *Richardus Lovverus* Dani, Sueci, Britanni alii in eas ſumma cum laude ſeſe occuparunt, &, quem inter viros eosque primos collocare oportebat, quod infinita omnis generis eruditione etiam excelleret, *Thomas Bartholinus*: Ab his egregie in illis opera fuit collocata, invidendo omnibus ſeculis ſucceſſu. Pathologia & methodus medendi non parem invenerunt numerum amantium, quod illæ veluti pellices illecebris ſuis irretirent juvenes virosque, & quod has expectare oportebat, interciperent. Præter enim *Willisium* celebrem Angliæ Medicum in illa quidem Parte nemo; in hac vero non niſi ſolus *Walæus* Batavus operæ pretium fecerunt. Unicum adhuc commemorandum venit præclarisſimum ſeculi noſtri inſtitutum, quod Baconi Verulamio debemus. Is enim, vir ſummi ingenii cum animadvertiſſet plerosque doctorum in explicandis veterum ſententiis & controverſiis agitandis unice ætatem conterere, nec tamen multum artes promoveri, (quod Helmontium etiam ad ſcribendum impulerat) id vero ab experimentorum inopia nobis accidere recte exiſtimaret, quo revocaret ab inutili labore animos ad naturæ contemplationem, editis variis opusculis, & in quo peccarent & quomodo emendari posſit hoc vitium, pluribus oſtendit. In quibus licet multa moneat quæ ipſum jam olim Ariſtotelem minime latuere, eumque vel non lectum, vel oſcitanter inſpectum nec intellectum, ſæpius carpat quam foret neceſſe, effecit tamen quod volebat, cum eſſent pro novis

quæ proferebat. Itaque statim consensu eruditorum quorundam hinc inde deinceps collegia fuere instituta, quorum membra in particularibus experimentis & observationibus colligendis studium suum contulerunt. Præluserant in Italia Lycei academici qui instituto collegio, in res naturales interdum & medicas inquisivere, servatis tamen sibi experimentis suis. Secuti mox sunt majori conamine illustriorique loco Britanni, civis sui prudens monitum nobiliori exemplo comprobantes: Quibus etiam non dubitavit Carolus II. Magnæ Britanniæ Rex Regii nominis sui auctoritatem commodare; quin & privilegiis & fundo societatem donavit. Sed de horum progressu nihil est dicere, partim quoniam & hi in scriniis asservant omnes observationes suas, fortassis nunquam lucem visuras: dum enim non nisi perfectum ex infinitis opus affectant, verendum ne vel publicæ calamitates vel forte incendium (quod fatum fuit instructissimarum bibliothecarum) laudabilem eorum voluntatem antevertat; partim quod ad philosophiam potius quam medicinam pertinere videatur. Propius ad nos spectant S. R. I. Naturæ curiosorum ephemerides, in quibus, Anglos secuti, Germaniæ potissimum, tum aliarum regionum Medici, quod singuli observant, quotannis transmissis vel ad collectorem vel directorem schedulis, publici juris faciunt, Pleraque enim hic medica occurrunt. Hos deinde porro imitati sunt aliæ nationes: Ita in Dania acta Haffniensia, in Hollandia Amstelodamensia sunt nota. Quin & privati homines, conventibus eruditorum in ædibus habitis, aut ab aliis acceptis rebus memoria dignis, suum contulerunt symbolum. Quod de Gallis potissimum valet: Habemus ex his *Abbatis Bourdelottii Conversationes academicas* à Gallesio editas, & *Blegny Observationes.* In his & similibus variarum rerum copiam & experimenta infinita est reperire, Anatomica, Pathologica, Chemica alia, ut inde nobis maxima singularium nata sit abundantia atque ubertas, ex qua summum suo tempore fructum licet expectare: qui vero ex his universalia rectæ rationis usu condiderit, adhuc quidem nemo hominum inventus est, dissuadentibus Anglis. Et hæc fere sunt, quæ nostris & proxime ista tangentibus temporibus fuerunt acta.

XXXIIX,

XXXIIX. * *Joannes Antonides Vanderlindius.* Cum ex reliquis modo nominatis plurima Lindanus in ſuum librum transtuliſſet, ut ipſe in præfatione non ivit inficias, factum eſt, ut libri ipſi iſtorum ſenſim deficerent, & cum Lindano toti eſſent inſerti, etiam memoria auctorum pene extingueretur. Editus autem Lindani codex tertium quartumve, ſemper auctior: ultima editio Batava ni fallor, ann. MDCLXII. excuſa eſt; Nunc iterum recuſum opus Norimbergæ, rurſum augmento aliisque acceſſionibus conſpectius, ſtudio atque opera Georgii Abrahami Merklini, ex Nat. Cur. Collegis. Probe autem in hoc quam maxime; quod non auſcultarit quorundam conſiliis, qui ordinem mutandum, & cognomina præmittenda eſſe voluerunt: præſtat enim juventutem ad pronomina hoc pacto addiſcenda conſtringere, quam eorum negligentiæ ſubſidia quærere, nemini enim, ut puto, non conſtat quantum huic ſubſit utilitatis, ſi quis ad ſolidam doctrinæ cognitionem adſpiret. Sed hic jam iterum noſtratis ævi felicem induſtriam deprædicare datur. Cum enim quotidie creſcat auctorum numerus, nec liceat uni, quicquid in univerſo Europæo orbe excuditur, habere ſtatim compertum; optime nobiſcum illi egere, qui editorum librorum catalogos ſingulis annis vel menſibus edidere. Quale quid iterum in Anglia primum conatus eſt Illuſtris Regiæ ſocietatis Secretarius Henricus Oldenburgius, natione Germanus: poſt ejus mortem vero hoc negotium una cum munere ad Robertum Hookium, celeberrimum virum, devolutum eſt. In Gallia idem præſtitere qui ephemerides eruditorum edidere, (Journal des Savans) & nuper Lipſienſis Lycei præcipui doctrina viri effecere, ne ſoli Germaniæ ſuæ hæc gloria deeſſet: nam & Romæ his annis idem aggreſſi ſunt nonnulli. Quin imo nuperrime idem inſtitutum apud Roterodamenſes ſecutus eſt doctiſſimus Bayle, Scotus ut fertur: Ut de omni illo, quod per univerſum literarum orbem agitatur, prope conſtare queat. Sed in his uti forte nonnullis, quibus ſumtus non ſuppetunt, moleſtum eſt illud, quod auctor primo loco de Geſneri bibliotheca monuit, recenſeri ibi non ſolum medica ſcripta, ſed &

multa alia, quæ artem noſtram non tangunt; ita apprime juvat, ut abunde compenſetur hoc diſpendium; quod & argumenta librorum ſint addita, & haut raro etiam de iis judicium ferant editores; etſi vel ſincerum ſemper expectare vel requirere, non licet: periculoſum enim nonnunquam & odioſum eſſe conſtat de viventibus id conari. Cæterum placuit etiam hoc, quamvis cum iſto neutiquam ſit conferendum, quod Londini obſervavimus: Edi ſubinde catalogum omnium librorum per univerſam Angliam typis excuſorum addito pretio quo venduntur. Ex quo vel id commodi redit ad emtores, ne emungant crumenam maleferiati homines: Quod in Germania noſtra facile poſſemus itidem imitari, ſi ſingulis in oppidis unus conſtitueretur qui ad certum locum in medio Germaniæ ſitum eorum quæ prodeant titulum teneatur transmittere, adjecto pretio quod primus qui ſumtus fecerit ſibi cupiat ſolvi: idque hodie tanto magis foret utile & neceſſarium, cum enormiter & impune peccent nonnulli noſtrorum bibliopolarum, quorum vel luxus & ſuperbia, vel avaritia animos ita corrupit, ut primo quo quid editur anno, duplum vel triplum pretii exigere, non pudore non conſcientia prohibeantur. Qui mos, paucis abhinc annis ceptus, verendum eſt, ne deinceps, ni obviam eatur, totam Germaniam, pernicioſo inficiat contagio.

XXXIX. ✠ *Magis eruditorum deſiderio ſatisfacient Renatus Moræus & Johannes Henricus Meibomius.* De priori mihi non conſtat prodiiſſe: forte doctiſſimus vir illi immortuus eſt. Multa tamen ejus generis immiſcuit operi ſuo de Venæſectione in pleuritide, ex quo depromit ſubinde Lindanus quæ in Libro ſuo de ſcriptis Medicis ſolet de auctorum vitis, tempore, locove nonnunquam adjicere. Alterum vero illud præclarum & bonis omnibus deſideratiſſimum, etiamnum aſſervat ſecum Henricus Meibomius patriæ famæ ac eruditionis ex aſſe hæres, Academiæ hujus ornamentum, idque plurimis acceſſionibus nunc auctum, propediem à ſe ſperare jubet eruditorum cœtum.

XL. ✠ *Num qui præterea in eodem argumento laboraverint.* Eſt hæc altera pars bibliothecæ Medicæ univerſalis, utiliſſima

lissima itidem futura & Locorum communium vices impletura. Et vero, quod ad praxin, seu illam partem quæ curationem morborum docet, non infeliciter eo in argumento nonnulli versati sunt. Laudandum præ cæteris *Matthiæ Moroni Directorium Practicum*, & *Joh. Georgii Walteri, medici Lignicensis sylva medica*, vere, ut fert titulus opulentissima: quæ duo conjungenda sunt, non enim uterque eadem conscripsere sed diversa: Et possent illa sensim augeri, & perfectum opus, omissis singularibus remediis & seorsim collectis, tandem inde exsurgere. Videtur huc spectare etiam *Hæferi Hercules Medicus*, sed is non tam de auctoribus quam remediis compilandis sollicitus fuit. Moroni Directorium tertium jam edidit accessionibus auctum Sebastianus Schefferus, ille qui ante hos 32. annos hanc introductionem primum tunc editam sub præsidio auctoris disputando publice defendit; nescias autem fortassis majori artem profitentium emolumento an damno: eo enim factum est ut præveniret incomparabilis viri, Georgii Hieronymi Welschii longe majores conatus, qui idem opus tum sub manibus habebat, prout ex ejus in *Curationum & observationum Medicinalium centurias præfatione* apparet, ubi sic ait: *Innumera igitur suis locis restituimus, quædam superflua recidimus, non pauciora emendavimus & plura omissa addidimus, quæ aut Moronus neglexerat, aut non poterat vidisse. Nec iis tantum contenti, qui singulares commentarii occurrebant, collegimus præterea, quicquid historiarum apud antiquos Græcos Latinos Arabas supererat, & quicquid hinc inde alii scriptis suis ex occasione inseruissent: Hinc opus duabus propemodum partibus & quod excedit grandius nobis natum. Hunc indicem à nobis auctum & emendatum quamvis privatis usibus destinatus esset, in publicum tamen producere aliquando meditabamur, sed commodum evenit ut V. C. Sebastianus Schefferus, Medicus Francofurtensis has sibi partes deposceret, & anniversariis Bibliopolarum indicibus significaret, nosque ingenti molestia propterea liberaturus videretur. Verum quod pace eximii viri dictum volumus, ne nunc quidem ab edito majore nonnihil opere nos temporis impensi aut qualiscunque industriæ nostræ pœnitere potuit.* Ex quibus patet, longe præstantius fuisse Wel-

 schii

ſchii hoc quam Schefferi opus: rogatos igitur volumus tanti theſauri hæredes etiam nunc publici juris facere, & Schefferianæ editioni adjicere ne graventur ea quæ vir eruditisſimus in ſuos primum uſus collegerat, mox autem publicis deſtinaverat: uti & reliqua ſua opera edendo non minorem gratiam iniverint forte ab iis qui ſolidæ rei medicæ notitiæ inhiant eamque cupiunt promotam.

CAPUT IV.

DE

PHYSIOLOGICO ET PRÆCIPUE ANATOMICO STUDIO, EJUSDEMQUE SCRIPTORIBUS.

THESIS I.

STudium itaque Phyſiologicum, de quo primum agendum eſt, quod attinet; jam tum ex Primo capite notum eſt, in ſanitate totius corporis ſingularumque ejus partium, omnibusque quæ ad eam quoquo modo pertinent exponendis, illud unice eſſe occupatum. Ideoque etiam hic denuo ut illa repetamus, nulla eſt neceſſitas. Hoc potius hic tradendum erit paulo accuratius, quomodo iſta cognitio poſſit acquiri. Quanquam jam tum ex eodem capite itidem conſtet, ut in reliquis Artis partibus ita & in Phyſiologia duobus principiis utendum eſt, experientia ſcilicet ac ratiocinatione; ad quas proinde, *tanquam certam & unicam veritatis normam*, provocavimus etiam *præfat. ad lect. lib. de Sanguine*. Non difficile itaque erit juxta hæc etiam in hac doctrina progredi: Quo maxime facit *Introductio noſtra*

in Naturalem Philoſophiam ad cujus ductum omnis Phyſiologica doctrina inſtituenda eſt, niſi quod quæ illic de omni in univerſum naturali corpore diſſeruntur, hoc loco ad ſolam humani corporis notitiam reſtringenda ſint.

II. Cæterum quum omnis noſtra cognitio à ſenſibus incipiat, etiam in Phyſiologicis ſenſualem notitiam præcedere debere, certum eſt. Quum autem porro hic non æque omnes ſenſus prodeſſe poſſint, ſed tamen viſus & tactus, hi vero nec ipſi omnia corpore integro comprehendere queant, utpote in quo externæ tantum partes cognoſcantur, neceſſarium utique eſt corpora diſſecare, quo etiam partes internæ in notitiam noſtram deveniant. Quo itaque partes corporis internæ cognoſci poſſint, anatome in ſubſidium erit vocanda. Neque tamen per ſectionem illam corporis aliud præſtatur, quam ut iisdem ſenſibus ea, quæ integro corpore latent, clare exponantur. Ut proinde huc etiam pertineat illud Ariſtotelis in poſterioribus Analiticis: eum qui ſenſibus captus eſt, recte philoſophari non poſſe. Nec etiam oculis à prima nativitate captus corporis humani internas externasque partes, quemadmodum quæque ſeſe habeant, plene didicerit. Cæterum quo ſectio illa ſive anatome recte inſtituatur, arte quæ modum ſecandi tradit inſtructus eſſe quis debet. Eſt enim Ars illa Anatomica nihil aliud, quam ratio tantum & cognitio recte ſecandi proponendique ob oculos ſingulas in corpore latentes partes. Non enim naturam & uſum partium Anatomicus quatenus talis exponit; ſed ex iis quæ anatomicus propoſuit, illa deinceps inveſtigat Philoſophus Naturalis. Ideoque Ars Anatomica circa ἐγχειρήσεις, videlicet ſecandi occupata, revera tantum miniſtra eſt Philoſophiæ Naturalis ut & Artis Medicæ. Quo patet inſignis error illorum, qui libros

libros Anatomicos inſcribunt, quibus tamen ipſum uſum partium inquirunt & tradunt: quaſi ſcilicet ſecare partes & in earundem uſum inquirere unum idemque foret. Quemadmodum vero ars textoria circa pannum conficiendum occupatur, quum tamen ipſa panno non utatur: ita etiam Ars Anatomica modum tantum ſecandi monſtrat, & partes latentes oculis per ſectionem exponendi, de uſu illarum nihil ſollicita. Rectius hoc obſervavit Galenus: eoque libros illos duntaxat, quibus ſecandi rationem docet, inſcripſit: περὶ ἀνατομικῶν ἐγχειρήσεων: libros autem, quibus uſu & actiones patium explicuit, Anatomico titulo non inſcripſit.

III. Quum igitur per Anatomen partes internæ detegantur, jam porro conſtare debet; quidnam itaque per illam in ſenſus incurrere poſſit. Diximus autem jam tum viſum & tactum ex omnibus ſenſibus hic vel tantum vel præcipue locum habere. Quæcunque ergo ſive viſu ſive tactu deprehendere poſſumus, omnia illa etiam in ſectis corporibus iisdem patent, ſive ſint propria ſive communia iſtorum ſenſuum objecta. Et quidem ut de propriis objectis nihil dicamus, quorum notitiam propriis uniuscujusque ſenſoriis deberi conſtat; ad communia ſenſibilia ſitum, magnitudinem, motum, quietem, figuram, numerum ſingularum partium, earundemque cum aliis connexionem pertinere, clarum eſt: utpote quorum pleraque & viſu & tactu ſimul cognoſci atque diſcerni queant.

IV. Quibus ita ſe habentibus, ad accuratam partium cognitionem ordine obtinendam utique conſultum erit, ut primum de ſingulis ſeorſim partibus generalior quædam tractatio inſtituatur. Qua opera peracta, proximum jam erit, oſteologiam addiſcere. Et quidem quum maximum momentum

mentum in ea cognitione collocatum ſit, qualem figuram ſingula oſſa habeant, quem ſitum, quam magnitudinem, & denique connexionem; num item dura ſint, an mollia, & quæ reliqua ſunt hujus generis, diligentiſſime ea ſunt inveſtiganda. Certe quo quis horum fuerit peritior, eo facilius doctrinam de luxationibus addiſcere, feliciusque in luxatis (*addo etiam & fractis*) reſtituendis verſari poterit. Poſt oſteologiam, venarum, arteriarum, nervorum, viſcerum, omniumque reliquarum partium ſingularum ſtructura inveſtiganda eſt. Neque enim hepar v. g. quis recte curare poterit, niſi ipſius ſitum, temperiem, conſtitutionemque exploratam habuerit. Par vero eſt ratio de cæteris.

V. Verum quum his partium cognitio non abſolvatur, ulterius jam pergendum eſt, & quidem ut proprius uniuscujusque partis uſus ſive actio teneatur, opera danda. Quod ipſum addiſci poteſt ex parte quidem ſenſuum adminiculo: ex parte tamen & quidem potiſſima per ratiocinationem. Ad actiones autem partes non uno ſeſe habent modo. Quædam enim partes propter actiones integre præſtandas nobis datæ ſunt, quædam ut actionum adjuvent tantum. Conſtat autem porro, varia actionum genera in homine dari. Et primo quidem quædam ſunt actiones animæ vegetativæ, homini cum ſtirpibus quodam modo communes; quæ alias in Medicorum ſcholis naturales appellantur; perperam tamen, utpote quum hæc appellatio Stoicis primum auctoribus in Philoſophiam introducta ſit, cum quibus loqui quoſque hoc loco ſequi Galenus maluit.
* Sunt autem hæ omnes, tum quæ ad nutritionem tum quæ ad generationem faciunt, actiones. Quamvis nutritio atque generatio hominis uti & reliquorum animantium à plantarum nutritione ac generatione multum differant, nec niſi aliquo tantum modo cum ea conveniant. Obſer-

vare autem eſt, has actiones omnibus corporis noſtri partibus ** quadantenus quidem eſſe communes; plurimas tamen partes totas vegetativis iſtis actionibus edendis unice eſſe deditas, ventriculum intellige, hepar, lienem, renes, & ſimilia alia. Quin etiam motus ſanguinis huc maxime facit. Itaque *** ventriculus e. g. & inteſtina partes ſunt ſingulares nutritioni inſervientes, ita tamen ut in partibus etiam reliquis fiat quædam vegetatio. Hinc igitur ante omnia quidem danda eſt opera, ut intelligamus quid illæ partes ſingulares ad nutritionem præſtent; præterea tamen etiam ſciendum eſt, quomodo ſingulæ partes vegetentur. Et quidem propterea, quoniam hoc ignorato, Medicus ſæpe curationem recte inſtituere neſcit. Ita v. g. ſi in digito ſit atrophia, vel etiam idem plus juſto creſcat adeoque vegetationem juſto pleniorem patiatur, utique neque atrophiam tollere neque prolixiorem illam vegetationem impedire poteris, niſi incrementi rationem & modum teneas.

VI. Præter actiones vero vegetativas etiam ſenſitivæ dantur tam internæ quam externæ. Sunt autem & hæ omnes accurate noſcendæ. Neque enim v. g. auditum læſum integrum reſtituere poteris, neque illum integrum conſervare, neque etiam circa eum aliquid obſervare; niſi & quomodo pars illi dicata ſentiat, & quomodo auditus fiat, cognitum habeas.

VII. Hæc igitur addiſcere Medicus omnino debet, ut, quo pacto ſingulæ tum vegetativæ tum ſenſitivæ actiones * fiant, ſciat. Poteſt autem quis iſthanc quidem notitiam unius menſis ſpatio facile ſibi comparare, ſiquidem in ſectionibus ſeſe ſimul exercuerit. Alias enim tam cito iſtam ſtudii partem abſolvere quis non poterit: etſi magiſtris aut optimis etiam libris fuerit diligenter uſus.

IIX. Cæterum quum Medicus propoſitam ſibi habeat

beat

beat notitiam unius corporis humani: hominum corporibus debere illum cumprimis insudare manifestum est. Nec enim animantium corpora omnimodo sunt humanis similia. Itaque etiam humana corpora omni studio sunt medico secanda, siquidem accuratam velit subjecti sui notitiam acquirere; quod fieri par est. Verumtamen quia non semper datur facultas humana corpora secandi, brutorum corpora assumenda sunt. Quoniam vero alia cum homine plus, alia minus habent similitudinis; nemini non liquet, non sine discrimine omnia in hunc usum conducere, sed præcipue illa, quorum constitutiones cum humano corpore quam maxime conveniunt. Imo etiamsi in promptu sint cadavera humana; nihilominus tamen adjungenda est & brutorum corpo-
* rum inspectio. Certum enim est usum actionemque humani corporis neminem perfecte addiscere posse, nisi reliqua animalia aliquo modo etiam cognita habeat. Ratione hujus non obscura: utpote quoniam nemo recte scientiam aliquam sibi paraverit, nisi exploratis omnibus effectionibus in adæquato subjecto, simulque differentiis & similitudinibus cognitis. Quæ pertinent autem ad corpus humanum, illorum paucissima homini soli conveniunt, sed vel omnimodo cum aliis aliquibus animantibus sunt communia, vel vero magna ex parte. Iuvat porro sectio brutorum etiam ad faciliorem rationem anatomes humani corporis. Quoniam quo quis peritior in brutis animalibus secandis fuerit, eo expeditius etiam humani corporis sectiones instituere poterit.

IX. Quicunque itaque ad accuratam partium cognitionem aspirat, etiam aliorum animalium sectioni operam dare debet. Quam in rem maximorum virorum exempla non deerunt. Et quidem quod antiquissima tempora attinet, ipse Hippocrates Cous, Democritus, aliique

in animalium ſectione multum verſati fuerunt. Longe vero operoſius & ſumma cum diligentia illud ipſum præſtitit *Ariſtoteles*, ſuppeditante ipſi in hanc rem immenſam pecuniæ vim cæteraque neceſſaria omnia adjumenta Alexandro Magno Macedonum Rege. Quo effectum, ut animalium rem omnem nemo etiam in illo vel fuſius vel etiam accuratius proſequutus ſit. Singulari in iſthoc negotio uſus ſimul prudentia, dum quæ per ſenſus dignoſci poſſunt, ſeorſim, in hiſtoria animalium cumprimis, tradidit: doctrina partium ἐπιστημονικῇ ſeorſim expoſita. Verum Ariſtotelis exemplum Medicum non adeo moverit, propterea quod Philoſophum egerit, & in Philoſophiæ uſum diffuſe adeo in Animalium cognitionem ſeſe immerſerit. Et ſane fatemur talem peritiam à Medico non exigi. At vero etiam *Galenus* noſter in multorum animalium brutorum ſectione haud leviter profecto fuit verſatus. Et ſane id niſi feciſſet, non reliquiſſet nobis præclaros illos de Uſu partium commentarios. Idem præclarum inſtitutum noſtra quoque & patrum memoria multi alii præclariſſimi viri ſequuti ſunt; quorum inſigniores non poſſumus non heic commemorare. Primo autem loco nominandus merito venit *Andreas Veſalius*, qui hac in re ſummam diligentiam adhibuit, de quo infra pluribus. Poſt hunc maximum inde nomen reportavit *Hieronymus Fabricius ab Aquapendente*, ejusque diſcipulus & poſtea æmulus ac collega *Julius Caſſerius Placentinus*. Romæ item *Bartholomæus Euſtachius* ſectione animantium valde inclaruit: ſicuti in Germania laudem inde ſibi peperit *Volcherus Coiter* Friſius Groninganus, Norimbergenſis Reipubl. Poliater, Anatomicus & Chirurgus celeberrimus. Noſtro hoc ipſo tempore in Italia *Marcus Aurelius Severinus*, Chirurgorum omnium hodie princeps, Regius in Gymnaſio

naſio

nasio Neapolitano Professor, ζωοτομίαν, ut ipse appellat, sive animantium sectionem valde urget. Imo singularem ejus librum, *Zootomiæ Democriteæ* titulo edidit non adeo pridem Vir Clarissimus *Joannes Georgius Volkamerus*: Democriteam appellans, quod Democrito præcipue credantur olim secta animalium corpora, cum tamen hujus industriam plurimum superaverit Aristoteles. Superest apud nos ejusdem Severini manuscriptus liber de Phoca marino: qui itidem ad hoc argumentum pertinet, propediem lucem visurus.

X. Ut porro ad exercitia anatomica redeamus, institui illa possunt aut in corpore vivo, aut mortuo. Unde jam quæstio oritur, utrum potius ex re sit Medico, vivane an mortua corpora secare? Videtur autem illa non difficilis adeo expeditu. Quanquam enim in corpore vivo nonnulla appareant, quæ in mortuo non deprehenduntur: omnino tamen statuimus, ante omnia mortua corpora secanda esse, quod in iis plura observari queant quæ in vivo absque magna difficultate vix possunt deprehendi. Dum enim corpus vivum inciditur, ob dolorem, quem ex sectione percipit animal, sese movet, unde non possunt non multa sub ipsa manu perire, adeoque observatione digna anatomico subtrahi. Proinde necessum est, corporis mortui ac proinde quieti naturam ante exploratam habere. Accedit, quod per sectionem vivam multum sanguinis non possit non simul effundi: unde necessario vasa quæ sanguinem vehunt, concidunt & evacuantur, quæ in corporibus mortuis ut plurimum turgent & in conspectum venire queunt. Præterea vero ex sectione viventium, durante quidem vita, pauca tantum petere licet, nempe quæ ad chyli distributionem, aut cordis & arteriarum motum pertinent, & similia quædam. Quocirca in mortuorum corporum

 sectione

ſectione potiſſimum anatomicus ſeſe exerceat. Qui mos præclaris quibusque anatomicis ſemper etiam obſervatus eſt.

XI. Secundo porro loco non incommode quæritur, ſuffocatumne aliquod cadaver an ſuſpenſum vel jugulatum denique rei anatomicæ magis ſit accommodum? Putamus autem corpus aqua ſuffocatum omnibus præferendum eſſe. Ratione non obſcura: utpote quoniam per iſtiusmodi ſuffocationem cita ſubſequitur mors, adeoque in corpore non fit magna mutatio. Proximum vero ab hoc eſt corpus ſuſpendio necatum, minus tamen utile, quod circa diaphragma * cumprimis major mutatio facta ſit. Ultimum eſt jugulatum, quod omnium minime aptum eſt, propterea quod venæ arteriæque in eo plane conciderint ſanguine effluxo.

XII. Quamvis vero paulo ante in uſum Medicum & Philoſophicum laudaverimus vivorum corporum ſectionem, vivos tamen homines incidere nefas cenſemus. Nec fortaſſis optimorum etiam Anatomicorum quisquam noſtro ævo tale quid aggreſſus eſt. Quanquam enim de Andrea Veſalio maximo & incomparabili viro id narretur, * optimo tamen viro maximam injuriam fieri arbitramur, quoniam nullos qui vel viderint illud vel à fide dignis acceperint, teſtes reperire eſt. Jacobum item Berengarium Carpum, Hiſpanum quendam, qui Gallico morbo laborans curæ ejus ſeſe commiſerat ſecuiſſe, ſunt qui memorant quidem: ſed itidem fama incerta. Quanquam ſuſpicione hujus facinoris laboravit usque adeo, ut Bononienſi profesſione relicta, quod tuto ibi amplius vivere non poſſet, ad Ducem Ferrariæ profugerit, quem etiam hæredem inſtituit quadraginta ſcutatorum Italicorum, ſive ut habet Thomas Eraſtus *Orat. de Medic. laud.* coronatorum aureorum millibus

libus relictis. Interim tamen quam utilis sit virorum anatome, præter alios *capite XVI. partis II. Zootomiæ* suæ Severinus etiam noster ostendit.

XIII. In vivorum igitur hominum secandorum locum succedant Medico sectiones vivorum animalium brutorum, & illorum quidem potissimum, quæ cum humano corpore magnam cognationem nacta sunt. Hac ratione sane inventæ sunt lacteæ venæ, circulatio sanguinis, motusque ipsius cordis. Sanitatis certe multorumque morborum accuratam notitiam nemo acquisiverit, nisi ex anatome, eaque non solum humanorum corporum, sed brutorum etiam præcipue in istorum defectu, exemplo ipsius Galeni nostri. Quamvis vero ipsam ἀνατομὴν cum primis utilem censeamus Medico, non tamen & librorum Anatomicorum lectionem improbamus. Imo hos insigni posse esse usui, potissimum qui sunt à præstantissimis artificibus profecti, existimamus. Imagines quoque Anatomicas plurimum commendamus. Quamvis enim cum corporum ipsorum inspe- * ctione comparari illarum usus non debeat, tamen ut fit alias, juvare possunt; etiam illos quibus non datur facultas secandi, qui vero spectaverunt ipsa corpora, horum memoriam egregie adjuvare possunt. Quapropter etiam non probare possumus Joannis Riolani, celeberrimi alias viri, consilium, quo imagines Anatomicas in universum omnes rejicere non dubitavit. Præplacet nobis sententia Vesalii, Aquapendentis, Casserii, Eustachii & aliorum qui imaginibus conficiendis multam operam impenderunt. Et vero quis non sentit quantum inspectio juvet picturarum Anatomicarum, quas Academia hæc Julia habet, sine exemplo optimas ** & complures? quis etiam non usu ipso addidicit, quantum alias ad notitiam multarum rerum picturæ & imagines faciant?

XIV. Por-

XIV. Porro quod ipſam Artem ſecandi attinet, illam oppido pauci tradiderunt. Unus enim Galenus ex omni antiquitate illud ipſum præſtitit, ſcripto libro περὶ τῶν ἐγχειρησέων ἀνατομικῶν. Sed & inter recentiores Andreas Veſalius in eximio opere *de Fabrica corporis humani* modum ſecandi identidem tradere ſolet. Fecit idem ex parte Realdus Columbus. At vero Joannes Riolanus Anatomicus Pariſienſis modo laudatus diligentius reliquis id præſtitit. Elegans quoque libellus ejusdem argumenti Gallice prodiit auctore Nicolao Habicot Chirurgo quodam. Reliqui ſcriptores anatomici, utut magnus eorum ſit numerus, modum ipſum incidendi non perinde tradunt, contenti hiſtoriam partium docuiſſe. Quapropter etiam libri illorum minus commode anatomici appellantur: utpote cum non doceant ἀνοτομὴν ſed aliquid ἀνατομῆς beneficio magna ex parte inventum. Arbitramur porro opus minime eſſe, ut de ipſa ſecandi ratione libri operoſe conſcribantur, quum ex αὐτοψία præeunte gnavo & perito ſectore illa Ars quam optime addiſci poſſit. Plane quemadmodum ars ſutoria v. g. videndo tantum addiſcitur, nullo exiſtente libro, qui eam tradat.

XV. Operæ pretium forte fuerit, ſi jam de optimis auctoribus & cultoribus Phyſiologici illius ſtudii, quod etiam per ἀνατομὴν diximus aliquatenus addiſci, explicatius nonnihil diſſeramus. Igitur antiquis Philoſophis pariter atque Medicis humani quidem corporis ſectionem plane non in uſu fuiſſe videtur. Quod ipſum ex Hippocraticis atque Ariſtotelis ſcriptis apparet. Habemus tamen ab *Hippocrate* etiam libros, qui nunc pertinent: etſi liber *de oſſibus* nihil minus agat. Longe plura vero in libris ejusdem *de Fracturis, Articulis, Vulneribusque capitis* eaque peregregia leguntur. *Ariſtoteles* quamvis in brutorum ſectionibus peritiſſimus

fuerit,

fuerit, humani tamen corporis insignem adeo notitiam non habuit, si sane partes internas & in ipso corpore delitescentes spectes. Id quod unicum *caput XVI. libri 1. Histor. anim.* luculente satis demonstrat. Nihilominus tamen multa habet idem Aristoteles lectu longe dignissima etiam in ipso illo modo laudato opere ex cunctorum brutorum corporum contemplatione hausta, & ingeniosa ratiocinatione exculta. Imo de omni hominis generatione nihil praeclarius temere reperias iis quae continet isthaec historia, etsi decimum librum spurium dixeris. Cumprimis porro praeclari sunt libri *de Generatione animalium, de Partibus animalium, de Locomotione* & in universum omnia quae vulgo solent dici *Parva naturalia.* Inter quae non postremo loco numerandus est ille, quem *de Partibus animalium* virorum maximus nobis reliquit. Non possumus non hoc loco mentionem etiam facere Ἐισαγωγῆς Ἀνατομικῆς quam ante non adeo multos annos Hamburgi excudi curavit Petrus Laurembergius, ex Aristotele praeter duos aut ad summum tres locos ad verbum exscriptae. Non desunt tamen quibus id scriptum suspectum est, & à Laurembergio suppositum existimatur: quod nos in medio relinquimus. Etsi vero & Hippocrati & Aristoteli aliisque veterum humani corporis internarum partium historia non perinde fuerit cognita: veniam tamen meretur haec eorum inscitia, utpote quum per ea tempora nefas creditum sit cadaver humanum secuisse, post horum aevum apud Graecos demum in usum isthac sectione admissa.

XVI. Post Aristotelis tempora clarissimum nomen anatomico studio sibi pepererunt *Herophilus* atque *Erasistratus*, qui primi etiam humanis corporibus secandis operam impenderunt. Tanto certe studio humani corporis fabricam scrutati sunt, ut latrones morti addictos

ſive *nocentes homines à regibus ex carcere acceptos vivos inciderint*, quemadmodum Cornelius Celſus teſtatur. Præcipue vero Herophilus hoc ſtudio inclaruit: ex quo etiam pleraque, quæ apud Galenum de corpore humano tradita inveniuntur, deprompta ſunt. De eodem Tertullianus lib. de Anima cap. X. refert, *ſeptingentos eum exſecuiſſe ut naturam ſcrutaretur;* quemadmodum quidem Mercurialis quique eum ſequuntur alii legunt: Nam Franciſcus Junius in Notis mavult *ſexcentos*, ut videlicet numerus certus pro incerto poſitus ſit. Quod poſterius nos etiam exiſtimamus, quicquid tandem de lectione fiat. Certum vero eſt, demortuorum corporum humanorum Herophilo ad ſecandum abunde fuiſſe; & accuratam anatomiam cumprimis multum illi debere. Uſque adeo autem exacte anatomen excoluit, ut Gabriel Fallopius eum Anatomicorum Evangeliſtam appellare non dubitaverit. Duobus autem præcipue æternam nominis memoriam ſibi comparavit, cum ipſa ſecandi peritia, tum introducta in Artem noſtram ſubtiliore doctrina pulſuum. Nervorum motus voluntarii illorum qui ex cerebro aut ſpinali medulla exoriuntur ſtructuram ut & uſum à primo Herophilo obſervatum fuiſſe, ex Galeni non uno teſtimonio in promptu eſt probare. De ſectis porro tam ab Eraſiſtrato quam ab Herophilo inſtitutis, uti & ſcriptis illorum capite II. jam diximus.

XVII. Poſt Herophili & Eraſiſtrati ætatem pauci admodum fuerunt in anatomicis verſati, pauciſſimi autem in ſectione corporis humani. Extat enim quidem liber *de Utero* Ruffi Epheſii; ſed valde levia ſunt quæ in illo traduntur. Seculo autem ſecundo à nato Servatore caput iterum erexit hoc ſtudium. Et quidem paulo ante Galeni tempora potiſſimum inde famam meruit *Marinus*: quo nomine

mine passim apud Galenum laudatur, quamvis more suo identidem eum perstringat: neque enim ipsius Marini quicquam hodie superest. Cæterum inter omnes ipse Galenus huic rei quam maxime operam navavit, & tum peritia secandi tum libris in eo genere editis, quibus doctrinam Physiologicam maximopere illustravit, præcipua laude floruit. Huc pertinet primo liber *de Administrationibus Anatomicis*, cujus paulo ante mentionem injecimus. Item De *Facultatibus Naturalibus*, *de Semine*, aliique hujusmodi qui prima classe ejus operum continentur: Quanquam etiam multa ab ipso disputata passim sint, quæ ad Medicam Artem proprie non pertinent. Referendum quoque huc est ejus *de Sententiis Hippocratis & Platonis* opus; quod juvenis conscripsit, ut vel ipsa insolentia insultandi hominibus doctis, satis docet. Verum maxime inter omnia excellunt *de Usu partium* libri: quod sane opus incredibili ἀκριβείᾳ & singulari plane ingenio conscriptum est, ut in quo auctor vim sui judicii potissimum declaravit. Si quis tamen in illo libro cum fructu versari cupit, operæ fecerit pretium, si adjungat commentarios longe doctissimos Caspari Hofmanni philosophi & Medici Altorfini, viri sæpius jam à nobis laudati. Ad idem Argumentum pertinet etiam *liber de Ossibus ad tyrones* scriptus: in quo multa tamen non diffitemur reperiri, quæ ossibus humani corporis non quadrant. Fatendum quinimo, multa passim apud Galenum, etiam in ipso de Usu partium opere occurrere, quæ cum veritate non usque quaque, immo non raro neutiquam conveniunt: utut identidem corporum humanorum sectione glorietur. Et vero non injuria à viris præstantissimis, auctore primum Andrea Vesalio, in dubium vocatum est, num ab ipso Galeno corpus ali-

quod humanum ſit ſectum, & non omnia quæ homini propria ſunt, fide Herophili ſint tradita.

XIIX. Poſt Galenum nemo ſive Græcorum ſive Arabum Medicorum diligentem aliquam ſcrutationem corporum humanorum vel affectavit. Græci enim à Galeno nihil pene quicquam diſſentiunt, ſed omnia illa quæ de corpore humano habent, ex Galeno ad verbum tranſcripſerunt, immo vix aliquod animal videntur ſecuiſſe. Creditum enim illis nefas dixeris Galeni fidem in dubium vocare. Ideoque etiam hac quidem in parte nihil illi nos juverint. Modo minus Arabum quisquam humani corporis ſectionem unquam perfecit; utpote quibus illud ipſum religione prohibitum fuerit. Tametſi enim *Averrhoes*, vir ingenioſiſſimus, de uſu partium pro Ariſtotele adverſus Galenum nonnulla diſputet; revera tamen Ariſtoteli ille multa affingit, adeoque ſententiæ, quas ille pro Ariſtotelicis venditat, nihil ſunt minus quam Ariſtotelicæ: & circa ipſam corporis hiſtoriam à Galeno proditam Averrhoes nihil movit.

XIX. Par eſt ratio omnium illorum Medicorum Latino-Barbarorum qui à ſeculo decimotertio aduſque ſextum decimum vixerunt. Licet enim interdum ſectionem aliquam ab illis tum in Gallia tum in Italia, in ſchola cumprimis Salernitana, ut & Bononiæ, ubi Medicum ſtudium illis temporibus præcipue floruiſſe ſupra oſtendimus, inſtitutam eſſe concedendum ſit; admodum tamen rudis illorum anatome fuit: quod ipſum ex *Mundini* libello, qui unus ex illo ævo hoc in genere ſupereſt, longe eſt clariſſimum; utpote qui tyrocinia tantum exponat, neque ullo modo cum poſt natis ſit comparandus: quapropter etiam raro adeo illum hodie reperiri, eo minus eſt dolendum.

XX. Cæterum ab anno milleſimo quingenteſimo peri-

peritia Artis Anatomicæ nonnihil altius caput extollere cepit, quod nonnulli longe quam unquam erat factum hactenus, diligentius in illam rem incumberent. In quo tres Itali maxime laudem aliquam commeruerunt. Primus autem horum *Nicolaus Massa* Venetus est, cujus opus anatomicum barbaro stylo scriptum, maximam tamen partem ex Galeno concinnatum, habemus. Alter est *Jacobus Berengarius Carpensis*; Medicus & Chirurgus Bononiensis, vir non sane contemnendus, neque indiligens, quique adeo vivos etiam homines secuisse creditus est, quo nomine infamem fuisse paulo ante eum retulimus. Edidit autem commentarium in Mundinum, egregium quidem, scabro tamen sermone confectum, quod Latini sermonis imperitus esset; inventu hodie justo rariorem. Tertius est *Gabriel de Zerbis* Veronensis, sed qui Patavii Theoricam Medicinam professus est, cujus liber singula humani corporis membra enarrans, quamvis non magni momenti, in manibus habetur. De cujus miserrimo interitu post alios varios Bruno Seidelius *l. de morbis incurabilibus pag. 25.* refert, eum, *cum Satrapam quendam Turcicum in Illyrico vel Mysia propinqua sanare non potuisset, satellitum gladiis concisum esse.* Quanquam autem hi tres modo laudati nomen aliquod studio Anatomico sibi pepererint, non tamen cum iis qui sunt secuti, merentur contendi.

XXI. Per idem vero tempus in Gallia majorem inde laudem assequutus ast *Jacobus Sylvius*, vir doctus & satis celebris. Quem tamen in libris conscribendis quam in arte secandi magis exercitatum fuisse, etiam ipsi illi libri Anatomici, lectu alias non indigni, satis produnt. Consimiliter & *Joannes Guintherius Andernacus* in eadem Gallia, quamvis Germanus, epitomen aliquam de structura humani corporis tum evulgavit, maximam partem ex Galeno desum-

ptam, quamque postea accuratiorem edidit Vesalius discipulus. Pretium operæ fuerit adjicere quæ de illo Guintherio refert Vesalius l. de Radice Chinæ: *Guintherium,* ait, *ego sane multis nominibus colo, & in medicina præceptoris loco publicis scriptis habeo. Verum tot modo mihi sectiones infligi cupio, quot illum aut in homine, aut in alio bruto (præterquam in mensa) tentantem vidi. Neque arbitror Guintherium id ægre ferre, quum ipsi cum non paucis aliis constet, num mihi aliquid in hac nostræ artis parte debeat, si quid modo in dissectionis ratione extra communes Galeni libros, sibi vendicet.*

XXII. Quum ad hunc sese modum res Anatomica sive Physiologica haberet, non sine singulari Dei beneficio factum est, ut hic modo laudatus Andreas Vesalius, patria quidem Bruxellensis Brabantinus, origine vero Vesaliensis ex Ducatu Clivensi, unde & cognomen hæsit, jam tum adolescens, immo pene, puer huic studio animum applicaret: Quum enim ingenio pene unico immo divino natus esses, credidit operæ pretium se facturum, si rei quam modo diximus, sese suumque studium dicaret. Quo pene etiam omnes ante se natos Medicos superavit, remque Anatomicam penitus collapsam, atque ne quidem ab ipso Galeno satis accurate traditam, primus restituit, atque ad invidiam usque excoluit: unde tantam etiam nominis gloriam est adeptus, ut omnibus post sequutis admirationem sui reliquerit. Hic adolescens adhuc cum Sylvio Parisiis familiariter vixit, adeoque eo præceptore in Arte medica addiscenda usus est: quanquam, si ipsi Vesalio fides habenda, uti omnino habenda est, à Sylvio in Anatomicis quidem nihil didicerit; quod tamen Riolanus non sine Vesalii injuria persuadere hominibus voluit. Quanto autem studio

studio rei Anatomicæ flagraverit, ipsemet libro de Radice Chinæ prodit. Ex quo proinde non possumus non hoc loco quædam referre. *Suadet*, inquit, *Sylvius ut meas in Galenum Annotationes diu & bene excoquerem: perinde ac si propter ætatem, & præcipitem editionem in meis libris commisissem, cujus modo pœniteret: & non ea ætas uxore, liberis, omnique cura rei familiaris libera, in jucundissimo sodalium convictu, anatomicis tractandis fuisset longe aptissima. Haudquaquam enim modo Parisiis in Innocentum cœmeterio horis multis ossa lubens versarem, aut ossium videndorum gratia ad Falconis montem adirem, ubi semel cum sodali quodam tot interfectorum canum pœnas quasi dederam; neque nunc me solum Lovanio excludi sinam, ut sceleto mihi parando media nocte ossa ex palo sumerem. Non modo iudicibus molestus ero, ut hoc aut illo supplicio homines necari curent, sive in hoc aut illud tempus nostris sectionibus opportunum conservent; non studiosos omnes sedulo monebo, ut ubi quis sepeliendus sit invigilent: aut ut qua valetudine quis in præceptorum, quos propter artis usum comitantur, curationibus moriatur, observent (quo grata cunctis tandem obtingeret præda) nunc adhortabor; non mihi in cubiculum aut è monumentis, aut publicis suppliciis data corpora, etiam septimanis aliquot asservabo: neque sculptoribus & pictoribus me ita exercitandum dabo, ut sæpius ob eorum hominum morositatem me illis infeliciorem esse putarem, qui ad sectionem mihi obtigissent. Quæ omnia ætas ad quæstum arte parandum immatura & discendi communiaque studia provehendi libido, facile & leviter pertulerunt. Vt meam interim præteream diligentiam, qua tribus integris ut minimum septimanis, me in publicis sectionibus uti viderunt, qui in Italia mihi anatomen docenti adfuere: quum tamen uno anno in tribus Academiis aliquando id*

præsti-

præstiterim: adeo ut si in hoc tempus scriptorem distulissem, & jam primum coctionem aggrederer, mei Anatomici conatus in studiosorum manibus haud versarentur. Hæc Vesalius: qui mox nonnulla subjungit, digna quæ itidem hic legantur. *Quod attinet*, inquit: *Annotationes, quæ in ingens volumen excreverant, illæ cum integra in decem libros Rhazis ad Almansorem regem paraphrasi multo diligentius quam illa quæ in nonum librum prostat à me conscripta, & libri cujusdam de medicamentorum formulis apparatu (in cujus materiam multa meo judicio non inutilia congesseram) una die mihi interierunt, cum omnibus Galeni libris, quibus ego in discenda anatome usus eram, quosque, ut fit, varie commaculaveram. Quum enim aulam aditurus, Italiam relinquerem, atque illi quos nosti medici, de meis libris omnibusque quæ hodie promovendis studiis eduntur, apud Cæsarem, & alios quosdam magnates pessimam fecissent censuram, ea omnia (in posterum manus facile à scribendo cohibiturus) cremavi: etsi non semel interim ejus petulantiæ me pœnituerit, meque amicorum, qui aderant, monitis non stetisse, doluerim.* Hactenus ille.

XXIII. Hic itaque Vesalius tanto ingenii ardore juvenis viginti trium circiter annorum in Italiam ubi pervenisset, peritia secandi brevi tempore ita inclaruit, ut Senatus Venetus secandi munus cum Chirurgiæ professione in Academia Patavina extra ordinem ipsi obtulerit; quo factum ut primus Anatomicus in Europa fuerit, qui publico stipendio aleretur. Annos viginti octo natus, edidit *de fabrica corporis humani* ut grande, ita regium profecto opus, cuique nullum aliud comparari meretur. Nam & stylo magnifico & Latino est perscriptum, & tantam ipsius experientiam in Anatomicis prodit, ut totus erudiorum

orbis

orbis ad extremum usque diem nunquam ſatis ſit admiraturus, juvenem nullo magiſtro ad illud faſtigium eruditionis perveniſſe. Ubi obiter notandum, ex omnibus editionibus hujus operis illam eſſe optimam, quæ Baſileæ prodiit, cura Oporini, & cumprimis illam anni 1555. Neque enim Venetæ editionis, ut alias taceam, imagines aut typi cum elegantia editionis Oporinianæ merentur comparari. Quanquam vero usque adeo inſigne & prorſus incomparabile ſit opus, neutiquam tamen illud eſt ad captum tyronis alicujus. Commeruit autem illo ſcripto Veſalius, ut à Carolo V. Cæſare accitus, ex Academia in aulam Hiſpanicam migraverit. De qua re poſtea ſæpe conqueſtus eſt, præcipue quod ſtudium Anatomicum non ita in aula exercere ſibi liceret. Sub finem Examinis obſervationum Fallopii Madrilii exarati anno 1561. ſcribit: *Nulla hic (ubi ne Calvariam quidem commode nanciſci poſſum) ad diſſectionem aggrediendam incidere poteſt occaſio.* Idem porro Epitomen grandis iſtius operis elegantem confecit, quam Philippo II. Hiſpaniarum Regi, cujus Archiatrum egit, conſecravit, uti prius illud opus ejus patri Carolo Cæſari. Prodiit autem initio illa Epitome pene majori etiam forma atque prius illud opus. Sed eandem Petrus Pavius in Batavia contractiorem edidit & illuſtravit notis. Unum in Veſalio forte jure reprehendas, quod in Galeno inſectando modum nonnunquam excedat, irritatus tamen ab imperitis Galeni admiratoribus & laborum ſuorum cenſoribus ſane iniquis.

XXIV. Etenim quum ſicuti modo diximus, non dubitaſſet etiam in Galenum animadvertere Veſalius, multis illa reprehenſio doluit: maxime quod iſtô ævo omnibus vulgo perſuaſum eſſet, Galenum nunquam in ſcriptis ſuis aberraſſe. Ideoque pro ſperata gratia atque laude illorum hominum odium ſibi conflavit. Inter quos maxime perſequutus

quutus est eum, nec sine convitiis, Jacobus Sylvius: primum epistola ad Vesalium scripta, qua eum acriter objurgavit, quod à Galeni doctrina desciuisset. Verum ut se tueretur Vesalius, librum mox de Radice Chinæ recens tunc inventa conscripsit, sed rebus Anatomicis magnam partem immoratus; quo cum plura alia ad rem Anatomicam spectantia præclare exponit, tum illa quæ contra Galenum sparserat, conatur defendere. Argumentum libri absolvitur quatuor potissimum capitibus. Nam primo quidem demonstrat Galenum nunquam humani corporis sectionem instituisse: deinde ab eo in partium historia non omnia recte esse tradita: usus porro partium ab eo falso sæpe assignatos: & denique ipsum nonnunquam admodum infirmis argumentis sua probare. Quod ideo hoc loco recensere voluimus, quod liber iste in paucorum hodie sit manibus.

XXV. Hoc libello edito, Sylvius jam senex pene furere cepit, ideoque Vesalio reposuit libellum titulo: *Depulsio Vesani cujusdam calumniarum in Hippocratis & Galeni rem anatomicam:* quo sententias Galeni interdum perinepte tentavit defendere. Huic autem Vesalius, quod à se satis actum esse putaret, nihil respondit: pro Vesalio tamen apologiam elegantem sane *Renatus Henerus* confecit. Non multo post idem Sylvius, discipulorum suorum nonneminem *Franciscum Puteum* Anatomicum ineptum impulit, ut librum titulo *Apologiæ in anatome pro Galeno contra Vesalium* scriberet. Verum & hujus libri doctissimum examen publicavit *Gabriel Cuneus*, Vesalii sectator & discipulus satis diligens.

XXVI. Quum vero Vesalius per Italiam Artem anatomicam ad hunc modum exercuisset, multosque spectatores fuisset nactus; non potuit non etiam in Italis istius rei studium excitari. Tres autem cumprimis imitatores mox ibi

ibi accepit, qui ſtudiis illis laudem inſignem invenerunt. Et quidem de Cuneo jam dictum fuit. Hoc autem majus nomen meruit *Realdus Columbus* Cremonenſis, qui cum Romæ, tum alibi in Italia poſt Veſalii diſceſſum magno cum applauſu anatomen fecit: conſcripto etiam ea de re libro ſatis eleganti & accurato, adeoque lectu digno. Voluit quidem & ille videri noviter à Veſalio obſervata ſectari; verum tamen erga magiſtrum ſuum ingratior fuit, nullam eum vellicandi occaſionem prætermittens; ideoque etiam ipſemet Veſalius eundem rurſus acerrime perſtrinxit, *l. de Radice Chinæ* & in *Examine obſervationum Fallopii*, tanquam hominem anatomicæ doctrinæ non ſatis gnarum. Longe majori felicitate in eodem ſtudiorum genere laboravit *Gabriel Fallopius*, patria Mutinenſis, ſed qui in Academia Patavina vixit: Anatomicorum ſidus & exemplar, vir admirandi ſane ingenii ſummique candoris, quique in omnibus Artis noſtræ partibus maxima cum laude fuit verſatus. Scripſit autem inter alia Obſervationes anatomicas, præclarum atque inſigne opus, in quibus multa Veſalio prætervifa animadvertit; nunquam tamen ſine præfatione ejus mentione facta, quin etiam Divini titulo ſemper eum dignatus. Quod opus quum in Veſalii manus perveniſſet, ſcriptum ab illo eſt in Hiſpania earundem Obſervationum Examen longe doctiſſimum anno 1563. ſequente anno Venetiis publicatum, jam tum non Fallopio duntaxat, ſed & ipſo Veſalio defunctis. Miſere enim obiit Veſalius, redux ex itinere Hieroſolymitano: Peſtilentia enim correptus delatusque in inſulam Zacynthum, & à ſuis neglectus, ſub arbore quadam exſpiravit, ubi tamen forte fortuna à Batavo quodam agnitus, ſepultus fuit. Arcano fortaſſis Dei judicio; ut qui tot cadavera ſepulchris ſuis, quibus merito ſuus debetur honor, ſpoliaſſet, ipſe vix inveniret, quo corpus ſuum conderetur.

XXVII. Habuit idem Vesalius & doctissimum sectatorem *Joannem Philippum ab Ingrassia, Siculum;* cujus extat præclarum opus *De tumoribus præter naturam.* In re enim Anatomica nihil plane ejus habetur præter commentaria in Galeni librum de Ossibus. In Germania nostra discipulum nullum nactus est, nisi quod *Leonhardus Fuchsius* ex libris ejus elegantissimam epitomen confecerit, licet alias Galeni studiosissimus esset. Hispanum denique sectatorem invenit *Joannem Valverdam;* qui tamen nullum præstitit prætium operæ, nisi quod illi debeantur elegantes sculpturæ in æs incisæ Plantinianæ, quæ tamen ligneis Basileensibus multum cedunt.

XXIIX. Porro Romæ Columbum hoc in genere studiorum excepit *Bartholomæus Eustachius*, vir in sectione non hominum duntaxat sed etiam animantium diligentissimus, antiquitatisque pariter studiosissimus. Cujus opuscula uti rarissima sunt, ita digna quæ ab omnibus evolvantur. Post eum ibidem horum studiorum insigni fama floruit *Archangelus Piccolhominus*, edito satis grandi opere anatomico: sed qui non tam in secandis corporibus exercitatus fuit, quam disputando de usu partium. Bononiæ etiam circa annum septuagesimum superioris seculi hoc studio claruit *Julius Cæsar Arantius*, qui laudem eo potissimum invenit, quod primus doctrinam de fœtu humano exactius tradiderit. Huic σύγχρονος æmulusque fuit *Caspar Tagliacotius*, qui tamen hac quidem in re collegæ famam non æquavit. Arantium ibidem sequutus est *Constantinus Varolius*, homo acuti ingenii & anatomicæ rei peritissimus: cui novam cerebri nervorum opticorum, totiusque adeo fabricæ nervorum sectionem debemus. Ab ipsius obitu prodiit compendium aliquod Anatomicum sub ejus nomine, in quo itidem multa nova dogmata citra

citra demonſtrationem tamen proponuntur, quod fertile hominis ingenium ſatis arguit.

XXIX. Cæterum longe maximam famam ſtudio Anatomico * nactus eſt Fallopii ſucceſſor, *Hieronymus Fabricius ab Aquapendente*, qui Patavii ultra quinquaginta annos hoc ſtudium excoluit. Et vero ejus nomen non multo poſt Fallopii diſceſſum jam ita inclaruit, ut primus ordinariam Anatomices profeſſionem in ea ſchola meruerit; poſt jam ſenior, ſupraordinarium locum conſequutus. Scriptis tamen non niſi ſero inclareſcere cœpit, quod Latinæ linguæ fortaſſis more Italorum non ſatis eſſet peritus, ideoque omnia Germanis ſtudiorum cauſſa ibi commorantibus tradere coactus fuerit. Multa illa noviter obſervavit aliis hactenus prætervifa, & præter humana, animalium quoque corpora diligentiſſime ac curioſisſime ſecuit. Adhoc poſt Veſalium imaginibus Anatomicis exacte conficiendis & æri incidendis ſingularem induſtriam adhibuit. Cumprimis vero in partium multarum uſu rectius exponendo multum ſe exercuit. Eodem in ſtudio initio diſcipulum deinde æmulum ** & uti vocant, profeſſorem concurrentem nactus eſt *Julium Caſſerium Placentinum* qui pingendis imaginibus anatomicis Aquapendentium longe ſuperavit, adeoque immortale nomen hinc apud poſteros conſequutus eſt. Verum quod partium explicationem eorumque uſus concernit, Aquapendentio omnino palma debetur. Fertur Caſſerii hæredes magnos faſces tabularum anatomicarum adhuc ſervare: quarum aliquam partem nactus Daniel Bucretius Bresla vienſis, illas edidit, Adriani Spigelii operi Anatomico nexas. Succesſit Caſſerio, quum adhuc viveret Aquapendentius magiſter, ipſe ille modo laudatus *Adrianus Spigelius*, domo Bruxellenſis, adeoque civis ſummi Veſalii, vir eximii ingenii, Latinæque linguæ notitia præceptore ſuo

longe peritior. Ab obitu ejus, is quem diximus Bucretius, Spigelii titulo opus Anatomicum evulgavit: quod tamen Bucretii magis quam Spigelii esse publice affirmare non dubitavit noster Weslingius. Elegans est illud, & multa doctrina nova refertum, firmis tamen demonstrationibus non perinde subnixum. Spigelio in Patavina schola successit *Pompejus Caimus*, vir doctus sed pene nihil minus quam Anatomicus. Excepit autem hunc *Joannes Weslingius Saxo* Mindæ ad Visurgim natus, qui cis paucos annos incomparabili Artis Medicæ damno diem obiit. Cujus Syntagma Anatomicum, sive stylum, sive ipsum tractandi ordinem spectes, elegantissimum est & lectu longe dignissimum. Promiserat ille non multum ante obitum *de Pullitie Ægyptiaca* opus. Verum fato præventus fidem liberare haud potuit. Editioni Francofurtensi Syntagmatis (ut hoc obiter moneamus) adjunctus est libellus Cæcilii Folii: sed indignus qui isti purpuræ assueretur: profectus quippe à juvene indocto & rei Anatomicæ imperito, stolide tamen superbo. Porro & *Franciscus Plazzonus* in eadem schola libros duos de partibus generationi inservientibus non indoctos publicari curavit. Nominari denique hoc in loco meretur *Joannes Georgius Virsungus* Bavarus, observato ductu aliquo cholidocho per medium pancreas veterum in intestinum duodenum decurrente clarus. De quo tamen suo invento ipsemet nihil scripsit, paulo post ab Italo quodam in suo museo sclopeto trajectus.

XXX. In Ticinensi Academia non exiguum nomen jam olim reportavit *Gabriel Cuneus*, de quo supra jam egimus. Sed longe magis illam illustravit non ita pridem *Caspar Asellius* Cremonensis, inventis Lacteis venis, de cujus laudibus operæ pretium est adire caput tertium libri

nostri de Sanguine. Certe inventum illud Asellio nomen dabit quamdiu res florebit Anatomica.

XXXI. Neapoli postremo rem Anatomicam post Ingrassiam ante laudatum cum magna laude excoluit *Julius* * *Jasolinus*, editis etiam scriptis nonnullis, quanquam oppido paucis. Præceptore illo usus fuit *Marcus Aurelius Severinus* Tharsiensis Thurius, qui hodieque vivit & utinam vivat diutissime. Hujus Zootomiam Democritæam, quo opere usum sectionis in animalibus ostendere voluit, ante paucos annos evulgavit Norimbergæ Vir Cl. Joannes Georgius Volckamerus, Præceptoris ac hospitis quondam sui famæ studiosissimus. Hi pene sunt illi, qui in Italia hactenus quidem nomen aliquod ex re Anatomica scriptis reportarunt. Nec enim hodie perinde ut olim Itali studio isto ducuntur.

XXXII. Cæterum in Gallia & quidem Parisiis primus omnium rem anatomicam excolere cepit *Jacobus Sylvius*. Parum tamen illum hoc quidem in studio præstitisse, jam ex superioribus constat. Eodem tempore Monspessuli *Guilielmus Rondeletius* nonnulla huc pertinentia conscripsit quidem, verum mox viso Vesalii opere, ne cum tanto viro in contentionem veniret, manus continere maluit. Majus autem nomen meruit, evulgato *de Piscibus* egregio opere; licet illud Guilielmo Pelletario Episcopo Monspeliensi per plagium surreptum esse Josephus Scaliger, & ab hoc inductus Thuanus non dubitaverint affirmare: nobis minime persuasis, cum non tantum vivo & vidente Pelletario opus illud prodierit, sed & Rondeletius post libellum Pharmaceuticum in Pelletarii nomen ediderit, illius operis de Piscibus luculenta facta mentione: quod sine summa impudentia fieri utique non potuisset. Aliquamdiu post ibidem floruit *Andreas Laurentius*, cujus

jus opus Anatomicum in manibus eſt. At vero in illo, quod hiſtoriam partium quidem attinet, multa ab illo errata commiſſa eſſe, fatendum eſt; controverſiæ tamen phyſiologicæ eleganter proponuntur: ut hoc nomine ſtudioſis omnibus librum illum commendare non dubitemus. Nec tamen non ſimul legi & expendi debent, quæ in Laurentii illud opus publicatæ ſunt Animadverſiones cum à Petro Laurembergio, tum à Theodoro Calladone. Iniquior Laurentio videtur eſſe I. Riolanus: forte ex æmulatione ſcholæ, aut hæreditaria quadam ſimultate. Non de nihilo tamen eſt quod idem monuit, multa apud Laurentium pene eodem modo tractari quo apud Ludovicum Mercatum inveniuntur: ut dicendum ſit vel alterutrum ex altero ſua transſcripſiſſe, vel vero utrumque in unum aliquod ſcriptum incidiſſe, unde ſua, diſſimulata autoris laude deſumpſerint. Tabulas porro quas enarrationibus ſuis Laurentius ſubjunxit, pleraſque ex Veſalio tranſtulit; reliquæ enim, queis novas ſcilicet obſervationes exhibere voluit, à vero magnam partem abhorrent. Itaque hinc quidem nulla laus Laurentio acceſſit.

XXXIII. Majorem gloriam noſtra memoria invenit ipſe *Joannes Riolanus* Junior; cum grandi opere Anthropographiæ longe præclariſſimo, tum etiam enchiridio Anatomico præ cæteris lectu dignisſimo, Pathologicæ etiam doctrinæ gratia. Idem nuper novam ſententiam de circulatione ſanguinis introducere eſt conatus: ſed hanc doctisſime refutavit Slegelius noſter. Ne quidem Chirurgi Pariſienſes fraudandi ſunt ſua ex Anatome parta laude: quorum princeps *Ambroſius Paræus* in præclaro & nunquam ſatis deprædicato opere Chirurgico doctrinam de corporis humani fabrica haud inſcite explicavit: quicquid de eo ſiniſtre judicet Riolanus. Chirurgus quoque fuit *Bartho-*

lomæus

lomæus Cabrolius, cujus obſervationes Anatomicas atque Chirurgicas egregias habemus. *Nicolai Habicotti* etiam elegans eſt de Encheireſi Anatomica liber, Gallica lingua conſcriptus & inde in Batavicam translatus. Quibus ultimo loco accenſendus eſt *Joannes Pecquetus*, invento ante biennium inſigni in thorace lactearum venarum ductu clarus.

XXXIV. Tranſeundum jam eſt ad Germanos noſtros; quamvis laus eorum cum Italorum gloria conferri non mereatur. Primus autem hac in re aliquid commentatus eſt *Leonhardus Fuchſius*, cujus ex Galeno & Veſalio conſcriptæ epitomes jam ſupra meminimus, elegantisſimæ quidem, ſed quæ vitio ſtudioſorum novitatis avidorum hodie eviluerit. Poſt hunc propria induſtria ante omnes commendari meretur *Volcherus Coiter*, Groninga Friſius, ſed qui Norimbergæ vixit; cujus obſervationes Anatomicas tabulasque admodum doctas habemus. Proximus eſt *Felix Platerus*, tabulis Anatomicis editis; quæ doctis viris minus tamen placuere, quod nimiis diviſionibus lectorem potius turbent quam inſtruant. Majorem gloriam conſequutus eſt tum Botanico tum Anatomico ſtudio collega ipſius *Caſpar Bauhinus* itidem Baſileenſis. Hic enim licet tractatu de Partibus humani corporis ſimiliaribus parum operæ præſtiterit, tamen Inſtitutionibus Anatomicis tyronum ſtudia permultum adjuvit. Theatrum porro Anatomicum non tantum inſigni methodo adornavit, ſed etiam in additis illi operi notis incredibili labore & diligentia varias omnium pene ante ſe Anatomicorum ſententias in unum quaſi conſpectum ita produxit, ut qui Bauhinum habet, omnes fere reliquos ſimul poſſideat. Tantum in partium uſibus dijudicandis requiras forte majorem judicii acrimoniam: & mireris non immerito, etſi rem anatomi-

cam plurimos annos exercuerit, paucula tamen propria industria eum adinvenisse. Et vero omnia illa epistola quadam ad V. C. Godofredum Voglerum complexus est. Accusat illum Riolanus plagii: nec negari potest ejus opus fuisse Bauhino adjumento: Riolani tamen nomen non dissimulatur, eoque non vacat injuria illa in Bauhinum Riolani invectiva.

XXXV. Præter hos etiam alii nonnulli docti Anatomici in Germania floruerunt. Quorum princeps *Salomon Albertus* vir doctissimus, Wittebergæ de Ostiolis venarum librum conscripsit. Cæterum summum nomen non adeo pridem Altorfi Norimbergensium merito suo obtinuit *Caspar Hofmannus*, vir propter raram in omni pene genere eruditionem inter primos laudandus. De quo jure illud dixerimus: in Physiologicis neminem unum plus præstitisse. Huc etiam pertinent nostri cum de Generatione & motu sanguinis, tum de Calido innato libri: ut & *Pauli Marquardi Slegelii* Hamburgensis, longiori vita dignissimi viri de Motu sanguinis opus paulo ante obitum evulgatum. Alios commemorare supersedeo, ne nimius videar in hoc argumento. In Batavis porro hoc studium libris editis excoluerunt *Petrus Pavius*, & ut nuperrime *Joan. Walæus* ita nunc adeo *Joannes van Horn*: quorum hic peculiari ductu lacteo (quem tamen jam Pecquetus prodiderat, & eleganter descripserat in Dania T. Bartholinus V. C.) superiori anno sese orbi commendare voluit.

XXXVI. Dania porro vicina nobis dedit, *Partholinos patrem & filium*, utrumque non hac duntaxat sed varia omnino eruditione clarum. Caspari compendium Anatomicum notum est orbi; cumprimis ex quo illud Thomas filius eximia felicitate multum & auxit & emendavit. Pergit hic insigni industria Anatomicam doctrinam exornare

nare, nuper adeo de Lacteis venis thoracicis ut & aliis quas Lymphaticas nuncupavit, opusculis præclaris editis: dignus proinde cui grati nos longam vitam apprecemur.

XXXVII. Ultimo demum loco ex Anglo Britannis præcipue commendandus venit *Guilielmus Harvejus* Circulari sanguinis motu reperto nobilis. Quamvis enim novam hanc & omnibus retro seculis inauditam ejus doctrinam cum alii tum Æmylius Parisanus & Fortunatus Plempius convellere conati fuerint; ita tamen mox alii eos exceperunt, ut passim per eruditum orbem magis magisque Harvejana sententia assensum inveniret. Ejusdem ante hos tres annos doctissimæ de Generatione animalium exercitationes prodierunt, quibus multa peregregia ab aliis nondum satis explicata continentur. Ejusdem insulæ incola est *Nathanael Highmorus*: cujus opus Anatomicum nuper demum prodiit, imaginibus sane elegantibus insigne, sæpe tamen vero & rei ipsi minus congruentibus.

XXXIIX. Atque hi sunt præcipui in studio Anatomico vel Physiologico scriptores. Neque tamen hos ita statim promiscue omnibus evolvendos esse censemus; utpote cum tyronibus ab epitome quadam, vel Vesalii, vel Bauhini, vel Veslingii, vel Bartholini initium faciendum sit. Quanquam si quis his careat, vel Fuchsii Institutiones sufficere possint. In quem finem etiam non incommode uti poterint Columbi libro, ut qui præ cæteris etiam modum sceleti conficiendi proponat. In Physiologicis autem controversiis potissimum eminent Caspar Hofmannus noster, Franciscus Vallesius, Petrus de Peramato, Ludovicus Mercatus, Laurentius, & minime postremus Fernelius.

ADDITAMENTA.

I. ✻ *Studium Phyſiologicum.* Phyſiologia omnia illa examinat, quæ corpus ſanum componunt atque conſtituunt: adeoque non tantum de corporis partibus accurate ſic dictis, ſed etiam de humoribus, de calido, de ſpiritibus, omnibusque ac ſingulis quæcunque in corpore vivente occurrunt, illiusque conſtitutionem ingrediuntur differit. Mira res eſt, horum permulta ab illis qui de corpore humano quondam ſcripta Phyſiologica publica vere negligi, tamque aperte hic delinqui, ut partes ſolidas conſiderandi negotium ſibi ſolum dari exiſtiment, de humoribus vero & ſpiritibus altum ubique ſilentium agant, quaſi iſta ad argumentum illud non pertineant; immemores Patri medicorum Hippocrati diviſas eſſe partes in continentes, contentas, & impetum facientes; quæ diviſio longe profecto medico utilior eſt magisque conveniens quam Ariſtotelica illa in ſimilares & diſſimilares: Ariſtoteles enim corpus ſolidum tantum conſiderabat, adeoque iſtam ut Philoſophus protulerat, cui etiam eſt convenientior. Eſt autem horum omnium natura, uſus & finis per apodicticas rationes, quantum unquam fieri poteſt, demonſtrandus; non ſecus atque affectiones de rebus naturalibus in phyſicis demonſtrantur. Quemadmodum vero rerum phyſicarum aliæ affectiones ſunt primæ & maxime per ſe, aliæ vero accidentales & remotiores, ita & hic: Uſus & modus operandi, utique primariæ affectionis modum habent, ideoq; quam accuratiſſime ſunt pernoſcenda: quem in finem natura cujusvis unice exploranda eſt, ut poſſit illius ratio ex uſu patere; reliqua, ut ſitus, color, figura, ſecundaria ſunt, & propter hæc, adeoque pro eorum commodo aut loci quem occupant conditione aliter vel aliter fere ſe habent. Dixeris eodem hæc loco eſſe reſpectu ſanitatis, ac primaria ſymptomata (actionis læſæ) & ſecundaria (excretorum & qualitatum) reſpectu morbi. Cum

autem

autem principia demonstrationum per inductiones fiant, non sufficit ad perfectam notitiam acquirendam unius hominis partem aut humorem examinare, sed quantum fieri potest, ex omnium animalium natura arcessenda exempla sunt, quo maxime universales conclusiones formari possint: alias frustra in partium usu ostendendo versaberis, & loco *ἀποδείξεως* probabilem rationem dices, quæ sæpe uno exemplo contrario potest everti. Uti autem inductiones per experientiam fiunt (quapropter Physiologiæ doctor sine experientia nullus est) hæc vero per sensus comparatur, ita apertum est, ubi sensus desinunt ac deficiunt, ibi etiam desinere demonstrationes. Quapropter de humorum minimis & intimioribus frustra, armatis etiam in id oculis sumus solliciti, nec de spiritibus animalibus, ac poris, minimisq; partium solidarum quicquam certi ac indubitati afferre licet. Inanes certe hic sunt sæpenumero etiam chemicorum conatus, secus atque aliis fuit adhuc persuasum: aliter enim natura, aliter artifex opus suum peragit, & quod per ignem sistitur sensibus, eodem modo se habuisse etiam antea, neutiquam potest admitti. Conandum tamen hic saltim aliquid est, & probabile afferendum ubi demonstrativum non potest, neque explodenda aut cachinnis excipienda eorum est opera, qui in his se exercent: modo non pro apodicticis venditent quæ comminiscuntur, aut perperam negligant veriorem illam viam, cum per eam ambulare liceat. Nempe tum demum non autem alias, intellectui humano hoc debet esse satis: cum *in abstrusis illis aliquid saltim intelligere* (ut alibi auctor loquitur) *delectare non minus possit, ac stricturam lucis videre in tenebroso carcere.*

II. ✻ *Quo itaque partes corporis internæ cognosci possint.* Incomparabilis est Galeni locus seu cujuscunque tandem est de artis constitutione liber cap. 2. ubi sic loquitur interpres: *Ut qui jam factam domum qualisnam sit, nosse accuratius vult, ex resolutione dissolutioneque ad eam succesit pernoscendam, eodem nobis modo hominis corpus ex dissectione innotescit. Nam Deus quidem ac natura, uti is qui primum ædes condidit, sic partes pernoscunt, usu nimirum ipsis exemplum pariente: nos vero perinde ac qui jam inspicit*

 exstructas,

exstructas, atque incognoscit. Sequuntur alia multa, lectu dignissima quæ apud ipsum Pergamenum videri possunt.

✻ ✻ *Quo patet insignis error illorum qui--* Scilicet Triplex hic argumentum occurrit, neutiquam confundendum. Primum est de ipsa corpora dissecandi arte, alterum historiam partium enumerat, tertium vero usum. Qui primum sibi tractandum sumunt, magistris scribunt, quorum officium est partes illas, publice præsertim, præsentibus artis studiosis dissecare atque producere: Qui in secundo occupantur, discipulos instruunt, ne plane rudes, & ignari quid a doctore agatur, ad demonstrationes anatomicas accedant: Qui tertium, jam porro eosdem ad artem ipsam audiendam componunt, & futuro medico sanitatis ac morbi limites velut digito intento monstrant, quibus supergressis, ad Pathologiam cum fructu audiendam queant accedere. Hinc munera ista in Italia aliisque forte in locis separatim & à diversis etiam administrantur: ubi anatomicus (prosectorem vero appellant) partes tantum dissecat, Deinde accedit Medicus Philosophus, qui est ipse anatomes professor & naturam earundem atque usum breviter explicat: Aliter se res habet in Gallia, ubi Chirurgus, & in Germania nostra Belgioque, ubi publico stipendio constitutus Doctor & secat partes & mox de iisdem dissertationes instituit; quod longe præstantius est, & magis laudabile præ Italico illo more: De usu vero partium, ex cathedra cum auditoribus agitur, idque iterum multo rectius fit, quam cum in Theatro hæc omnia junguntur, ubi nihil nisi quod ad partium cognitionem spectat peragendum est, additis de usu generali forte paucissimis, quæ tamen ipsa etiam auditores prænosse expedit. Sæpius igitur apud me miratus sum, Anatomen illam Bartholinianam reformatam aliosque anatomicos libros prolixiores, ubi hæc omnia & si quæ sunt ab his etiam remotiora, latissime disputantur, tanto esse apud nonnullos in pretio, & juventuti ad theatra accedenti pene ubique commendari. Etsi enim contineant multam ac variam doctrinam, non tamen ad opus quod præ manibus est accommodata sunt hæc talia, sed potius obsunt, postquam ex com-

compendiis in ampla volumina excrevere: æque ac Blasii commentarius Veslingii utilissimum laborem fœdavit potius quam ornavit. Non hercle mens ista primis fuit auctoribus, ad sufficientem & omnimodam omnium rerum notitiam artis cultores perducere, sed primordia doctrinæ de partibus, tanquam in compendio exhibere: qui egregius usus plane illis periit nunc, cum toti alii sunt redditi. Itaque longe rectius faciunt qui in id exiguum Veslingii, sed aureum libellum, & Dominici Marchetti Anatomiam legunt, sibique reddunt familiares: sed de methodo addiscendi partium historiam ipse auctor in sequentibus aget.

IV. * *Ut primum de singulis seorsim partibus.* Hoc ita interpretor, ut primum v. g. de ossibus quid in universum notandum, omnibusque competat; deinde quid de cartilaginibus, ligamentis, tendinibus, musculis, vasis, nervis, glandulis, parenchymaticis denique sciendum sit, ex præceptore addiscatur: qua ratione vulgo partium similarium historia seorsim tradi solet, & à methodo synthetica initium capi, deinde analytica adhibita, pergi ad singularia: Exemplo esse possunt Vesalii, Columbi, Spigelii, doctissima opera, ubi ea præmittuntur. Nimirum hæc præcognosci, atque ad inspectionem cadaverum & sceletorum accedentibus afferri oportere, & isti innuunt, & auctor hic docet.

V. * *Cum quibus loqui, quosque hic loci sequi Galenus maluit.* Qui nimirum istam loquendi rationem in scholas introduxit: magis adeo, ut ne Aristotelem sequi cogeretur, quam ut commodum discipulorum juvaret.

* * *Observare autem est, has actiones* -- Nempe in ea est opinione auctor doctissimus, omnibus partibus inditam esse vim & facultatem alimenta assimilandi, quod quidem hactenus etiam ab aliis omnibus firmiter est creditum. Verum hoc plane falsum esse, nec fieri nutritionem quo modo eam sibi concipiunt eruditi, ostendemus aliquando, Deo cœptis annuente, peculiari de nutritione opere:

* * * *Quin etiam motus sanguinis huc maxime facit.* Rectissi-

Rectiſſime de his ſentit auctor, etſi invitis medicis prope omnibus. Ad vegetativam enim vim pertinet id omne, quod vel Chylum, vel ſanguinem ſpectat, vel etiam lympham: ut non ſit opus vitali, quæ merum Galeni commentum eſt.

VI. ✠ *Sunt autem hæ omnes accurate noſcendæ.* Actiones nempe, non tantum partes. Requiritur enim ad ſenſitivas actiones pernoſcendas non organi tantum, ſed & objecti cujusque, & medii ſi quod eſt, accuratiſſimum examen, prout libro de auditu luculento exemplo monſtravimus: adeoque hac ſaltem parte Medicum neceſſe eſt eſſe Mathematicum, ut radiorum viſivorum ac ſonorum naturam dimetiri queat, alioquin hos duos ſenſus perfecte nunquam vel capiet, vel læſos reſtituet. Sunt vero præter ſenſus externos, illæ quoque actiones quæ internis ſenſibus adſcribuntur, quas auctor non temere omiſiſſe videtur, ſed de induſtria. Fiunt enim iſtæ à ſpiritibus animalibus, & in cogitatione omnes conſiſtunt; quam falſo Carteſii aſſeclæ ſoli animæ adſcribunt, cum ſit ſpirituum actio, id quod indubitatis argumentis poſſet oſtendi, & vel hoc uno abſurdum illorum dogma: Cogitationem eſſe intellectus immediatum attributum, refutari, ſi hujus loci id pateretur anguſtia. Cum igitur animalium ſpirituum neq; naturalis ratio, neque præternaturalis conſtitutio nobis quantum ſufficit, cognita eſſe queat, ideo etiam iſtæ eorum variæ actiones corrigi emendarique non admodum poſſunt; certisſimumque eſt, eos qui memoriam, phantaſiam, judicium reſtituere vel augere promittunt, fallere prorſus: præter cephalica enim in genere ſic dicta nihil adhibent, neque methodus ulla eſt quæ memoriam ſpeciatim multo minus quæ judicium & phantaſiam reſpiciat. Nihil igitur hic poſſumus, aut certe perparum niſi fortasſis diæta totum temperamentum corrigatur, qua de re vide *Æſchatii Majoris*, ſeu potius Jani Huarti Scrutinium ingeniorum.

VII. ✠ *Unius menſis ſpatio* - - ſuperficiaria ſcilicet notitia & rudimentum phyſiologiæ: & vero vel hoc nemo niſi magni Conringii inenarrabili ingenii felicitate uſus, tam brevi temporis ſpatio facile perdiſcat.

IIX. ✠ *Cer-*

IIX. ✣ *Certum enim est.* Nos ea de re supra jam tum egimus: Vide tamen quæ in præfatione libri de auditu disseruimus, quæ omnino huc etiam pertinent.

IX. ✣ *Superest apud nos.* Marci Aurelii Severini Phoca illustratus ab ipso anno M DC XLV. scriptus, & Decemviris ex tota Europa clarissimis, reflui in orbem sanguinis assertoribus, & inter eos quoque Auctori nostro inscriptus, post ejus mortem Anno M DC L. cum aliis ejus opusculis de Respiratione piscium, de Piscibus in sicco viventibus & Radio Turturis Marini editus est Neapoli: Manuscriptum vero in bibliotheca auctoris non amplius invenitur. Cæterum præclarum istud laudatissimi Severini institutum nostris temporibus imitatus est *Gerhardus Blasius*, Medicus Amstelodamensis, edito satis magno volumine, in quo animalium variorum anatomen enarrat uberius, non tamen à se institutam, sed prout ab aliis accepit. Qua in parte præstantiorem operam posuit quam in Veslingii commentario conscribendo, vel quovis tandem alio. Habemus vero & seorsim edita ejus argumenti nonnulla, ut sagacissimi Stenonis dissecti piscis ex canum genere, & canis Carchariæ capitis historiam, Myologiæ suæ adjuncta: item alia multa in actis eruditorum, cum Germaniæ, tum aliis, præsertim vero Hafniensibus, quæ omnia merentur legi & diligenter annotari, ut suo loco commodum in usum transferri deinde queant.

X. ✣ *Et similia quædam.* Horum numerum jam auxit vasorum Lymphaticorum genus: hæc enim itidem, nisi viventia animalia, aut proxima à morte hora incidas, videri nequeunt: etsi semel ligato illorum trunco; etiam postero die appareant, uti quidem mihi experientia constat.

XI. ✣ *Major mutatio facta sit.* Subnituntur hæc opinioni, Diaphragma esse primarium respirationis instrumentum. Hoc autem omnino est falsum, ut alibi docebimus clare: Hinc etiam nihil hic præter morem observatur, si non illud, quod superiora versus magis quam in naturali statu retractum est. Sed hoc in aliis quoque cadaveribus reperitur. Cæterum & in jugulatis & in suspensis musculi colli & præcipue Laryn-

gis vitiantur, ut in his non satis commode, in illis vero prorsus non queant demonstrari: Hinc tam raro in publicis theatris in conspectum producuntur, ut plerique nostratium vix unquam in humano oculis usurpaverint cadavere, & anatomici etiam percelebres in iis describendis pingendisque haut leves nonnunquam commiserint errores.

XII. ✻ *Nostro ævo.* Non olim Erasistratum id fecisse, itemque & Herophilum, certum est, si qua Celso, qui in prooemio libri sui id annotatum reliquit, aliisque fides.

XIII. ✻ *Imagines quoque anatomicorum plurimorum commendamus.* In his pariter atque aliis tamen selectus instituendus est. Multi enim ad vivum quidem exemplar, minus tamen accurate partes delineavere. Alii etiam ab aliis desumsere, nullo habito ad veritatem respectu. Primus omnium figuras Carolus Stephanus, Medicus Parisiensis videtur operi suo inseruisse, à Stephano Riverio Chirurgo in eo adjutus. Hunc deinde Magnus Vesalius aliique secuti sunt: in quibus est Veslingius, qui Syntagmati aliquot adjecit, ut Junioribus exemplo atque usui essent simul cum Syntagmate. Institutum hoc utilissimum mox deprehenderunt atque imitati sunt alii: sed horum nonnulli non collatis figuris cum ipsis partibus, nec examinatis Veslingianis, in suos libros easdem transferre integras fuerunt contenti, ut Riolanus, & ipse quoque Bartholinus: hinc etiam bona malaque, ipsiq; errores, quos ille non poterat omnes evitasse, eodem modo in his omnibus habentur, ut vel ex sola emulgentium figura videre est, quæ eadem ubique non sine insigni errore cernitur. Non dubitamus autem exactissimas ipsius *Vesalii* figuras profiteri, deinde *Aquapendentis & Casserii: Willisii* etiam nonnullæ merentur commendari, cerebri potissimum, deinde & Pharmaciæ rationali insertæ. Quæ nuper *Bidloius* ad vivum expressit, egregiæ etiam nonnunquam videntur, non tamen omnibus numeris absolutæ. *Gregorius Horstius* quas libro de natura humana anno MDCXII. edito adjecit, ex Vesalio potissimum desumsit: nec ipse igitur ipsorum auctor est. *Bauhini* à crassiore sunt manu, non tamen omnino contemnendæ.

✻ ✻ *Quas*

* * *Quas Academia hæc Julia habet sine exemplo optimas & complures.* Laudavit Cl. Conringius illas, nec immerito, quamvis ubi deficerent, probe nosset, nimisque frigide de illis judicet Michael Lyserus, mox laudandus, cum Anno MDCLII. eas spectasset, in epistola ad Th. Bartholinum II, 25. rudique omnes penicillo delineatus scribat. Fecit illas Magnus Princeps, Henricus Julius, vivis coloribus (nullo hactenus, quod constet, in Europa exemplo) justa partium magnitudine & situ observato, depingi à Christophoro Gertnero, insigni suæ ætatis pictore juxta cadavera apposita, & artifice præstantissimi Anatomici & Medici, Henningi Arnisæi manu dissecta & præparata. Et voluerat quidem Princeps ad ducentas usque fieri, cum publicarum rerum curæ alio eum abripuere: ideoque non nisi eas tabulas habemus, quæ ventrem medium cum collo & musculis humeri exhibent, quæque ventrem infimum, ex quibus ultimis tamen, eæ quæ partes genitales mulierum repræsentarunt, sive surreptæ, sive incivili pudore reconditæ sunt. Ausim vero dicere, ab his tabulis, quæ justa magnitudine, debito situ, & veris coloribus partes corporis humani spectandas exhibent, plus quam ab aliis ullis instrui tyronem artis posse, ideoque insignem eas habere usum, etiamsi omnia vasa tam accurate in iis non sint expressa.

XIV. * *Elegans quoque libellus.* His adnumerandus jam est *Michaelis Lyseri* culter anatomicus, omnium optimus, qui curantibus Bartholinis aliquoties Hafniæ in lucem prodiit, ultimo etiam novis quibusdam ἐγχειρήσεσι auctus à Bartholino nepote, paternæ eruditionis æmulo, & in anatomica functione nuper successore.

XV. * *Habemus ab Hippocrate etiam libros qui huc pertinent.* Anatomica Hippocratis admodum rudia esse ac cruda, antea monuit, idque ex libro citato de ossibus statim patet: in quo vix quicquam lectu dignum occurrit, sed multa confusa & falsa: ut etiam Hippocratis esse ægre persvadear, quicquid dicat Martianus. Est ipsi cum aliis nonnullis commune, quod titulus non respondeat argumento, sed ex initio li-

bri ſit natus: Quod evenit libro de Superfœtatione aliisque qui apud Foëſium iſtum præcedunt, in quibus itidem multa inania & inepta leguntur. Poſt Hippocratem quid acciderit, alienis verbis hic legendum dabo: *Hippocrates cum in Græciam diſceſſiſſet, ſcholæ curam Polybo tradidit, genero ſuo. Quem in ejusdem adminiſtratione excepit Diocles Cariſtius, qui primus anatomica ex profeſſo peculiaribus ſcriptis tradidit* (Hoc ſi verum, non ſunt Hippocratis quæ illius generis habemus) *& auctor putatur libri de morbis mulierum inter Hippocraticos reperiundi.* Hæc ita diſſerit *Joannes Hermanni, Profeſſor Medicus Wittebergenſis in oratione* ibidem habita anno MDLX, d. 25. Junii.

XXVI. ✠ *Miſere enim obiit Veſalius.* De Veſalii obitu nonnulla alia narrat Joannes Metellus in epiſtolis Belgarum, pag. 372.

XXVII. ✠ *Joannem Philippum ab Ingraſſia.* Huic ab Ingraſſia debetur inventio tertii oſſiculi in aure, Stapedis dicti, cujus ſibi arrogaverat inventionem Columbus, prout Fallopius in obſervationibus ſuis docet.

XXIX. *Hieronymus Fabritius ab Aquapendente.* Ejus opera præterquam quod ſint docta, perquam magnifice inſuper & ſplendide prodiere: cumprimis opera Phyſica Anatomica, ut quidem appellat, De Formato fœtu, Venarum oſtiolis, Formatione ovi & pulli, Locutione & ejus inſtrumentis, & Loquela brutorum Patavii MDCXXV. charta regali, litteris majoribus, & figuris longe excellentisſimis. De viſione & voce quæ ſcripſerat, jam antea Venetiis MDC. excuſa fuerant itidem quidem nitidisſime, ſed in charta minori. Reliqua ejus generis in quarto ſunt edita, excepto uno de muſculi artificio & oſſium articulatione.

✠ ✠ *Julium Caſſerium Placentinum.* Hujus tria extant opera I. De vocis auditusque organis opera anatomica; quæ in æmulationem Hier. Fabritii conſcripſiſſe eum apparet: ubi præter humana, etiam aliorum animalium partes deſcribit & pingit, figuris longe elegantisſimis. II. Pentaiſtheſeion h. e. de quinque ſenſibus liber; Venetiis primum excuſus, mox Francofurti etiam

etiam, sed figuris minus tersis. III. Tabulæ anatomicæ illæ de quibus auctor dicit Spigelii fabricæ adjunctas esse. Uterque nimirum & Fabritius & Casserius grande opus anatomicum moliebantur, sed morte præventi illam gloriam aliis relinquere coacti sunt. Interim natæ sunt nobis ex hujus conatu tabulæ illæ eximiæ: quibus visis fortassis destitit ab opere Aquapendens, cum agnosceret iis nihil posse melius fingi. Superavit autem Casserium in explicatione & usu partium investigando, quia plus volebat judicio: Perspicuitatis inde quoque laus manet Aquapendenti, cum Casserii stylus asper sit & grandis quidem, sed verborum potius quam rerum pondere. Diligentia vero & peritia secandi pares videntur fuisse, etsi Aquapendens, ut ætate longe grandior, plura præstiterit quam Casserius.

XXXI. ✠ *Oppido Paucis.* Ea in collegio suo anatomico cum M A. Severini & Bartholomæi Cabrolii operibus junctim edidit doctissimus Volkamerus, MDCLIV.

XXXIII. *Joannes Riolanus*, Anthropologiæ ejus accesserunt Animadversiones in plerosque omnes sui temporis anatomicos quibus singulorum errores & vitia acriter perstringit. Quod laudabile quidem & apprime est utile, sed quia in carpendo Riolanus prorsus excedit modum, seque omnibus videtur præponere, id laudem quam alias promeruerat non vulgarem, haud parum imminuit.

XXXIX. Auctor in hoc capite de Physiologia quoque se acturum promiserat; sed ubi ad auctores pervenit, substitit in anatomicis, quod hi omnes Physiologiam cum anatome conjunxerunt, prout ipse supra monuerat, ubi dixerat, libros nostros anatomicos maximam partem esse physiologicos, & usum partium tradere. Aliis tamen & præter anatomiam, eaque plane relicta, sola Physiologica pertractare visum est: quales sunt ex paulo remotioribus quidem temporibus *Joannes Costerus*, Medicus præclarus Bononiensis, qui cum alia varia tum & Physiologicas disquisitiones edidit, *Nicander Jossius*, qui scripsit de voluntate & dolore, risu & fletu, somno & vigilia, fame & siti, cui ultima editione accessit *Laurentii* etiam *Politiani de risu* tractatus. *Petrus Peramatus*, qui docte scripsit ad Galenum de Naturalibus Facultatibus, *Thomas Fienus* qui accurata ratione

 dispu-

disputandi omnes superavit, *Mundinus Mundinius*, qui de semine operose scripsit, cui se opposuit *Caspar Hofmannus* Libro de Generatione Hominis. Ipse vero etiam Hofmannus præter istum & Commentarium in Galeni libros de usu partium, De Thorace tribus libris perdocte disputavit, maxime ex Peripateticorum principiis: Aristotelicas quoque sententias exponere cepit Lumen illud philosophorum *Cæsar Cremoninus* Centensis, sed qui Patavii docuit; præsertim in iis quæ de anima, semine, & calido innato. Ex his quoque est *Franciscus Bonamicus* qui de Alimento egit, & alii plures. Ex recentioris nostrique ævi scriptoribus statim se offert nobilissima celeberrimorum virorum triga, quibus ipsemet olim præceptoribus usus sum: *Guernerus Rolfincius*, qui prolixas edidit Dissertationes Anatomicas, *Gothofredus Mœbius* qui omnium fere sententias doctissimo suo opere complexus est, & *Johannes Theodorus Schenckius*, cujus sunt exercitationes anatomicæ & perdoctum de humani corporis humoribus scriptum; item de sero sanguinis & Lacte. Ante hos vero & parens meus, *Christophorus Schelhammerus* Rolfincii tum Collega, de humani corporis humoribus perdoctum opus conscribere ceperat ac publicare: sed præmaturo fato mortalitati ereptus, imperfectum relinquere coactus est. Illorum vestigia nunc pressit dignissimus tantorum virorum successor, amicus noster singularis *Georgius Wolfgangus Wedelius*, publicata itidem Physiologia, in qua multa quoque nova & adhuc inaudita prodidit: in quibus recensendis & refingendis nunc eum occupatum esse novimus. Et vero hi omnium partium aut plerarumque naturam & usum tradere annisi sunt. Qui vero eos secuti recentissimi scriptores, alia institerunt via, & singulas excutere duxerunt operæ pretium, magno studiorum bono: Hoc enim factum est modo, ut diligentius & pressius examinarentur omnia, plurimaque partim non visa, partim non satis perspecta detegerentur. Anglorum plurimi Harvei exemplo inducti, in eo suam operam collocarunt. Numerantur in his *Nathanael Highmorus*, *Gualtherus Charleton*, *Franciscus Glissonius* (qui tamen de pluribus, veterum potius more egerunt) *Thomas Warthon*, qui de glandulis sollicitus, novos salivales ductus inferiores adinvenit;

venit & primus descripsit, *Gualtherus Needham*, *Guilielmus Cole*, *Thomas Willis*, qui, cum sola brutorum corpora spectaret, humanaque eodem putaret modo composita, nonnunquam fallit, prout jam supra monuimus: *Richardus Lovverus*, qui cordis historiam videtur absolvisse, *Malachias Thruston* & *Johannes Mayovv* qui respirationis negotium perquisivere. In Belgio post Johannem van Horne, quem supra laudavimus, *Theodorus Kerkringius*, & sub *Theodori Aldes* ficto nomine latitans *Matthæus Sladus* generationis modum diligentius sunt scrutati: Kerkringius etiam alia plura & osteologiam infantum tradidit. In eodem argumento qua felicitate versatus sit *Regnerus de Graaf*, ad caput proximum monuimus, nec non de mota ea de re ipsi controversia: Non autem abs re erit fortassis eam rem plenius hic exponere. Johannes igitur van Horne ejus in anatome magister, cum fama emanaret, Graafium tale opus moliri, (per epistolam enim publicatam id significaverat) conscripto ad Guernerum Rolfinkium Prodromo, suum esse inventum publico significavit, & mox prodituri ea de re libri summa capita exposuit: sed antequam adimplere posset promissa, diem obiit supremum: Post hujus mortem statim Graafii utrumque opus prodiit: quorum postremum quod de partibus Mulierum Genitalibus agit, *Johannes Swammerdammius*, itidem Hornii discipulus, Doctori suo publice vindicare non dubitavit, ostensis in fidem certiorem erroribus à Graafio commissis: ita ut tandem ad tribunal Anglicæ Societatis Regiæ uterq; causam dixerit, scriptis suis illi dedicatis, quæ tamen suspendere judicium quam litem dirimere, qua est modestia & pari in omnes humanitate, maluit. Interim uterque fatis concessit. Nunc autem superest, utinam diutissime, Lugdunensis academiæ Lumen, cujus in anatomica dexteritate seculum non vidit parem, *Carolus Drelincourtius*, cujus stupendam industriam licuit nobis olim cernere & admirari. Verum is in publicandis scriptis paulo est scrupulosior. Sed & nuperrime Hagæ Comitis inclarescere cepit inventis novis ductibus in oculo, per quem humoris aquei fertur materia *Antonius Nuck*, cujus felix dexteritas plura nos expectare jubet. Italia quæ à talibus nunquam

fuit

fuit alienior, hoc quoque tempore aluit *Antonium Molinetum* anatomicum Patavinum, *Laurentium Bellinum*, *Carolum Fracassatum*, *Marcellum Malpighium*, adhuc viventem, & insignem illum Mathematicum ad Medicum, qui nuper adeo ingens illud opus de Motu animalium aggressus est atque absolvit, *Joh. Alphonsum Borellum*. Gallia post Pequetum ad hæc studia nihil videtur contulisse, nisi quod aliquot nuper de auditu perscripsere: in quibus excellit cæterosq; superat *Josephus du Vernay*, qui magnam eo opere de se spem concitavit: exactissimum enim se exhibuit & diligentissimum minimarum partium perscrutatorem. Hic etiam ni fallor, primus nunc in horto Parisino publicis Regis sumtibus anatomen exercet. Germania nostra hic merito gloriatur de suis *Wepferis, Meibomiis, Peyeris, Brunneris*: Nos quoque, licet impari conatu, hic aliquid sumus ausi: & fortassis de Bile tractatus & Thoracis Physiologia sequentur. Dania præter *Thomam Bartholinum*, accuratissimum anatomicum, *Nicolaum Stenonem* dedit, sed quem peregrinæ religionis amor à statione abstraxit. Horum ille cum *Rudbekio* vasa lymphatica reperit, hic autem cerebri, musculorum, glandularum illustravit doctrinam, novumque salivalem ductum adinvenit. In Suecia denique, tanquam extremo cultioris mundi angulo, *Olaus Rudbekius* quem modo citavimus, viguit: cui cum Thoma Bartholino de inventione Lymphaticorum fuit contentio, sed cum congrederentur imparibus armis, & Olaus Juvenis esset, vixque mediocriter Latinæ dictionis peritus, Bartholinus contra eminens auctoritate, & ad miraculum doctus, solito eloquentiæ flumine ita eum obruit, ut pene totus succumberet: cum tamen esset certum, minimum eodem tempore utrumque industriæ suæ præmia tulisse; & pene dixerim Rudbekium accurata diligentia Bartholinum superasse. Hos omnes, uno Charletono excepto, (cujus tamen de œconomia animalium liber meretur legi,) & Nukio, qui recentissime post editam ab ipsis Bibliothecam scripsit, ingenti labore, nec minori cum laude in unum opus congessere nuper bini Clarissimi Genevenses Medici *Daniel le Clerc* & *Johannes Jacobus Mangettus*: Quo nomine optime de republica literaria sunt meriti, magnamque iniere apud omnes

bonos

bonos gratiam: sic enim quæ de singulis partibus à singulis sunt edita, uno intuitu legi & conferri inter se possunt. Hoc igitur opus lectori commendantes, pluribus de iis agere supersedemus.

CAPUT V.
DE
STVDIO PATHOLOGICO EJUSQVE PRÆCIPUIS SCRIPTORIBUS.

THESIS I.

POsteaquam de Physiologico studio recte instituendo partiumque adeo singularum vero & genuino usu, quæque hinc dependet sanitate ipsa recte discenda docendaque, satis pro instituto egimus; ipse rei ordo jam postulat, ut vitia corporis nostri investigare porro discamus. Igitur ponendum est: neminem cum fructu in Pathologicis versari posse, nisi Physiologica probe addidicerit. Immo Anatomicum exercitium utique necessarium esse, quum multi affectus citra cadaverum apertionem cognitionem nostram fugiant, liquet. Ideoque internos morbos corporis nostri expositurus recte *id initio sancit* doctissimus Fernelius, *ne quis* Præf. l. v. Path. *huc nisi gnarus Anatomes ac peritissimus accedat.* Sicuti vero physiologicam cognitionem duobus modis nobis comparamus; ita etiam iisdem adminiculis morborum scientia acquiritur; ceu paulo post pluribus exponetur.

II. Et quidem circa quæ universa Pathologia versetur jam tum primo capite explicatum est: comprehendere scilicet illam omnia quæcunque corpori nostro præter naturam accidunt, adeoque actionibus edendis quoquo modo impedimento sunt: quæ sane infinita pene numero sunt. §. VIII.

Quin immo Pathologiam longe plura ambitu ſuo continere quam Phyſiologiam, quum innumeris modis uſus actionesque partium lædi poſſint, clarum eſt.

III. Conſtat vero principio, morbi eſſentiam ante omnia debere eſſe cognitam, ad hanc autem porro pertinere omnia illa, quæ ad morbi conſtitutionem faciunt. Et primo quidem quum morbi eſſentia in diſpoſitione præter naturam partis alicujus viventis conſiſtat; ante omnia ſane ad morbi cognitionem pertinet, partis laborantis naturam intime habere perſpectam, cujusmodi illa ſit, quem uſum actionemve præſtet, quem ſitum in corpore obtineat, & denique ubinam lateat. Id enim niſi ſcias accurate, fieri non poterit, uti judicium de medicamentorum applicatione recte ferre queas: num ſcilicet internis an externis utendum ſit, aut ſi quæ aliæ ſunt differentiæ medicamentorum. Alibi videlicet ſuffimenta, alibi unguenta, alibi pulveres, alibi alia proſunt. Quæ omnia debito modo inſtituere non potes, loci affecti natura minus explorata. Quo referendum etiam illud eſt, ut ſcias quisnam locus proprie ſit affectus, quum ſæpius pars quædam, vitio ab alia primario laborante communicato, morbum patiatur. Certe ad curandi rationem permagni intereſt illud ipſum noviſſe. *Equidem nunquam ullum plane cognitum penitusque perſpectum morbum eſſe putaverim, niſi compertum habeatur & quaſi oculis cernatur, quæ in humano corpore ſedes primario laboret, quis in ea ſit affectus præter naturam, unde is proceſſit, utrum in ea ſede genitus* κατὰ πρωτοπάθειαν, *an aliunde profectus* κατὰ συμπάθειαν *an denique cauſa aliqua interior illum foveat*: ceu recte idem Fernelius ſcribit *præfat. in l. V. Pathol.*

* ** ***

IV. Æque neceſſario porro in Medico requiritur, ut ipſam præter naturalem diſpoſitionem accurate teneat, quan-

quantum scilicet illa à naturali discesserit, qua ex parte noceat, & denique quibus de causis vel orta sit morbosa ejusmodi constitutio vel etiamnum permaneat. Certe sine caussæ recta cognitione morbum integrum nemo pernoscit, quum scire sit rem per caussam cognoscere. Vt porro Medicus medeatur morbo, necessum est caussam
* teneat, si non eam quæ primum produxit morbum, saltem illam quæ eundem fovet: utpote quum remedia caussæ morbificæ proxime & proprie adversari debeant.

V. Quanquam vero ad hunc modum cognito morbo, amplius latere nequeat quomodo symptomata efficiantur, quibusque de caussis illa ortum suum capiant; at-
* tamen quum adeo accuratam morborum omnium notitiam nonnisi magno labore comparare liceat, & vero symptomata, utpote in sensus magis incurrentia, ipsis morbis plerumque notiora sint: hinc adeo fit, ut & singulorum symptomatum cognitio in accurata proximæ caussæ cognitione consistat; utpote quum unius rei una tantum sit caussa proxima efficiens, remota autem multiplex esse possit. Ita ex. gr. tussis reapse tantum una proxima caussa est; quæ nempe motum illum involuntarium totius pectoris concitat; at vero illius caussæ locum varia admodum, in uno tamen illo quod possint ejusmodi aliquem motum concitare pectoris, convenientia, tenere possunt.

VI. Circa symptomata præterea etiam id notandum est, alia esse simplicia, composita alia. Quomodo v. gr. vox epilepsiæ proxime symptomata aliquod denotat, sed non simplex, verum ex pluribus quid compositum. Quandoquidem autem compositi alicujus naturam pervidere non licet, nisi prius simplicibus omnibus accurate cognitis; manifestum utique est, ante omnia id operam esse dandam, ut cujuslibet simplicis symptomatis natura & caussa

recte teneatur, quo compoſitorum naturam exactius liceat percipere. Sic ex. gr. quum varia in epilepſia ſymptomata occurrant, fieri non poteſt, ut quis naturam epilepſiæ accurate explicet, niſi numerum ſymptomatum non tantum habeat cognitum, verum etiam cujuslibet cauſſam proximam: qua perſpecta demum accurate docere poterit, quomodo omnia illa ſymptomata in unum conveniant ad epilepſiam producendam, quomodoque omnia hæc ab una origine promanent.

VII. Denique ad morbi exactam notitiam etiam illorum cognitio pertinet, quæ neceſſario quidem morbum comitari ſolent, proprie tamen dicta ſymptomata non ſunt. Cujus ordinis eſt magnitudo, motus, mos & eventus demum morbi. Certe diſcrimina cujuslibet morbi Medico neceſſario tenenda eſſe, ſiquidem curationem ſuam recte ille inſtituere velit, conſtat. Quod ſi enim hæc poſthabeat, fieri non poteſt, quin præpoſtere curationem inſtituat, adeoque in magno aut acuto morbo, celerem quærente medicationem, ipſe medendi tempora elabi patiatur, quæ deinceps nullo modo nullaque opera reſarciri poſſint.

IIX. His ad eum modum ſeſe habentibus, proximum jam eſt viam & rationem ad cognitionem illam perveniendi oſtendamus. Quanquam hoc labore ſuperſedere poſſimus, quum illud ipſum a nobis *præfatione in Obſervationes Philippi Salmuthi* adeo aperte ſit jam factum, ut quod illi doctrina adjici velimus non habeamus. Scilicet quod cognitionem τȣ̃ ὅτι concernit, ſenſuum beneficio potisſimum illam acquiri in propatulo eſt: ſicuti contra cauſſarum inveſtigationem ratiocinatione. Sunt autem illa quæ per ſenſus deprehendimus, revera tantum hiſtoricæ cognitionis, & initio quidem ſingularia tantum; ex quibus

demum

demum inductionis beneficio universalia pronunciata confieri oportet, quemadmodum *capite primo* jam tum fusius à nobis dictum est. Perinde vero ferme est, sive propriam sive alienam experientiam afferas. Quanquam enim nostris sensibus longe tutius possimus credere; quum tamen per infinitam rerum multitudinem nosmet omnibus observandis non sufficiamus, minime rejicienda est experientia aliorum, modo fidem illorum recte sese habere constet. Quo porro apparet quantum Observationes sive Historiæ Medicæ utilitatis ad plenam morborum notitiam comparandam afferant. Ideoque tam multi fuimus *citata præfatione* in commendandis historiis illis Medicis: ubi etiam de reliquis huc facientibus diffuse tractamus, ut hoc loco prolixiores nos esse non sit necesse: Tantum de scriptioribus Pathologicis nonnihil attexamus superest.

IX. Et sane veteres scriptores Pathologicos uti hoc loco prolixe recenseamus, nihil caussæ est, nisi operam ludere velimus: omnes enim ex quibus quidem aliquid peti possit, in toties laudata illa præfatione sunt enumerati. Scilicet *Hippocraticis* opusculis, cumprimis illis quæ indubitato Hippocratem auctorem agnoscere videntur, primas hic omnino deberi certum est. Multum etiam hic prosunt cum alii libri *Aristotelis* tum quæ ejus nomine circumferuntur *Problemata.* In horum sane prima statim sectione multa habentur quæ Hippocratis Aphorismis magnam lucem afferre possunt. Conjungendi autem cum Problematum illorum lectione sunt *doctissimi commentarii tum Petri Aponensis, tum Julii Guastavinii Neapolitani,* sed qui in Pisana Academia primarium Professorem egit, *tum denique Ludovici Septalii Patricii* Mediolanensis: nisi quod hi duo, priores quatuordecim tantum sectiones illustraverint. De reliquis ex prisco avout & Græcis posterioribus Arabibus

bibusque parum dicendum, plerique enim horum Galeni ſcriptis unice contenti, nihil pene de ſuo addiderunt, ſi pauculas hiſtorias excipias.

X. Cæterum ſuperiori ſeculo, quum pulſa barbarie Medicum ſtudium quaſi reviviſceret, etiam Pathologica doctrina novam faciem induere cœpit. Et quidem *Leonhardus Fuchſius* noſter haud parum forte illam turbavit, prolato abſurdo illo dogmate, morbum eſſe ſubſtantiam. Quod uti ille vir alias doctiſſimus ſane imperitia Philoſophiæ affirmavit, ita revera ad Medicam tamen artem nihil facit, quum quæſtio ſit mere Logica & fori Philoſophici. Cæterum majorem laudem commeritus eſt *Joannes Fernelius*, qui ut in therapeuticis, ita & in pathologicis à Galeno paſſim diſſentire cœpit. Cui adjungendus eſt *Joannes Argenterius:* in quo tamen nimium Galeni inſectandi ſtudium merito repreheudas. Poſt hos in eodem opere cum laude verſatus eſt *Felix Platerus*, & multi etiam alii. Etenim ſcriptores Practici Pathologiam ut plurimum ſolent exponere, licet novi aliquid raro adjiciant. Pertinet ad hanc claſſem etiam *Daniel Sennertus*, qui tum in Inſtitutionibus, tum in grandi opere Practico Pathologiam præ aliis magno ſtudio tradidit. Nec fraudandus ſua laude *Duncanus Liddelius*, Juliæ noſtræ decus, doctrina pathologica ut compendiose ita ſatis exquiſite expoſita.

XI. Paulo poſt Fernelium *Hieronymus Mercurialis* præcipua laude vixit; cujus varia opera à diſcipulis ab obitu ejus edita, non leviter unumquemque etiam in pathologicis erudierint. Poſt quem *Comes Montanus* ejusque adverſarius *Thomas Eraſtus*, Viri eximii, de morbis acerrime inter ſeſe contenderunt: quorum utriusque ἀντιλεγόμενα ſcripta doctiſſimis animadverſionibus illuſtravit *Caſpar Hofmannus* noſter; cujus reliqui etiam libri pathologici, ut

omnia

omnia ejus, lectione digni sunt. Erasti sane *Disputationes* multa de affectibus præter naturam continent quæ expendi omnino merentur: utut controversia illa cum Montano agitata, haud pauca à Medica schola aliena vereque Logica comprehendat. Huc etiam referendus est liber *Stephani Roderici de Castro*, ille ridiculo titulo *Quæ ex quibus*: utpote qui ineptias nominis bona doctrina compenset. Adjungi etiam debet alter ejusdem libellus *De complexu morborum*, qui itidem multa utilia complectitur.

* XII. Ante omnia vero Medicinam facturo, certe ad accuratam morborum cognitionem aspiranti necessario cognoscendæ sunt Observationes Medicæ. In quibus post Hippocratis huc pertinentia opera præcipue laudandæ sunt illæ quas *Schenckius* magna diligentia congessit; utpote qui plerorumque omnium notatu dignas historias Medicas singulari industria in unum volumen collegit. Ex reliquis tamen potissima laude afficiendi sunt doctissimi *Guilielmi Ballonii Ephemeridum & Epidemiorum* libri: qui multa continent, quæ quoad universalem morborum historiam ad Hippocratis gloriam proxime accedunt.

XIII. Cæterum quandoquidem ratione sexus haud parvum inter morbos discrimen occurrit, seorsim de illis *qui Mulierum morbos exposuerunt*, aliquid dicendum est. Ubi initio statim iterum *Hippocrates* laudandus venit: quod nullum scriptum in hoc genere antiquius extet quam illa quæ Hippocratis nomine appellantur. Et primo quidem nonnulla, præcipue quæ τὸ ὅτι horum morborum concernunt, reperiuntur *libro quinto Aphorismorum.* Longe autem plura *libro secundo de morbis mulierum* habentur: Quamvis illa non sint unius auctoris. Extat etiam porro *de sterilitate, morbis virginum, & superfœtatione* quanquam ἀποσπασμάτιον tantum. In quibus omnibus hoc discrimen

men probe advertendum eſt, uti Pathologica à Therapeuticis diſcernantur: ſimiliter etiam ea quæ uſu comperta traduntur, ab illis, quæ per ratiocinationem inveſtigare conati ſunt. Scilicet quæ per experientiam cognoſci poſſunt, longe felicius ab iſtis expoſita videmus, quam quæ cauſſas ſpectant; in quibus indagandis veteres illi frequenter cespitarunt. Omnia vero illa, quæ ad morbos mulierum pertinent & ab Hippocrate vulgo creduntur profecta, continentur *ſectione quinta* editionis Foëſianæ. Tantum dolendum, hos libros bonis commentariis carere. Habemus tamen doctisſimum commentarium in *librum primum de morbis mulierum Mauritii Cordæi*, auditoris Jacobi Hollerii; ſub quo Hippocraticam Medicinam refloreſcere cœpiſſe ſupra diximus.

XIV. Poſt Hippocratica ſcripta memoranda veniunt quæ apud Ariſtotelem occurrunt. A quo principio illa quæ ad hiſtoriam partus humani pertinent, *libro ſeptimo Hiſtoriæ animalium* tanta brevitate expoſita reperiuntur, qua alibi nusquam. Multa porro quæ tam ad Phyſiologiam quam Pathologiam ſpectant, *ſectione quarta Problematum* habentur. Multo autem plura de ſterilitate utriusque ſexus *libro decimo Hiſtoriæ animalium* traduntur, ſed quæ maxime circa cauſſas explicandas verſantur. Quanquam opus illud, utut ſit antiquum, Ariſtotelem auctorem non videatur agnoſcere: quod & ſtylus prorſus ſit diverſus ab Ariſtotelico, ipſa inſuper tractandi ratio alia, & denique ſententiæ cum aliis veris Ariſtotelicis non conveniant. Quin eſſe librum illum, qui apud Diogenem Laërtium in recenſione operum Ariſtotelis περὶ τȣ̃ μειᾶν inſcribitur, colligimus *præfat. ad Obſerv. Salmuth.* Certe principium hujus decimi libri cum illo convenit. Quæ etiam cauſſa impulit Theodorum Gazam, ut hunc ipſum librum Latine

vertere

vertere noluerit, quod scilicet ex stylo judicaret eum non esse Aristotelis. Post tamen ipsum transtulit Julius Cæsar Scaliger & illustravit.

XV. Post Aristotelem nullus laude dignus intra aliquot secula de hac materia scripsit. Vixit quidem post Aristotelem Cornelius Celsus, verum ille nihil de morbis mulierum edidit. Habetur liber quidam *Trotulæ* inscriptus & continetur in opere Gynæciorum & Spachiano & Wolfiano; quem video doctis placere conscriptum esse ab Erote, Medico & Liberto Juliæ, filiæ Augusti Cæsaris. Quod quidem si verum, scriptum illud esset Celso antiquius. Verum miror hoc doctis ita potuisset placere, quum multis rationibus falsitas ejus rei possit ob oculos poni. Nam primo multa ibidem ex Galeno descripta reperiuntur; quum tamen Eros ante Christum, Galenus autem secundo à nato Servatore seculo vixerit. Deinde in scripto eo mentio Franciæ occurrit, quum Gallia Franciæ nomine non sit appellata, nisi posteaquam Franci eam occupaverunt. Accedit tertio prædicti opusculi stylus plane barbarus quum ævo Augusteo in flore fuerit Latina lingua. Ideoque existimo scriptum esse Medici alicujus Salernitani: stylus certe plane dictioni Constantini Africani affinis est.

XVI. Sub initium porro seculi secundi floruit *Soranus Ephesius*, uti notum: cujus libri quatuor de morbis mulierum à Suida laudantur, quorum fragmenta omnino docta apud Aetium leguntur. Extant præterea ex illo ævo etiam nonnulla *Ruffi Ephesii* de utero muliebri; quæ tamen potius Anatomica sunt. Galenus etiam, quamvis tam multum in arte exornanda laboraverit, hanc doctrinam non exacte tradidit. Neque ex sequentibus quoque Medicis Græcis quod hoc loco nos juvare possit, quic-

quam peti poteſt: præter illa quæ apud Aetium & quidem ſatis præclare exponuntur.

XVII. Poſt eos in Græcis nemo quem laudemus occurrit, imo ne quidem apud Arabas. Habet tamen nonnulla Avicenna, eaque perdocta. Quibus addenda ſunt pauca apud Avenzoarem & Albucaſin in *Chirurgia*, eaque ſic ſatis docta: quæ ſive Bauhinus ſive Wolfius excerpſit adjunxitque tomo ſecundo Gynæciorum. Alios ex Arabibus non habemus, adeo pauci hoc argumentum attigerunt, multo pauciores pro dignitate proſequuti ſunt.

XIIX. Arabicos ſcriptores exceperunt Galli & Itali, cumprimis à ſeculo duodecimo uſque ad ſeculum ſextum decimum. Quorum plerique tamen vix mulierum morbos attigerunt; quod ductum Rhaſis in omnibus fuerint ſequuti, qui morbos partim exponendos ſibi ſumſit. Verum qui poſt annum milleſimum quingenteſimum vixerunt, majori nonnihil diligentia hoc argumentum fuerunt perſequuti. De quibus tamen priusquam aliquid dicamus, ſilentio prætereundum non eſt, ex antiquioribus Græcis hujus argumenti *librum Moſchionis* extare: quem tamen non uſque adeo vetuſtum eſſe, ut vulgo proditur, & circa nonum ſeculum vixiſſe exiſtimamus. Ex illis autem ſeculi decimi quinti recentioribus primus fuit *Ludovicus Bonacciola Ferrarienſis*. Cujus ætate doctrinam de partu probe tractavit *Jacobus Ruffius*. Eodem tempore in Italia vixerunt *Joannes Baptiſta Montanus* & paulo poſt etiam *Hieronymus Mercurialis*, uterque vir vario doctrinarum genere excultus. Quamvis Mercurialis ipſe ſua non ediderit, ſed diſſertationes ejus à magno noſtro Anatomico Baſilienſi Bauhino exceptæ & evulgatæ ſint. Inter alios etiam commendandi ſunt *Ambroſii Paræi*, *Severini Pinæi de notis virginitatis*, & *Franciſci Rouſſeti*, qui primus mo-

modum fœtum vivum ex utero exſecandi docuit, libelli: quorum hic poſtremus cum reliquis illis eſt inſertus operi Gynæciorum, & ſeorſim etiam ab eodem Bauhino noſtro editus, melioribuſque hiſtoriis illuſtratus. Cumprimis vero *Andreæ Cæſalpini* opus practicum, cui titulum *Speculi artis Medicæ Hippocratici* fecit, in manibus eſſe debet. Scripta certe ejus ut in aliis, ita & doctrina de mulierum morbis quaſi compendia ſunt Hippocratica: primus enim ille cum Medicina Ariſtotelicam Philoſophiam conjunxit. Multa quoque habemus ingendi opere Practico *Sennerti* noſtris & peculiari hujus graneris volumine *Roderici de Caſtro Judæi Hamburgenſis;* cujus liber doctus quidem eſt, non tamen ut titulo reſpondeat, neque illam laudem quam affectavit mereatur. Non tacendus etiam eſt *Ludovicus Mercatus* Hiſpanus perdoctus. Licet enim Hiſpanis uſitata illa prolixitas lectorem nonnihil deterrere poſſit, ubertate tamen doctrinæ illa compenſatur. Præter veterum enim ſententias ab aliis quoque indicta commemorat. Inſignia etiam habet, quæque alibi non reperiantur, *Joannes Varandæus* Monſpelienſis, ut & *Raphaël Moxius* Gerundenſis Hiſpanus; cujus opus *de morborum muliebrium per venæ ſectionem curandi ratione* peregregium eſt & lectu apprime dignum. *Thaddæus* denique *Dunus Locarnenſis*, ſed qui ob religionem ex Italia profugus in Helvetia vixit, parvum libellum *de morbis mulierum*, at valde doctum edidit, ad modum libri illius cui Jacobus Dondus Aggregatoris nomen indidit. Superſunt quidem nonnulli etiam alii, ſed qui ſingulare pene nihil præſtiterunt, adeoque illorum enumeratione lectorem ulterius detinere nihil attinet.

XIX. Par ratio eſt morborum *Puerilium*. Quapropter etiam rei ſeries exigit, ut ad ſcriptores illorum jam protinus nos conferamus. Ex veteribus autem hoc loco ne-

minem commendare possumus, quod argumentum illud ex professo nemo sit persequutus. Præter perpauca enim, quæ sparsim tam apud Hippocratem quam Galenum hac de re dicta reperiuntur, nihil inde peti potest. Neque in Arabibus quisquam illam doctrinam aggressus est, si excipias unum Rhasin, cujus libellum de morbis infantum habemus. Est autem idem ille, qui opus illud ad Almansorem conscribit, alius ab auctore Continentis quod vocatur, ceu supra jam monuimus. Apud Avicennam tamen nonnulla etiam lectu digna inveniuntur. Doctrinam sane de variolis & morbillis nemo illo diligentius explicavit; licet in curatione minus sit accuratus. Certe hodie magno malo ex studiosorum manibus scripta Avincennæ excutiuntur.

XX. Post Arabicos scriptores ab anno usque millesimo ducentesimo ad superioris seculi initium nemo reperitur, qui huc pertineat. Cæterum principio istius seculi *Leonellus Faventinus* eximium & lectu sane dignum libellum *De morbis infantum* composuit. Tantum illud observetur, plus ad curationem illum facere quam ad dignotionem morborum seu Pathologiam. Adjungi autem illi solet appendix adjecta *à Petro Kuffnero.* Vixit tum temporis quoque *Sebastianus Austrius*, qui doctum hujus generis libellum ex Arabum scriptis concinnavit, quemque non ita pridem Nicolaus Fontanus cum non indocto commentario Amstelodami excudi curavit. Extant & erudita quædam, ad diætam infantium pertinentia edita per *Hieronymum Montuum*, Sebastiani optimi Medici filium. Scripsit idem Hieronymus etiam alia, quæ omnia præclara sunt & digna cognitu: veterum enim sententias diligenter excerpsit, in quorum lectione versatissimus fuit. De morbis

porro

porro infantum præter hos *Eucharion Rhodion* ſcripſit & *Balduinus Ronſſeus*, qui tamen minoris eſt momenti. Cumprimis autem præclarum eſt ſcriptum *Hieronymi Mercurialis*, licet & ipſum à diſcipulo quodam ejusdem editum ſit. In hoc eodem genere etiam aliquid ſcripſit *Ludovicus Mercatus* paulo ante laudatus. Extat inſuper etiam *Strobelbergeri* libellus omnino præclarus. Quanquam num ipſe autor iſtius ſcripti ſit merito dubites. Plurima ſane in eo reperiuntur, quæ plane eadem ſunt cum illis quæ in Germanico ejusdem argumenti libello *Caſparis Am Thor* leguntur. Quapropter num hic vel ille proprius libelli auctor ſit, neſcias: utrumque ex tertio aliquo ſua ſcripſiſſe, veriſimile videtur. Ad Pathologiam autem nihil fere facit, ad praxin potiſſimum ſpectans. Longe plura pathologica habet *Franciſci Ranchini*, cujus & commentaria in Hippocratis Jusjurandum extant, hujus argumenti ſcriptum, nuper in Italia editum. Sicut & libellus ejusdem generis *Marii Zuccrii* Neapolitani. Sunt quidem & alii recentiores, ſed qui non omnes infantum morbos tradiderunt. Non poſſum autem non ex illis cumprimis commendare *Marcellum Donatum*, cujus doctiſſimas Obſervationes habemus; *Joannem* item *Thomam Minadoum*, ut & *Horatium Augenium & Æmylium Campolongum*, ex Italis: ex Germanis autem noſtris *Melchiorem Sebizium* Medicum Argentinenſem longe doctiſſimum, qui præ aliis Germaniæ Medicis hodie præcipue laudandus venit. Habet quoque non pauca de morbis infantum in praxi ſua *Sennertus* noſter. Quod ſi præterea quidam ad hanc claſſem referendi veniant, à lectoribus ipſis adjici poterunt.

ADDITAMENTA.

III. * *Constat vero.* Nimirum in Pathalogia morborum universa natura & historia traditur, quæ quaternario absolvitur rerum diversarum numero: Una est primaria, morbus ipse, altera est cum ipso simul, pars affecta, cujus & natura, & situs debet esse cognitus: Tertia morbo prior est, Causa: quarta eodem posterius, Symptomata. Hisce universum studium Pathologicum absolvitur. Quæ, ut pauca videri possint, tam amplam tamen unumquodque rerum varietatem complectitur, ut non frustra auctor dixisse videatur, *esse pene infinita numero.* Cur autem, & in quem finem cuncta hæc cognoscere necessum sit, mox uberius declarabitur.

* * *Id enim nisi scias, fieri non poterit ut* -- Bina in parte affecta veniunt accurate cognoscenda, natura ejus & situs. Natura quidem, ut remedii quod quæris materiam proximam invenias, situs vero ut formam. Quæ enim à morbo est indicatio, non nisi genus remedii manifestat; selectum autem ex tot medicamentis ad eunden generalem scopum collimantibus natura partis affectæ velut intento digito commonstrat; compositionis modum usumque, (quod formulam vocant,) situs. Primum subinde inculcat Galenus in libris de methodo medendi, ostendens siccioribus partibus sicciora, humidis humidiora convenire, similibus enim gaudere naturam, iisque conservari. *Vide Lib. III. c. 2. & 4. Lib. V. 10.* Alterum demonstrat idem *Pergamenus Lib. IV. 7. & V. 11.* Discitur autem partis & situs & natura in Phisiologia: estque hæc ratio, quamobrem adeo necessaria hujus est exacta doctrina, ut binis diversis in locis prope iisdem verbis id monere *Galenus* non dubitaret: *Methodo Medendi* scilicet *Libro Vto cap. 1. & VII, c. 2. Qui simplicium*, inquiens, *in nobis particularum elementis minime inquisitis artem adeunt, non posse quicquam certa ratione sanare.* Sanguinis vero etiam

iam crasin cumprimis nosse expedit, prout liquidum est ex *libri III. citatis supra capitibus.*

*** *Quo referendum etiam illud.* Paulo obscurior hæc de affectionibus per consensum doctrina mihi semper visa est; Non dubito quin & aliis: Videtur autem perspicua magis futura si sic explicetur, ut dicamus, aliam esse partem in qua morbus dominetur, aliam in qua vera causa lateat. Philosophi subjectum morbi & subjectum causæ appellant. Habebit tum partis per consensum affectio symptomatis rationem, ut plane in aperto sit quo loco habenda veniat.

IV. * *Necessum est causam teneat si non eam quæ* -- Nonnunquam ad unam causam attendere sat est, si nempe ab una sola morbus pendet, aliquando ad plures. Est enim cum ipsa illa quæ morbum fovet causa, ab alia vicissim fovetur, ut concatenatus nascatur rerum corrigendarum ordo, v. g. in phthisi: cujus ulcus in pulmone est causa, frustra vero es, in eo sanando nisi affluxum acris seri avertas, nec avertere potis, nisi id corrigas simul. Cum autem ingens causarum sit numerus, omnes in numerato habeat medicus oportet, quo eam dignoscere possit quæ in individuo quod præ manibus est, peccet maxime cujus etiam accuratissima, quantum fieri potest cognitio est acquirenda: quo enim certius naturam ejus noveris, eo etiam felicius expugnaveris, non igitur in qualicunque vel mediocri subsistendum vel acquiescentum. Notandum tamen, non conjecturis aut quodam ingenii lusu, dum quidvis fingimus, sed ex effectibus suis & symptomatibus, naturalis status conditione juncta, indeque formato ad leges disciplinæ rationalis syllogismo, eam esse eruendam: ad quod observationes unice prosunt: tantoque minus ferenda quorundam hic temeritas atque incogitantia est, quod nullum eo quod circa istam committitur, peccatum perniciosius sit. Constat enim, morbum quidem generalem auxilii cujuscunque indicationem suppeditare, materiam vero in universum, ex causa innotescere, uti proximam & specialissimam (quod modo notavimus) ex parte affecta: quæ omnia in methodo medendi ex instituto & prolixius docentur.

V. * At-

V. ※ *Attamen quum adeo accuratam.* Est hic locus paulo minus perspicuus. Id autem voluisse auctor videtur: quia in affectibus bene multis symptomata morbis ipsis notiora sint, utile esse ipsarum quoque naturam indagare, idque aliquando sufficere. Recte quidem; sæpius tamen etiam natura cum morbi tum causæ non nisi ex his ipsis pernoscitur. Cum enim effectus testetur de sua causa, symptomata vero à morbo & causa morbi producantur: qualia hæc sint, tanquam exploratores medico produnt. Quin imo, cum omnis causa agere aliter non possit quam pro substrata, ut philosophi loquntur, materia, talisque sit effectus, qualis permittitur esse à subjecto; hinc denique & partis effectæ rationem nobis aperiunt. Sic igitur ex symptomatibus conjunctis & inter se collatis horum omnium tanquam efficientium causarum ex effectibus cognitio resultat: plures enim etiam si sint causæ, & diversi generis, conveniant tamen in uno tertio necesse est, & in notionem desinant communem: quod in exemplo de tussi facile esset demonstrare. Inde igitur adeo cum diagnosis tum prognosis nobis nascuntur, & hæc est conjectura medici, in qua quo quisque rectius se gerit, eo felicius absconditarum rerum conditiones assequitur: non enim hæ sunt conjecturæ simpliciter sic dictæ, sed ex arte & perpetuæ veritatis regulis institutæ, ut fallere facile haut queant. Hanc igitur quia ignorant non nulli, fallacia putant esse & incerta omnia ut in propriæ artis ignominiam videantur stultissimis suis principiis conjurasse, veritatis se studiosos esse rati, cum ejus sint hostes, & destructores.

VII. ※ *Magnitudo, motus, mos & eventus demum morbi.* Hæc explicatione tanto magis indigent, quanto & majoris sunt momenti, & magis vulgo negliguntur. Sunt autem necessaria conjuncta, quæ omnino pertinent ad essentiam morbi integram exhauriendam: Ideoque, quamvis diversa videri queant; ab auctore tamen sub una classe collocata sunt; quod ejusdem sint generis. Nimirum in his præcipua medici & ultima cura collocanda, atque is demum verus artifex meretur haberi, qui ista habet perspecta. Considerari vero possunt & in

in morborum speciebus, & eorum individuis. Nam verbi gratia Febris ardens est morbus magnus, acutus, nonnunquam malignus, & periculosus, idque de ea habito respectu ad alios morbos affirmatur recte; sed & alia ad (aliam, hujus nempe hominis ad illius) major, magis acuta, maligna vel benigna magis, & periculosior vocari potest. Nec de acutis id tantum valet, sed etiam chronicis: sic nemo arthritidem vagam recte curaverit, nisi sciverit morem ejus esse ut vagetur per partes corporis universas, motum humoris celerem, sed morbum tamen ipsum diuturnum & pertinacem: Podagræ vero, seu arthritidis fixæ mos est longe alius: ut nempe autumno potius ac vere affligat, utque facilius & frequentius recurrat: si repellatur, regrediaturve in venas materia, angustias parere præcordiorum ingentes, & quæ interitum minentur, sic se eam habere ad hæc, ita ad alia medicamenta, & quæ talia sunt plura. Cuncta hæc ad morem morbi pertinent, quæ uti recte describere, non nisi illius est, qui multiplici experientia est instructus, nam ex meris observationibus petuntur, ita vulgo mirum in modum à practicis negliguntur atque insuper habentur; haud exiguo rei medicæ damno.

VIII. ✠ *Perinde vero ferme est, sive propriam sive alienam experientiam afferas, modo fidem eorum recte sese habere constet.* Cum nemo omnium morborum experientiam omnimodam habere queat, præsertim juvenis medicus, utique requiritur ut artem facturus afferat alienam. Invenitur autem ista in observationibus & historiis medicis, sive scriptis traditis sive ex ore Præceptorum haustis. Non est igitur cur recentem medicum spernat quisquam aut ei sese concredere dubitet, modo sit doctus & optimorum Præceptorum manibus formatus, valeatque judicio ut possit & morbos ipsos & scriptores sinceros ac bonæ fidei discernere. Quid autem requiratur ut de fide alicujus auctoris constet, supra etiam ad cap. 1. ostendimus: Auctor vero in laudata præfatione paucis id verbis complexus est nervose, dicens: *Quod ab homine perspectæ integritatis & prudentiæ proditum esse oporteat.* Addit deinde. *Faciliorem etiam ad pruden-*

tiam medicam viam esse per historiam, quam per usum ipsum, utpote cum hic seris demum ab annis veniat, historia erudiat etiam juvenem. Quibus quæ modo a nobis dicta sunt, mire confirmantur.

IX. ✻ *Et sane-* Antequam ulterius pergamus lector, & de ipsis scriptoribus cognoscamus, illud monendum est, Pathologiam esse generalem & specialem. Generalem esse, quæ in institutionibus solet doceri, ubi termini artis, divisiones morborum, causarum, symptomatum exponuntur. Hanc non videtur multum hic noster curasse, alias non tacuisset *Galeni libros de differentiis & causis morborum ac symptomatum: De causis procatarcticis: De temporibus morborum: De typis*, atque alios nonnullos, qui tanto magis hic merentur nominari, quod insequentes veteres, nostrique prope omnes illam Galeni doctrinam per omnia sequi soleant, vix vel digitum transversum ab ea recedentes: non curantes quod in ea multæ ac magnæ sese offerant difficultates, ex quibus hodie nos extricare non possumus: ut nesciam an salvo veritatis amore ei queamus deinceps inhærere: sed ea de re publico fortassis mox scripto pluribus agemus. Interim videtur excusabilis auctoris isthæc neglectio, quod in institutionibus fere illa, uti dictum modo est, tradantur, nec operæ pretium sit iis nimium immorari juventutem. Eò pertinent autem quæ mox de *Leonhardo Fuchsio* refert, & sequente paragrapho de *Comitis Montani cum Erasto controversia*: Quare etiam in logicas tandem quæstiones istam desinere ait, cum hæc nihil ad artem ipsam faciendam conferant: sunt autem hinc inde in istis libris aliqua propius ad ipsos morbos pertinentia interspersa, cumprimis ab *Hofmanno*: cujus quoque *Pathologia parva* huc spectat, etsi etiam ibi divertat tandem ad specialiora. Porro extat quoque *Gregorii Horstii* de morbis eorumque causis liber, Giessæ editus anno seculi duodecimo, in quo itidem universalem morborum doctrinam tradidit. Ad eandem classem referenda sunt & sequentia: De causa continente, seu conjuncta disceptatio *Stephani Rodorici Castrensis*, quæ posthumis ejus operibus à filio editis habetur inserta, de quo argumento etiam aliorum integra extant volumina: acriter

enim

enim inter medicos initio hujus ſeculi de ea diſceptari ceptum eſt, multis eam plane rejicientibus, (in quibus eſt Hofmannus noſter) aliis aliter atque aliter explicantibus. Alia conſimilis ejusdem Stephani inter illa opuscula legitur diſſertatio de Plenitudine, quæ eſt de Plethora & Cacochymia: ſed & hic & in altera illa ſubtilius diſputat quam verius aut utilius. Porro de cauſis morborum in univerſum breviter ut ſolet, ſed accurate egit *Guernerus Rolfincius* jam alibi nobis laudatus in ſua Methodo Medicinæ commentatoria: ipſique debetur diviſio cauſarum in immediatam, mediatam proximiorem & remotiorem, &c. quæ tamen philoſophiæ quam Medicinæ aptior videtur. Tum prolixa illa *Thomæ Eraſti* cum Archangelo Mercenario *de putredine* diſputatio, atque alia multa illius excellentis viri: uti etiam liber perparvus ſed doctus ϗ πάνυ *Caſparis Hofmanni de Ichoribus* huc referendus eſt. Pathologiam ſpecialem quod attinet, Eam plerique omnes usque adhuc ſcriptores Practici ſuis libris inſeruere, pauci tradiderunt ſeorſim: magno profecto errore, & ſtudio medico pernicioſo. Ut enim Phyſiologia, in qua finis, ſic etiam Pathologia in qua ſubjectum artis exponitur, merentur ſeparatim edoceri, nec jure majore Pathologia cum morborum curatione confunditur, ac ſi Phyſiologia cum parte ὑγιεινῇ combinaretur. Neque eſt quod quis putet breviore ſic via, unaque opera & morborum hiſtoriam & therapeuticen poſſe addiſci, nam in hoc compendio magnum utique diſpendium eſt: Primum enim fit, ut non poſſit ſatis accurate morborum hiſtoria expendi, quippe quæ ſit prolixior, quam ut abſolute & perfecte his libris inſeri queat; quòd ſi coneris tamen, hæc ſecundaria libri materia maximam occupat partem totius, adeoque inconcinna inde naſcitur & indecens proportio. Deinde etiam ad praxin ſe accingentes nimis diu moratur illa morborum contemplatio, atque à ſcopo abſtrahit. Etenim Pathologiam non minus quam Phyſiologiam inter præcognita eſſe referenda, aliarum artium omnium exempla commonent, ut de ea re nullum ſit dubium: Præcognita autem ipſammet diſciplinam citra confuſionem ingredi non poſſunt. Eſt autem

Practici ſcriptoris, & qui curationes docet, officium, ea quæ ad methodum medendi eruendam idonea, & ex Pathologia arcesſitu neceſſaria ſunt, ſupponere, & ſimpliciter enumerare, non autem demonſtrare, ſed Pathologico demonſtranda relinquere, à quo antea illa petere omnia & iis jam inſtructum accedere oportet eum qui ad curationes morborum perdiſcendas animum applicat: Pari prorſus modo, quo actio partium in Phyſiologia demonſtratur, in Pathologia vero demonſtrata ſupponitur. Hinc prudenti ſane conſilio vices publicarum in hac academia lectionum ita inter nos diſpartitæ ſunt, ut primus doctor Phyſiologiam, alter Pathologiam, tertius Praxin profiteatur; ſecus ac in aliis pleriſque fit academiis. Hinc etiam dicere auſim, plus hanc noſtram (præfiſcini dixerim,) quam alias multas ad excolendum pathologicum ſtudium conferre aptam eſſe, imo reapſe forte etiam dudum contuliſſe. Sed de ſcriptoribus Pathologiæ ſpecialis nos ad finem capitis plurima addemus.

XI. ✠ *Cujus etiam reliqui libri Pathologici:* Sunt illi Pathologia parva, modo à nobis laudata, de locis affectis libri tres, & rejectanea Pathologica de morbis formæ & materiæ contra Fernelium & Argenterium.

XII. ✠ *Certe ad accuratam morborum --* Cur auctor tantopere commendet obſervationes medicas, etſi nemo forte eſt qui ſe putet neſcire, non tamen omnibus adeo obvium eſſe crediderim: Dicam igitur. Sunt ejusmodi hiſtoriæ enarrationes ſingularium, ex quibus univerſalia principia in pathologia ſpeciali formantur. Enimvero Obſervationes vel morborum hiſtorias tradunt, vel cauſas evidentes commemorant, vel ſymptomata quædam exponunt, vel denique curationem etiam adjectam habent. Hæc ad Pathologiam non pertinet, ſed ad pharmaceuticam: reliqua vero in hoc unum conſpirant omnia, ut vel indolem ac morem morbi, vel cauſam expeditam reddant; quæ cum abdita ſit, ab evidentibus ad occulta argumentando eruitur, neque alia eſt quæ eò ducat via. Cum itaque cauſæ cognitio tam neceſſaria ſit medico rationali, quamobrem tanto-

tantopere laudet auctor observationes, jam satis patet. Neque cum indole & more morbi aliter se res habet: tametsi enim in singulis singuli varient morbi, utpote subjecti, hoc est ægri, aeris, victus, atque ætatis diversitatem sequentes, est tamen & hic quod universæ alicui morborum speciei commune est, ut inde erui quid possit. Eorum vero, qui Historias medicas scripserunt, nonnulli propria, & sibi observata tradunt, qui majorem fidem merentur. Alii vero ab aliis quomodocunque accepta, & semiplene intellecta annotarunt. Quos inter primo loco Borellus collocandus, deinde & Bartholinus, & Johannes Rhodius, singuli suo loco mox nominandi, & magna ex parte ipse etiam Schenkius. Cæterum, cum perpaucos observationum scriptores vir nobilissimus enarraverit, addendi sunt reliqui; non tamen omnes, sed præcipui, sunt enim complures: omnes tamen hoc atque superiore ævo floruerunt. Est igitur ex Italis *Dominicus Panarolus* Romanus, Petri Castelli discipulus, qui in urbe medicinam & fecit & professus est, & *Marcellus Donatus*, Mantuanus: Ex Lusitanis *Zacutus*, Judæus, qui eas historias quæ sparsim in veterum Græcorum, Latinorum, Arabum scriptis reperiuntur, collegit in unum: super quas amplas deinde disquisitiones, sed sæpe inanes conscripsit. Sed insuper & suas edidit, sub titulo Praxis admirandæ: Continet autem ille liber vere admiranda & rara, sed quorum suspecta nonnullis fides est. Alter *Amatus* est, communem cum priore & patriam & gentem agnoscens, artemque eandem professus Gallia dedit *Franciscum Valeriolam*, *Carolum Pisonem*, qui doctissimum librum reliquit de morbis prætermissis ex serosa colluvie oriundis, *Lazarum Riverium*, celeberrimum Practicum auctorem, *Petrumq; Borellum*. Germania nostra plura suppeditat, celeberrima nomina: *Gregorium Horstium* quem jam supra laudavimus, *Joannem Wierum*, celebrem illum de Lamiis Magisque scriptorem, *Salmuthum*, *Platerum*, *Tonerum*, *Gabelchoferum*, quem tamen minus æstimo, nimis enim vulgata congessit, *Hæchsteterum*, *Timæum à Guldenklee*, *Joannem Jacobum Binnigerum*, Mompelgardensem, & ævi sui decus *Gothofredum Welschium*. Belgium *Forestum* genuit, virum experien-

tissimum, qui innumeras observationes prolixo insuper auxit commentario, in quo universam omnium morborum Pathologiam, unaque præcipuas controversias veterum legas, ut quanta instructus fuerit hic vir doctrina, inde liceat æstimare. Post hunc *Rembertus Dodonæus* ipsi coævus, laudandus venit: cui nuper accessit *Nicolaus Tulpius*, cujus observationes omnium aliorum ejus generis relationes elegantia antecellunt. Ex *Smetii* quoque (qui inter Germanos nominandus fuerat) miscellaneis haut parum colligas interdum utilitatis: Neque prætereundus *Joannes Rhodius*, ipse ille cujus Bibliothecam medicam nunc primum publici juris facimus. Plurima tandem huc pertinentia in Ephemeridibus eruditorum extant, de quibus itidem supra egimus. Uti vero hi promiscue omnia, ut sese obtulerunt, conjecerunt in chartas: Ita nonnulli de singularibus morbi generibus congessere similia: In qua classe sunt *Joh. Jacobi Wepferi* observationes anatomicæ de Apoplexia, & perdoctæ observationes morborum Castrensium *Tobiæ Coberi*, nuper denuo hic ab Henrico Meibomio, Collega nostro æstumatissimo publicatæ. Non carent etiam utilitate quæ de uno morbo populariter grassante nonnulli condiderunt: uti *Octavianus Roboretus*, de Peticulari febre, Tridenti anno 1591. publice vagante, cujus generis haut paucos quoque habemus auctores. Huc enim referas *Laurentii Gieseleri* nostri, item *Diemerbroekii*, *Gabrielis*, (qui licet olitor, valde opportuna locutus) *Pauli de Sorbait*, Viennensis medici, ac Lipsiensium nonnullorum aliorumque de Peste observationes: Nec negligendus est *Nathanael Hodges* de peste Londinensi, aliique complures: sunt quoque ex eo genere quæ *Thomas Sydenham* de morbis epidemiis nuper publicavit, de quibus mox plura erunt dicenda.

XIIX. ✻ *Supersunt quidem nonnulli-* Non hic silentio prætereundus est nuperus scriptor Gallicus *Franciscus Moriceau*, qui de puerperarum cura habenda peregregie scripsit, cujus etiam liber, non exigua utilitate ad obstetrices redundante, nuper in Germanicum idioma translatus est. Accedat huic *Cosmus Viardel*, Chirurgus Regius, qui ex innumeris observationibus ostendere cepit,

ad

ad fœtûs extractionem non opus esse ferreis instrumentis, sed omnia manibus Chirurgi posse adoperari; Brevis est libellus, sed lectu dignus. Uti & porro quæ ad puerperium pertinent, non male exposuit vernacula lingua *Christophorus Volterus*, Chirurgus Wirtembergensis: Etsi enim non admodum erudite, recte tamen de his sensit atque disseruit, & hunc de partu partum obstetrice experientia non invitis Musis enixus est.

XX. ✣ *A lectoribus ipsis adjici poterunt.* Quam privatis lectoribus omnibus ac singulis auctor potestatem fecit, ea & nos utemur in publicum commodum. Ut enim de morbis mulierum & puerorum, (nisi quod hic *Jacobus Primerosius* addi mereatur) tam exacte omnia perquisivit, ut nihil magnopere queat addi, ita supersunt alia adhuc morborum genera quorum scriptores itidem commemorandi sunt. Inter ætates senectus eminet, quæ cum ipsa morbus sit, meretur curam & sollicitudinem medicorum; Verum enim vero de affectibus senum nemo Græcorum quicquam prodidit, neque Arabes in eo argumento multum laborarunt, aut veteris Latii incolæ; saltim conservandis quam restituendis senectutis viribus fuerunt studiosiores: neque id perperam, cum nulla ætas æque regiminis sit indiga. Ex recentioribus autem extat idem modo laudatus *Franciscus Ranchinus*, qui etiam scripsit *de morbis virginum*, & *de morbis subitaneis*: Omnia hæc ejus opuscula, perdocta sane, junctim edita sunt Lugduni MDCXXVII.

Post ætates aliæ morborum differentiæ se nobis sistunt, nec illæ considerari indignæ, nec suis destitutæ auctoribus. De contagiosis igitur morbis extat liber longe doctissimus *Hieronymi Fracastorii*: post quem idem argumentum haut parum illustravit *Julius Palmarius*, Constantinus: cujus libri septem tertiam jam aspexere lucem: ultima vice Hagæ Comitis, anno hujus seculi sexagesimo & quarto, indice auctiores. Neuter tamen agit vel generatim, vel de omnibus, sed præcipuos exequuntur, magisque formidabiles, nec pathologica tantum sed curativa quoque explanant. De universitate vero contagii, ex quo pestem etiam in distans propagari constitit (apparuit autem post

seculi

feculi elapsi initium, Nicolai Massæ temporibus) id argumentum tanquam proprium, qui de peste scripserunt sibi postularunt, satisque in eo prolixe omnes disputare sunt soliti.

Epidemii sequuntur morbi, magnam partem & ipsi contagiosi, sed tamen diversi. De his nemo quod sciam digne satis commentatus est, aut universalia condere ausus; sed particulatim de iis plurimi egerunt. Itaque infinitos habemus qui de Variolis, Dysenteriis aliisq; epidemice grassantibus morbis describendis solliciti fuerunt: qui tamen ut plurimum frigide satis in Pathologia versantur, in præservationem & curationem potissimum intenti, cum tamen hæc sine altera illa ipsa frigeat. Interim initium singularium observationum & historiæ fecerat jam olim *Hippocrates*, in illum finem, ut certi ac soliti quid inde inferret, quale quid non raro in Aphorismis ex operibus suis collectum legitur. Sed nemo post ipsum insistere huic viæ aut prosequi laudatissimum institutum sustinuit. Deterrente cunctas, ut suspicor, magnitudine operis & subtilitate. Hodie non ita foret difficile industriis animis, ex tot relationibus plurimorum lucem huic rei mutuari, modo omnes illos inspiciendi copia sit & ingenii felicitas ab inani captandæ temere laudis consuetudine remota. Multo certe felicius hoc pacto licebit id consequi, atque fecit nuper *Thomas Sydenham* Londinensis Practicus, ut ex ejus scriptis apparet, experientissimus, qui ex propriis tantum observationibus id facere ausus est. Nec tamen defraudandus hic sua laude cum multa ad istorum morborum genium pertinentia satis egregie annotaverit, magnaque diligentia cuncta observaverit symptomata. Dolendum saltim quod more gentis suæ parum in lectione aliorum versatus, & prope autodidactus appareat. Hinc perperam etiam suum opus *De morbis acutis* videtur inscripsisse: etsi enim morbi epidemii utplurimum etiam acuti sint, ipsum tamen de iis non tanquam acutis, sed qua epidemii sunt, egisse, haud obscurum est. Cæterum, qui præcipuus in illo opere est scopus, vix potest sperari: nimirum fore, ut tandem post plurimos annos iidem morbi eodem ordine recurrant, eadem prorsus facie, adeoque nobis

nobis inde naſcatur hoc pacto abſolutiſſima epidemiorum ſcientia. Tanta enim aeris, tempeſtatumque inconſtantia eſt, ut id prorſus mihi videatur ἐκ τῶν ἀδυνάτων, etiam in ipſa urbe Londinenſi. De Hæreditariis morbis librum publicavit *Dermutius de Meara*, Ormonienſis Hibernus, qui tamen ſcriptum id non ſuum eſſe dicit, ſed parentis, qui ante annos quadraginta quinque Dubliniæ excuſum publico id dederit, ſatis elegans, exiguum licet, opuſculum eſt, niſi quod chemicis ineptiis auctor indulſerit. Ex iis qui in Pathologia ſpeciali reliquorum morborum illuſtranda operam collocarunt, alii morbos ipſos examinarunt, eosque vel omnes aut plerosque, vel ſingulos: nonnulli etiam ad ſymptomata deſcenderunt. Ex illis primo loco nominandus iterum *Rolfincius*, qui Epitomen cognoſcendi & curandi particulares affectus compoſuit, quæ ſua ſe cumprimis & brevitate & elegantia commendat, & maximam partem Pathologica eſt, veterum præcipue Græcorum dogmata complectens: quibus ſubinde aliquid novi ex propria auctoris obſervatione acceſſit. Studioſis hæc apprime utilis. Longe aliter vero, egregie tamen in hoc opere ſe geſſit *Thomas Willis*, & ipſe medicus Londinenſis celeberrimus, qui relictis non ſemel veteribus, ex proprio ingenio plurima depromſit: quamvis haut raro etiam apud alios lecta, callide diſſimulatis auctoribus, pro ſuis obtrudere & novis incruſtare formis optime ſciat. Primum edidit libros de Febribus, ab Edmundo Meara Hiberno mox examinatos, contra quem Williſii defenſionem ſuſcepit Richardus Lowerus, de quo fama fertur, Williſium, Latinæ linguæ facultate deſtitutum, ejus calamo uſum fuiſſe ad ſua chartis conſignanda: Deinde illuſtravit illos affectus qui ad motus convulſivos pertinent: Tum & reliquos in Pharmacia ſua rationali tam eleganter & accurate explanatos dedit, ut ſanctioribus naturæ conſiliis interfuiſſe interdum videatur. Non potuit quidem evitare, quin in pleno difficultatis negotio aliquando impingat: ſed quis eſt qui ab omni lapſu in ardua veritatis via ſecurus incedat: præſertim ſi à præjudiciis non caveat, qualia ex chemicis ſuis novis dogmatibus multa ille hauſerat. Præterea brutorum ſectioni nimis fidens,

inque humanis corporibus non ſatis verſatus, nonnunquam circa anatomica fallit: hinc enim eſt quod in ventriculo illas tunicas fingit, quæ non niſi in œſophago hominum reperiuntur, cum in brutorum ventriculis extent: Poſt hunc multa etiam utilia admodum excerpere licet ex amici noſtri ſupra laudati, *Georgii Wolfgangi Wedelii* libro de facultatibus medicamentorum: Uterque enim laudatisſimorum ſcriptorum idem diverſa tamen via ingreſſi, urgent propoſitum, ita partitis vicibus, ut Willis ipſorummet morborum cauſa expoſitâ, medelam contemplatus ſit, Wedelius vero medicamentorum efficacia in morbis examinatâ cauſas illorum notet, Ille à poſteriori, hic à priori argumentando. Propius igitur ad Pathologiam Willisiana illa attinent. Uti vero is pleroſque affectuum, ita alii paucos aut unum abſolverunt, quos omnes enumerare, integrum poſceret volumen: aliquos ergo tantum ex præcipuis recenſebimus. De morbis igitur capitis frequentioribus *Vincentius Alſarius à Cruce*, de omnibus iterum *Rolfincius*, uterque ſingulari libro egerunt. De Epilepſia ſigillatim plures: *Hieronymus Gabucinus*, *Stephanus Rodericus Caſtrenſis*, in poſthumis, *Matthias Unzerus*, prolixe. De Rabie contagioſa *Joſephus de Aromatariis*, qui liber pene totus eſt Pathologicus, de Dentium dolore, ſeu, ut loqui amat, Podagra, *Strobelbergerus*. De Catarrhis ampliſſimis voluminibus *Johannes Victor Schneider*, Profeſſor Wittebergenſis: De virtutibus & vitiis cordis *Euſtachius Rudius* commentatus eſt, rudius tamen quam doctius. De morbis ex mucronata cartilagine extat liber doctisſimi *Ludovici Septalii*, De malo Hypochondriaco *Pauli Zacchiæ*; De ſcorbuto *Salomonis Alberti*; *Joannis Dravvitzii*, *Joh. Echthii*, *Severini Eugaleni*, *Gualtheri Charletonis*, *Everhardi Mainvvaring*, ſed hic lingua Anglicana; De Paſſione Hyſterica & affectione Hypochondriaca *Nathanaelis Highmori*. De Nephritide itidem particulatim egit *Unzerus*, & *Beverovitius*, accuratius. De Podagra *Loſſelius* & *Knoefelius*, De morbis cutaneis *Hieronymus Mercurialis*, de Nevis *Septalius* rurſum, De ſudoribus perdocte & uberrime ſcripſit *Julius Cæſar Baricellus*, libris quatuor, quibus de Hydro-

noſa

nosa natura titulum fecit, de sudore Anglico *Joannes Nidepontanus*, De Lue Venerea plurimi: Ex primis sunt *Nicolaus Massa, Fracastorius, Palmarius* c. l. *Gabriel Fallopius, Hieron. Montuus, Joh. Varandæus: Recentiores sunt ex Gallis Blegny*, ex Anglis *Gideon Harveus, Everh. Mainvvaring, &c.* Scriptorum de Febribus infinitus pene est numerus: Primus omnium eos rite discernere docuit *Galenus* L. de differentiis febrium, ad Glauconem & M. Med. V. Hippocratis tamen ævo plurimæ jam erant cognita. Galenum omnes secuti sunt ad nostra tempora: Laudari cumprimis ex recentioribus merentur *Sennertus* noster, qui plerasque veterum sententias in librum suum congessit, ac ventilavit, & *Guerneri Rolfincii* Ordo & Methodus cognoscendi & curandi febres, item doctissimum opus *Pii Æneæ Caprilii*, ex quo plurima Sennertus suppresso nomine in suum librum videtur transtulisse. Et illi quidem de omnibus; hic de putridis tantum febribus disquisivere. A quibus recedunt quidam recentissimi scriptores: & quidem veteres non satis perspectum habuisse febrium naturam, magis apertum est quam ut queat negari, nec ipse judiciosissimus auctor noster, qui erat veterum cultor maximus, ivit inficias. Novo igitur conatu febrium naturam aggresси sunt isti non sine causa: sunt autem *Franciscus de le Boe* Sylvius, Lugdunensis, *Franciscus Piens*, Hornanus Practicus, qui prolixe satis & operose id egit: *Thomas Willis*, de cujus opusculis diximus, & nuperrime denique *Joannes Jones*: Verum nemo istorum mihi videtur rem satis expedivisse feliciter. Ut enim de Sylvio nil dicam cujus doctrinam non sustinuisse doctiorum examen supra monuimus, Piens ad cap. III. febris causam in irritatione cordis quærit, Willis Chemicorum principiis insistens, sua potius asserit quam probat aut evincit, Jones autem, qui in acescente ad vasorum oscula chylo eam ponit, itidem in probatione videtur deficere, licet de symptomatum varia ratione multa feliciter expedit, nec tam inepte ut multi hodie facere assuevere, in argumentando se gerit. De febribus, affectibus, capitis & thoracis perdocte nuper quoque *Laurentius Bellini*, Academiæ Pisanæ Professor commenta-

mentatus eſt, quæ cum aliis recudi curavit vir clariſſimus Joannes Bohnius, Academiæ Lipſienſis curioſiſſimus doctor. Laude dignum in hoc auctore, quod in enarrandis ſymptomatibus eſt perquam diligens: Modo non in cauſis eorum ſcrutandis communi ſeculi laboraret vitio, plurima ſupponente, pauca apodictica ratione oſtendente ac demonſtrante: Qualia ſunt quæ de liquido nervorum fluente & refluente undatim, de nervorum expanſione & contractione ſive amplitudine majore & minore, compreſſione cerebri & medullæ ad foramen magnum occipitis in primo ſtatim limine occurrunt, atque alia plura. Profecto, quamdiu quilibet indulgebit ſic genio ſuo, & ſupponet ea quæ nulla ratione prævia perſpexit, ad veritatis radios perpetuo in his cæcutiemus, inſtar noctuæ ad meridiani ſolis claritatem. Pene oblitus eram eorum qui de morbis ſupernaturalibus egerunt: Errant enim qui putant hos incurabiles eſſe, neque ad medicum attinere, cum quod ſupponunt, falſum ſit. Eminet autem in his triga ſcriptorum: *Joh. Baptiſta Codronchius*, *Hieronymus Jordanus*, Auctoris auditor non ineptus, & nuperrimus *Frommannus*, qui reliquos rerum amplitudine ſuperavit. Habita eſt quoque ſub præſidio Magni auctoris noſtri anno 1659. erudita admodum diſputatio de incantationis circa morbos efficacia. Quæ ex his diſci non poſſunt, petenda ex eorum erunt libris qui de Veneficiis, Dæmonum vi & potentia, Lamiis, aliisque ejus generis ex inſtituto egerunt. Atque ſic de ſcriptoribus Pathologicis nunc abſolvimus.

CAPUT

CAPUT VI.
DE
STUDIO SEMEIOTICO EJUSQUE AUCTORIBUS.
THESIS I.

POsteaquam de Pathologica doctrina in genere à nobis actum est, proximum jam erit, ut illa etiam adjungamus, sine quibus morborum cognitio non potest esse perfecta. * Enimvero tum ad ipsorum morborum dignotionem, ad quam loci affecti notitia etiam pertinet, tum ad ipsam curandi rationem permultum interest scire illa, ex quibus ceu certis & infallibilibus notis discrimen ad ipsa desumi possit. Quæ doctrina in scholis Medicis vulgo σημειωτική appellari solet. Est autem σημεῖον sive signum, *quicquid ab aliquo tanquam à caussa procedit:* quomodo ipsemet Galenus noster *lib. V. de locis affect. cap.* 7. definit. Doctrina itaque Semeiotica rationem docet, qua quis instructus plenam morborum notitiam investigare potest. Sunt autem duplicis generis omnia in universum signa: quædam enim propria, quædam communia sunt. * Atque ex communibus quidem solum in se spectatis signis nihil certi de morbo aliquo colligere possumus, nisi propria adjuncta habeat, quippe quæ propterea etiam communia vocentur, quod in pluribus affectibus deprehendantur. At vero propria statim morbum, naturam ejus, & ipsum locum affectum demonstrant. Ubi tamen notandum, communia nonnulla si conjungantur, speciem aliquando referre propriorum. Quandoquidem vero ex propriis signis proxime affectum

 cogno-

cognoſcimus, hinc etiam venit ut propria illa παθογνωμονικά nuncupentur. Quum autem porro non ſolum ſigna in morbi notitiam nos deducant, ſed etiam illorum beneficio de morbi eventu prædicere poſſimus: hinc ſignorum alia διαγνωςικὰ alia vero προγνωςικά ſunt & appellantur.

II. Eſt autem Diagnoſtica methodus, ut & de ea primum ſeorſim aliquid dicamus, nihil aliud atque doctrina apodictica generalis, reſtricta ad certam materiam h. e. ad ſolum morbum. Quemadmodum vero is, qui demonſtrat, ex iis quæ per experientiam cognita ſunt, cauſſas indagat: ita Semeiotica px ſymptomatibus, aliiſque in ſenſum incurrentibus cauſſas latentes morborum ipſorumque adeo eſſentiam inveſtigare docet. Cæterum de hac ipſa ratione dignoſcendi morbos aut partem affectam, in genere quidem, adeoque ut in artem vel univerſalia præcepta illa doctrina potuerit redigi, ab Hippocrate uſque ad Galenum fortaſſis nihil ſcriptum eſt. *Galenus* itaque primus maximo ſtudio illud ipſum præſtitit elegantiſſimo & omnibus commendatiſſimo opere *De locis affectis;* ea in re potiſſimum adjutus beneficio Analyticorum Ariſtotelis: utut more ſuo multa aliena interſerat, neque omnia ſatis exacte viſus ſit tradidiſſe. Conjungendi autem ſunt cum librorum illorum lectione *doctiſſimi commentarii Franciſci Valleſii*, ut & *Joannis Wolſii Exercitationes Semeioticæ* in hac Academia Julia ante hos triginta amplius annos habitæ. Poſt Galenum omnes illi qui Pathologiam explicavere, hanc doctrinam etiam adjecerunt. Unde communiter etiam ab illis ſolet tradi, qui Inſtitutiones Medicas conſcripſerunt. Et vero ab his initium faciendum eſt tyronibus artis, priuſquam ad Galeni lectionem ſeſe convertant. Præcipui autem ſunt inter illos *Joannes Fernelius*, *Dunçanus Liddelius*,

lius, Daniel Sennertus & Caspar Hofmannus. Præterea universalem morbos dignoscendi rationem perspicue & nervose ex Galeni doctrina proposuit *Æmilius Campolongus* Patavinus, Hieronymi Capivaccii discipulus, libro, cui titulum fecit *Methodi semeioticæ ad analyseos Capivaccianæ normam expressæ,* quem Iessenius publicari fecit. Quamvis autem universalem Semeioticam doctrinam *Hippocrates* non reliquerit; sigillatim tamen multorum morborum particularium signa, varia experientia longoque usu observata, reperire est apud eundem tum in Aphorismis tum passim alibi. Notandum tamen, in scriptis ejus nonnulla quæ huc faciunt minus certa esse, propter anatomen seu potius constitutionem corporis humani minus tum temporis cognitam. Interim operæ pretium erit, ex Hippocraticis illis scriptis excerpere, & in unum colligere omnia illa signa morborum, quæ caussis licet controversis hinc inde v. g. de epilepsia, apoplexia, convulsionibus &c. indicari solent. Ex veteribus tamen non negligendus est *Aretæus*, ut qui integris libris etiam signa morborum exposuerit, omnium aliorum industria longo intervallo ea in re post se relicta. Et hæc quidem de Diagnostica doctrina seorsim dicere voluimus. Pergendum nunc
* ad illa signa, quæ non solum morbos dignoscere sed etiam futura prædicere docent.

III. Inter signa illa vero primo solet numerari *Pulsus.* Ubi initio notandum, in scriptis Hippocraticis de pulsibus perpauca tradita reperiri, immo vix unum ac alterum locum occurrere; certe inter signa morborum nusquam
* pulsus relatos legi. Cæterum post illum Herophilus hanc doctrinam maxime excoluit, *in musicos pedes venarum pulsu descripto per ætatem gradus,* quemadmodum Plinius *lib. XXIX. cap. 1.* loquitur. Quin immo, *quoniam necesse*

cesse erat in secta ea literas scire, nimiam propter subtilitatem desertus fuit, ut Plinius *l. c.* & *l. XI. c. 37. f.* memorat. Sequuti tamen nihilominus multi sunt Herophilum, sed quorum scripta omnia interciderunt. Quæ non minus desideremus, effecit *Galenus*, plurimis voluminibus *De pulsibus* editis: adeo ut à præclaris quibusdam Medicis & ipse ad nimiam subtilitatem & curiositatem rem totam reduxisse, non immerito judicetur. Neque enim negari potest, libros istos adeo esse subtiles, ut Galeni diligentiam satis mirari nequeamus, multa etiam non recte assequi. Post Galenum neque Græcorum neque Arabum, neque Latinorum quisquam pari labore ac diligentia hanc doctrinam persequutus est, præterquam quod à nonnullis ex Galeno excerpta quædam hujus generis collecta sint: donec ante hos centum annos *Josephus Struthius* Polonus, quum viveret in Italia, subtilitatem illam circa pulsus Galenicam in lucem reducere visus est, conscriptis libris *Sphygmicæ artis*. Non potest vero negari, multa in opere illo satis docta reperiri, eumque præter illa quæ ex Galeno hausit, in cujus lectione versatissimus fuit, nonnulla etiam de suo adjecisse. Illum qui sequuti sunt, quamvis hanc doctrinam magni fecerint, nemo tamen eorum parem diligentiam adhibuit. Interim quam optime de iisdem scripsisse videntur * *Hercules Saxonia*, *Eustachius Rudius*, *Hieronymus Capivaccius* & *Alexander Massaria*, omnes Patavinæ scholæ magni nominis Professores. Ante tredecim demum annos prodiit Ulmæ libellus *Samuelis Hafenrefferi* titulo *Monochordi Symbolico-Biomantici &c.* Non putamus vero operæ pretium esse vel integrum titulum ineptiis plenum, huc adscribere.

IV. Cæterum quid de hac doctrina in universum sentien-

ſentiendum nobis videatur, paucis addemus. Primo enim recte exiſtimamus dubitaſſe ſummi judicii virum Johannem Baptiſtam Montanum, num etiam Galenus bene iſthæc tradiderit, quum omnia ipſemet vix videatur eſſe expertus. Deinde recte etiam idem judicat, tanta ſubtilitate non eſſe opus, ſed ſufficere paucas admodum pulſuum differentias noviſſe. Quam ſententiam juxta cum aliis etiam Sennertus & Caſpar Hofmannus noſtri approbarunt. Ideoque ad praxin talis accurata pulſuum cognitio nullo modo neceſſaria eſt. Quod ſi quis tamen otio abundat, in Galeno ſic ſatis multa hac de re inveniet. Cumprimis vero obſervandum hic venit, cauſas pulſuum hodie longe magis eſſe perſpectas, atque veteribus fuerunt. Poſteaquam enim circulatio ſanguinis innotuit, etiam unde pulſus proveniat, quidque illud ſit quod arterias moveat, non potuit non ſimul inclareſcere: nimirum non aliunde illum eſſe atque à ſanguine ex ſiniſtro cordis ventriculo in arterias protruſo. Ideoque quod Galenus occultæ & peculiari ſuæ facultati promoventi, quam vitalem nominat, adſcribit, id calido nativo moventi cor, & ex conſequenti protrudenti ſanguinem omne omnino unice attribuendum eſt. Acriter quidem doctrinam illam Galenicam jam ante ſanguinis motum cognitum oppugnavit Hofmannus. Verum utut de ſanguine recte quidem ſenſerit; ab efferveſcentia tamen ejus pulſum fieri, quod ille voluit, experientiæ minus eſt conſentaneum. Revera enim prout protruſio ſanguinis in arterias aliter atque aliter ſe habet, ſive ea in omnes ſive aliquas tantum fiat; ad eundem etiam modum pulſum variare neceſſum eſt. Ideoque pulſus ſæpe nos fallunt, neque ex illis in hac vel illa parte male ſeſe habentibus ſtatim cor affici colligendum eſt, quum vitium illud ſæpe non in corde, ſed arteriis tantum deliteat.

V. Porro inter ſigna morborum hodie à nonnullis primo loco habetur *Vrina*, adeo ut de toto morbo & eventu ejus ex ſolius iſtius inſpectione ſe certi quid divinare poſſe multi arbitrentur. Quod autem hanc doctrinam attinet, in Hippocraticis quidem ſcriptis paucula duntaxat morborum indicia ex urinis deſumpta reperiuntur. Galenus quoque nonnulla ex illis colligere ſolet, ſed admodum pauca: ideoque etiam hanc doctrinam peculiari libro non expoſuit, licet pleraſque reliquas Artis partes ſingulis operibus ſit perſequutus. Similiter poſt Galenum diu neglecta fuit, donec quinto à nato Servatore ſeculo *Palladius Jatroſophiſta* Alexandrinus, ſolito magis eam excolere cœpit, ſcripto *de Vrinis* ſingulari libro, quem Pariſiis Federicus Morellus Latine à ſeſe verſum anno hujus ſeculi octavo edidit. Poſt illa tamen inſpectio illa urinarum magis magisque videtur inoleviſſe, uſque ad duodecimum ſeculum; quo *Actuarius*, Græcus medicus, ſeptem integris libris operoſiſſime omnem illam ipſam doctrinam explicavit. Interea tamen etiam apud Arabas circa inſpectionem urinarum magna diligentia adhibita fuit. Ideoque hujusmodi argumenta haud pauca *apud Rhaſem*, *Avicennam* aliosque invenire eſt. Ex quo ævo etiam extat liber Judæi cujusdam *Iſaaci Aben Amram*, Latine verſus à Conſtantino Africano. Poſt ſeculum duodecimum, Medicina Arabica in Europam translata, una cum Aſtrologia ſuperſtitioſa divinatio ex urinis etiam invecta fuit. Ex quo tempore paulatim magis magisque incrementum ſumſit, ut demum res ad ſummam pervenerit ſtultitiam. Quin immo nonnulli Paracelſicorum nova quadam ratione anatomiam urinæ inſtituere auſi ſunt; diſtincta urina in caput, manus, pedes, thoracem &c. Cujus generis eſt ineptiſſimus liber *Joannis Rhenani* titulo *Urocriterii Chymiatrici*.

VI. Cæterum superiori seculo à nonnullis præclaris Medicis deprehensum fuit, multum fallaciæ huic divinationi inesse, ideoque etiam artificium hoc egregiis libris impugnari cœpit. Quos inter cumprimis legi merentur *Petri Foresti*, diligentissimi juxta ac doctissimi viri, *de incerto & fallaci urinarum judicio* libri. Multa etiam huc pertinentia leguntur passim in longe elegantissimis Epistolis *Joanis Langii*. Neque negligendæ etiam sunt *Euricii Cordi de abusu Vroscopiæ conclusiones &c.*

VII. Non negamus tamen posse interdum nonnulla ex urinis colligi, quæ partium quarundam affectus sic satis manifeste produnt. Ideoque quid revera ex illis peti possit, etiam optimi Medici est docere. Quod in genere non negligenda sunt, quæ peculiari opusculo docte explicavit *Iodocus Willichius* titulo *Vrinarum probationes*: in quas extant erudita scholia *Hieronymi Reusneri*. Verum enimvero dubitandum non est, multa ex sudoribus & alvi excrementis æque colligi posse. Cæterum quum alia signa satis multa in promptu sint, ex quibus morbi natura clare cognosci queat; ad elegantiam Medici omnino pertinet, ad sordida illa nequaquam temere recurrere, adeoque ne quidem urinarum inspectioni facile se dedere, nisi summa demum exigente necessitate. Ideoque de hac pessima consuetudine exstirpanda optime scribit Bruno Seidelius: *Hanc vitiosam consuetudinem vehementer optarim ab ipsis medicis emendari, neque enim ab aliis emendatio exspectanda est, neque etiam difficilis futura esset, si omnes in una civitate consentirent, imperitos rectius instituerent, nummulisque aliquot parvo tempore carere vellent: Postea enim recte edoctis hominibus de hac re, sine dubio & arti justus honor haberetur, & honesta quoque præmia non desu-*

l. de morb. incurabil. Pag. 15.

desutura essent, benedicente Deo curis atque laboribus medicorum, in re plana, aperta, justa, legitima, recta, & cum veritate consentiente. Qui etiam singulari libro illud ipsum est * persequutus.

IIX. Fatendum sane est nonnullos, ex infima præsertim plebe, leviter tantum inspecta urina, multa eaque mira & quæ fidem pene superant, posse divinare. Verum certum est, aut fucum illos facere aut vero magicis artibus non minus esse instructos, quam qui ex solo hominis aspectu vel manus inspectione præterita & futura edisserere norunt. Ad quam classem etiam pertinent multi Judæorum; de quibus non possumus quin egregium quendam locum
Pag.429. ex Epistola *LXXI. lib. 1.* doctissimi Langii recitemus. *Verum,* ait, *quid stemmate avorum generosus, & rara eruditione vere admirandus Comes Picus Mirandulanus, de Judæorum in re medica libris & peritia statuerit, vel tu diuturno (ut hospes refert) eorum usus commercio comperisti, nondum nobis significasti: quum tamen hæc scire Germanorum maxime intersit, quorum ut marsupia Judæi fœnore, ita facultates corporis vitales medicamentis exhauriunt, ac experimenta per mortes agunt (discunt enim periculis nostris) Judæoque Christianum medicamentis occidere summa impunitas sit, quippe cum nulla lex sit, quæ in hac arte puniat inscitiam capitalem. Accedit ad hoc avaritia præfectorum & præsidum, qui accepto parvo tributo, data illis, qui Christum & illibatam ejus matrem virginem Deiparam blasphemant, majore quam Christianis immunitate, hos, ut mali pastores, non tondere, sed Hebraicos hos lupos, subditos ut oves deglubere permittunt. Pudet fateri, solos in toto terrarum orbe Germanos cuilibet apostatæ, sacrificulo, agyrtæ, carnifici, perfidoque Judæo, profitenti se medicum, corpus*

corpus & vitam concredere. Quibus adjungimus illa quæ l. III. Epist. VI. idem Langius perscripsit. *His Theophile & Vlpiane arbitror vos convictos fateri, hæc superstitionum & idololatriæ scelera & in vestra Republica latrocinia, & ægrorum expilationes, non in illud divinum Dei donum Medicinam, sed in hominum vitia, sacerdotum avaritiam, & Magistratus indulgentiam, qua omnibus vel medicinæ imperitis, civibus impune mederi, & quodvis data pecunia, etiam Judæis cum vita Christianorum colludere liceat, ex urinæ inspectione de hominum salute, morbis, & imprægnatione falsè divinare, referre oportere.* Et tamen passim hodie in tanta sunt existimatione, ut Christianis Medicis viris probis & doctis sæpenumero anteferantur, neque solum ab imperita plebe, sed etiam ab illis, qui scelera illorum justa animadversione prosequi debebant. Verissimum enim est, quod in hanc rem magnus Crato *præfat.* operibus Fernelii præmissa scribit: *Sunt illi* (Hebræi) *apud rerum imperitos, hoc est, judices injustissimos, primi: & soli medicinam scire atque intelligere* (*cum non tam mederi, quam Christianos fallere didicerint*) *existimantur.* *Itaque vere scripsit Agrippa: Si magnus Medicus vis perhiberi, Hebræum te dicas.* Atque utinam quotidiana experientia proh dolor non testaretur, quam multi illorum nefandis artibus pereant, dum non solum veneno præbito, etiam summos Principes è medio sustulisse deprehensi sunt, sed etiam abortus provocant, fœtumque ante diem expellunt: ut scilicet stupra scortorum magistratum fugiant. *Verum,* ut recte post pauca subjungit Crato, *deplorare magis quam emendare seculi nostri miserias nobis conceditur.* Pag.1053.

IX. Præterea vero ex *Lingua* in morbis acutis indi-

cia quædam deſumi poſſunt. Qua de re nonnulla jam apud Hippocratem extant. Similiter etiam Galenus morborum naturam ex ſignis illis à lingua petitis interdum deſcribit. Verum poſt Galenum hæc doctrina à plerisque Medicis plane neglecta fuit. Tantum paucos ante annos *Prothus Caſulanus* Senenſis, peculiari eoque elegantiſſimo libello hoc argumentum expoſuit.

X. Atque hæc de ſignis illis, quæ tam διάγνωσιν quam πρόγνωσιν præbent, ſufficiant. Ubi tamen monendum eſt, univerſam hanc Semeioticen egregie & magna cum laude tradidiſſe *Jodocum Lommium* in eximio opere *Obſervationum*, quæ propterea omnibus Artis ſtudioſis quam maxime debent commendatæ eſſe. De Prognoſticis ſcriptoribus tantum ſeorſim aliquid adjungemus.

XI. Hanc ipſam vero ſcientiam diligenti induſtria illuſtravit ipſemet Hippocrates. Pertinent enim huc libri ejus *Prognoſticorum*, *Prorrheticorum*, *Coacæ prænotiones*, *Aphoriſmi* item magna ex parte, ut & *Epidemica*: Cum quorum lectione conjungenda ſunt commentaria Galeni. Ex recentioribus in *Coacas Ludovicus Duretus*, & *Deſiderius Jacotius*, ſimiliter doctiſſime commentati ſunt: *in Aphoriſmos præcipue Jacobus Hollerius.* In quos etiam ſcholia non contemnenda extant *Leonhardi Fuchſii* & *Joannis Heurnii*, etſi ille pleraque ex Galeno tranſcripſerit. *In Epidemias hiſtorias* lectu digniſſimas annotationes ſcripſerunt *Franciſcus Valleſius* & *Hieronymus Mercurialis.* Valleſii certe ſcripta ipſi Galeno propter doctrinam præferri in haud paucis merito poterunt. Quanquam & Sennertus noſter in colligendis Hippocraticis obſervationibus egregiam præſtiterit operam. Cumprimis denique legi merentur *Proſperi Alpini de præſagienda vita* & *morte li-*

te libri, utpote in quibus ars tota Hippocratica prædicendi, adjunctis plurimis novis observationibus continetur. Reliquos Semeiotices scriptores enarrare non est operæ pretium: præsertim quum illorum catalogum seorsim confecerit Joannes Schenckius, cujus compendium evulgavit Joannes Georgius filius. Quibus ita expositis ad Therapeuticam jam nobis sermo noster dirigendus est.

ADDITAMENTA.

I. * *Sine quibus morborum cognitio non potest esse perfecta.* Nimirum Doctrina Semeiotica ad Pathologiam quoque pertinet, ejusque est pars: agitur enim etiam in ea de morbis. Est namque duplex morbos discendi & investigandi methodus: altera, quando enarratis symptomatibus, morbum quem quis cupit cognoscere, describimus ac veluti constituimus. Hæc locum habet in scholis, ubi morborum singulorum naturam scrutamur, docens postulatum morbum per sua symptomata, & signa describere; Altera est, quando ex apparentibus signis incognitum nobis morbum investigamus, & occurrit in resolutione casuum, consiliis, consultationibus medicis; cumprimis vero in praxi clinica locum habet, nosque id docet; Datis signis & historia morbi, quis sit affectus, eruere & pronunciare. Hac methodo utimur in individuo morbo cognoscendo; Illa in specie cujusque morbi describenda; hæc in semeiotica, altera in Pathologia proprie dicta, attenditur.

* * *Quædam enim propria, quædam communia sunt.* Nemo hominum usque adhuc quod mihi constet, recte & pro rei necessitate hæc excoluit. Nam signa communia in triplici differentia sunt: Vel enim uni ac soli morbo competunt, sed non semper; vel semper quidem, sed non soli; vel nec semper nec soli. Quorum singula suos habent usus, & modum certitudinis, restricta licet ea sit: quæ in singulis morbis pervestigare at-

que

que ut ſeſe habeant oſtendere, magnæ foret utilitatis, prout, ſi vivo, in opere de Demonſtratione medica, apertius aliquando ſum oſtenſurus. Propria ſigna ſunt, quæ uni ſoli ſemper accidunt morbo: ſunt autem talia pauciſſimis ſane morbis, ſingula quidem, ideoque reliquorum doctrina tanto magis eſt neceſſaria.

II. ✱ *Galenus itaq; primus* - Egerat tamen jam ante Galenum De Locis Affectis Archigenes, quod patet ex Galeno ipſo, L. III. cap. 1. & 2. ubi dicit, ipſum reliquos omnes ſuperaſſe: interim ſubinde refutat: ſuo more Libri vero Archigenis ad noſtra tempora non pervenere: Idque forte quoniam à Galeni exactitudine factum, ut majus lumen minus abſorberet.

✱ ✱ *Omnibus commendatiſſimo opere de locis affectis.* Sunt in illo opere multa profecto incomparabili induſtria ita explanata, ut nemini medicorum fas ſit ea ignorare: dolendum tantum, quod methodo neglecta, multiſque, ut auctor notat probe, alienis admixtis, aliis disjectis, libri illi deformati ſint: Id quod nimis multis Galeni occupationibus adſcribendum, ideoque condonandum eſt: Cum autem morbos admodum paucos hoc pacto ille expediverit, conſultum foret ejus premere veſtigia, & reliqua exſequi: id quod nemo auſus eſt præſtare, ob ingentem rei difficultatem, niſi tamen Campolongus ille cujus in textu nomen legitur, exſecutus id ſiet, quod mihi non conſtat. Scripſit quidem de locis affectis etiam Caſpar Hofmannus, ſed exiguum opuſculum eſt, & infra expectationem, non tamen plane aſpernandum. Judicium illius de Galeni hoc opere legitur ibidem, pag. 74. procemio nempe, §. 6. 7. 8. ubi non placet, quod ex minutiis anſam capit eum perſtringendi, cum de opere univerſo ferenda eſſet ſententia. Sed ita placuit Hofmanno forte, ſola libri illius vitia indicare intento.

✱ ✱ ✱ *Sed etiam futura prædicere docent.* Ad morborum curationem Futuri prædictio nihil omnino facere videri queat: qua igitur de cauſa commoti medici eam ſibi doctrinam arrogaverint, dicendum quoque eſt. Dudum vero id fecit Magnus *Hippocrates* noſter *τῶν προγνωστικῶν initio*, item *libro de diebus*

bus Criticis & alibi: ex quo nunc breviter eam referemus. Primum igitur, cum quis tum præsentia, tum præterita, tum futura nosse omnia deprehenditur, maxima cum fiducia se ipsi ægrotantes committunt: quod quanti sit ad sanandum momenti, norunt qui virtutis imaginativæ vires intelligunt, & ejus rei viderunt exempla. Deinde, quæ prævidet mala, facilius medicus vel antevertere potest vel avertere: tela enim prævisa, quod proverbio fertur, minus nocent: utque turpius ejicitur quam non admittitur hostis, ita periculosius amolimur quam prævenimus in morbis symptomata: ex longo igitur intervallo prudens medicus ad singula consilium diriget. Porro si quis morbo succumbat, cum fieri non possit ut omnes ægroti valetudinem recuperent, ubi medicus prædixerit, extra culpam positum, apparebit. Nemo autem repertus est qui tantam ad hanc doctrinam excolendam attulerit diligentiam, atque fecit ipse Hippocrates: ut ex variis ejus scriptis patet, de quibus cum alibi jam sit actum, plura hic proloqui supersedemus.

III. ✲ *In scriptis Hippocraticis perpauca tradita reperiri.* An Hippocrates pulsum tetigerit, controvertitur. *Theophilus*, Græcus auctor, *libro de pulsibus & urinis* (an Philaretes) Hippocratem pulsus notitiam habuisse negat: cum tamen in *libro de Humoribus* post initium inter ea quæ medico observanda sint, recenseat pulsum, *χρώματος μεταβολὴ*, inquiens, *σφυγμοὶ, ψύξις παλμοὶ*, &c. & *VII. Epidemiorum*: *σφυγμὸς ἐν κροτάφοισιν ὡς λεπτῆς θερμῆς* allegatur. Item *libro de alimento* expressius: *φλεβῶν διασφύξιες, καὶ ἀναπνοὴ πνεύματος καθ' ἡλικίαν καὶ σύμφονα καὶ διάφορα, καὶ νόσου καὶ ὑγείης σημήια.* *Libro* porro citato *Epidemiorum* videtur ei spiritus nomine venire tum respiratio, tum manus pulsus: ut in historia Filii Balis, numero 12. *Spiritum ad manum malus, non densus, neque magnus*, Quo loco per spiritum ad manum malum non nisi pulsus videtur intelligendus. Ex hoc igitur & aliis ejusdem libri, Eratolai Filii Cidis, Polycratis unctoris, Menonis, Polemarchi historiis manifestum videtur esse, Ipsum motum arteriarum frontis appellare pulsum, manuum vero, spiritum; adeoque ex istis locis pulsum tetigisse Hippocratem, certum esse videtur. Non quidem est dissimulandum, cum *librum VII. Epidemiorum*, tum *de Alimento*

inter ſpurios à nonnullis haberi, & cum liber de Humoribus (quod modus dicendi protenus declarat) cum libro de Alimentis ejusdem ſit auctoris, eandem eum cenſuram ſine dubio incurrere: Tametſi vero ita eſt, ſunt tamen Hippocratici hi libri, quamvis non ſint ipſius Hippocratis: & vero habetur quoque *In aphoriſmis* de pulſibus aliquid, *VII.* videlicet *21.* ἐπὶ ἰσχυρῷ σφυγμῷ ἐν τοῖσιν ἕλκεσιν αἱμαῤῥαγίη κακόν. Adeoque non plane ignotum fuiſſe temporibus Hippocratis pulſum, ex his opinor conſtabit. Interim, cum tam rara fiat ejus mentio, atque obſcuris adeo verbis qualitas ejus deſcribatur, etiam hoc certum eſt, non multum de arte σφυγμικῇ tum Hippocratem cæteroſque medicos tenuiſſe, adeoque & explorandi cauſſa quo in ſtatu ſit morbus & naturæ robur, raro vel nunquam eum tetigiſſe. Ejus vero loco ipſis fuit reſpirationis obſervatio, quam Hippocrates ſane majoris ſemper fecit quam pulſum. De eaque quam fuerit ſollicitus, ex aliis libris Epidemiorum, præcipue vero ex hiſtoria Philiſci, uxoris Dromeadæ conſtat, uti & ex prognoſticis, & Galeni libris de difficultate reſpirationis. De pulſu plura teſtimonia ex Hippocrate congeſſit *Laurentius Bellini*, in nupero ſcripto de pulſu: quicquid tamen ſe jactet, non perſuadet ſuis illis locis Hippocraticis, eum adeo multum ad pulſus attendiſſe: uti nec in aliis illud opus ſuum expectationem explet, ſed exigui eſt momenti.

III. * *Interim quam optime de iisdem ſcripſiſſe videntur.* His accenſendus etiam eſt *Ludovicus Mercatus*, Medicus & profeſſor primarius in academia Soletana, poſtea etiam Regum Hiſpaniæ Philippi II. & III. Archiater, qui amplo volumine de pulſibus perſcripſit: Pintiæ impreſſum eſt anno MDLXXXIV, & recuſum Patavii MDXCI. Tametſi vero hic auctor magna diligentia doctiſſime omnia proſecutus eſt, in multis tamen non potuit veritatem attingere, ob illorum temporum infelicitatem, quo de pulſus natura & cauſis nihil certi conſtabat. Hinc multas inutiles, & hodie prorſus ſupervacaneas quæſtiones immiſcet. Laudem interim non vulgarem meretur in eo, quod ſingulorum morborum pulſus parte peculiari conſignare cepit, quod opus imitandum eſt & perficiendum. Cæterum

ita

ita fuit Galeno addictus, ut alicubi his verbis utatur: *Quam procul dubio sententiam, nisi Galenus protulisset, ego existimarem omnino falsam.* Ex quo apparet, in quanta tum temporis fuerit Asiaticus apud viros doctos auctoritate.

IV. ✠ *Ideoqve ad praxin talis accurata pulsuum cognitio nullo modo necessaria est.* Imo non modo non necessaria, sed etiam vana est magna pars doctrinæ illius Galenicæ de pulsibus. Tactus enim nostri organon, quia non immediate arteriam tangit, quamcunque etiam exercitationem ac diligentiam adhibeas, subtiles istas differentias si quando occurrerent, internoscere non posset. Meritò vero de iis an unquam occurrant dubites, prout quisque qui causam & originem pulsus probe expendit, facile perspiciet. Bene multæ etiam illarum, imo dixerim præter simplices ac primarias illas propemodum omnes, ex iis de principio pulsus hypothesibus sunt natæ, quas manifestæ falsitatis licet hodie convincere. Ex quibus non excludo pulsum formicantem, serratum, caprizantem, & similes. Quas præstantes in arte viri & exercitatissimi etiam medici post Galenum percipere non potuerunt, quicquid etiam in scriptis eorum nonnunquam extet; id quod satis aliunde constat. Denique si omnia recte se haberent, nullius tamen forent usus. Quæ enim inde prædicere conatur Galenus nulli innituntur fundamento, nullam cum ipsis illis pulsibus connexionem habent. Ut fidem habere iis prorsus nequeam, quæ de Chinensium medicis ab orientalium rerum scriptoribus referuntur: ex solo pulsus tactu ipsos omnes causas, etiam externas & fortuitas, totiusque morbi decursum, omnia accidentia, quorum etiam nullum amplius apparet vestigium, cognoscere, & ægris atque adstantibus posse enarrare. Pugnant enim hæc adversa fronte cum recta ratione, & ex historia motus cordis vanitatis manifesto possunt accusari: ita ut vel clanculum hæc medicis fuisse antea comperta, vel callido artificio expiscata, vel denique malis artibus ac magicis incantamentis Dæmonibus extorta, planissime pateat. Frustra igitur se torquet, & Europæis medicis insultat auctor anonymus eruditissimi libri de Veterum cantu & viribus rythmi, (quem Isaacum Vossium esse constat) ubi oppro-

brio iis vertit, quod non ad Musicas leges pulsus describant. Quod enim natura ipsa ignorat, efficere illi neutiquam tenentur, imo sine peccato & errore maximo plane non possunt. Sed cum doctrinæ illius Chinensium de pulsibus præcipuam partem Europæis nostris Clarissimus vir Andreas Cleyerus, Societatis Batavicæ orientalis proto-Medicus nuper communicaverit, ex qua vanitas hujus rei apertissime perspici potest, nos nihil addimus, sed Lectorem ad anni MDCXXCV. Ephemeridum nostrarum appendicem ablegamus, ubi ista legere serioque expendere datur.

✱ ✱ *Id Calido nativo moventi cor - -* Ita auctor ex sua sententia, quæ tamen neque ipsa hodie amplius locum habet. Talem enim motum, qualis est cordis, calor innatus neutiquam potest efficere: Etenim vero musculum esse cor, & motum ejus in contractione fibrarum consistere, post Loweri librum lectum nemo amplius dubitat; quicquid etiam fiat de principio movente: quod insitum esse, non influere, docent embryones imperfecti, in quibus ante cerebrum absolutum pulsare deprehenditur; quemadmodum & corda frigidorum animalium quæ pectoribus erepta, omnique cum cerebro commercio privato post horas integras palpitare non desinunt. Quamvis ab influentibus per nervos spiritibus in adultis deinde videatur omnino magnam partem pendere: cum mutationes pulsus vix aliunde possint derivari.

✱ ✱ ✱ *Sive id in omnes, sive aliquas tantum fiat.* Hic etiam vir Doctissimus videtur à recta via nonnihil deflexisse: non enim potest in alias arterias aliter sanguis pelli, cum per Aortam æqualiter dispensetur, & à sequente perpetuo pulsu æque urgeatur omnis. Quod si quando accidit unam fortius præ reliquis pulsare, (quod palpitationem medici appellamus) id fit ideo, quoniam pars illa ossea & immobilis reddita est: cujus rei observationes practicæ fidem faciunt.

VII. ✱ *Qui etiam singulari libro illud ipsum est persecutus.* Quod vehementer adeo viri summi, antecessores nostri exoptarunt, id nos hodie pene sumus consecuti. Si enim infimam plebem & ignaram rusticorum gentem excipias, pauci supersunt hodie

hodie qui credant id quod majores sui habebant persuasissimum: Imo his locis paulo elegantiores non modo, sed & mediocris conditionis homines vix audent medico qui in existimatione & celebritate quadam vivit, sine præfamine vel excusatione aliqua urinam inspiciendam obtrudere: mihi saltim tam raro a talibus offertur, ut poscere sæpe necesse habeam. Satis itaque jam repressa, & communi omnium medicorum consensu explosa est temeritas ac dementia audaculorum, qua imponere imperitis rerum & emungere pauperculos pecunia consueverunt: Experimentis autem debemus, quod naturam urinæ & coloris ejus causas felicius queamus interpretari: multaque hoc lumine accenso, evanescunt velut umbræ falsa dogmata. Primus restituisse nobis hanc rem *Sennertus* videtur, quod nemo accuratius quid prædici ex urinis liceat, proposuit. Nam quæ *Gothofredus Mœbius* superaddit, perpauca sunt, & ex parte falsa: præsertim quæ habet de urinæ compositione: quam multo rectius nobis nuper manifestavit *Laurentius Bellini* in operibus à doctissimo Bohnio Germaniæ communicatis: cujus doctrinæ mea quoque experientia perpulchre suffragatur, quam mihi dudum febricitantium urinæ examen eodem fere modo institutum peperit: Id tamen miror, quod à sale albedinem urinæ vult oriri, cum Lixivia prorsus contrarium ita doceant, ut nulla amplius relinquatur dubitatio. Hujus vero lectioni præmittenda est veteris cognitio doctrinæ, quam quis vel ex Sennerto petere potest, vel si non multum adeo temporis ei velit impendere, ex *Joannis Vassæi* Meldensis, medici Parisini libello de *Judiciis urinarum*, qui Venetiis prodiit MDXLIX. Egregie sane is juvat memoriam, dum omnia urinæ accidentia, tanquam in tabula, brevissime oculis subjicit, juncto succincto ac perbrevi commentariolo; ita ut in hac parte non exigua cum laude sit versatus.

X. ✠ *Atque hæc de signis illis quæ tam diagnosin quam prognosin præbent, sufficiant.* Miror equidem, hic auctorem tam cito filum abrumpere, cum mihi superesse videatur magna semeioticæ doctrinæ pars, quam intactam prætermittit. Nimirum universum symptomatum genus omnino huc pertinet: quod ex defini-

definitione quam ad Galeni sementem supra produxit, patere potest, ubi dixit, *signum esse quicquid ab aliquo tanquam a causa procedit.* Sunt enim ejus generis symptomata prorsus omnia, tam actionis læsæ quam excretorum, & qualitatis mutatæ. Hic autem, si unum pulsum excipias, qui ad actionum symptomata referendus est, & Linguæ inspectionem, quæ ad qualitates mutatas spectat, nil præter excreta adducuntur, adeoque minima dicendorum pars exposita est: Certe actionis læsæ symptomata nobis & Loci affecti, & morbi ipsius & causarum notitiam largiuntur: per reliqua statum fere tantum naturæ ac robur ad morbi magnitudinem conferre possumus, temporaque pernoscere. Confer quæ ad §. VI. capitis præcedentis notavimus, nam hæc pro rei dignitate ubertim exponere hic non est locus: neque quenquam qui hoc argumentum ex instituto prosecutus sit, commendare possumus, cum practici id negotii sibi pene solis sumserint cum pathologia reliqua perficiendum. De sudore autem, quâ huc pertinet, satisfecerit *Julius Cæsar Baricellus*, in libro de Hydronosa natura, quam supra etiam ornavimus encomio.

XI. ✻ *Quibus ita expositis &c.* Antequam hanc partem deseramus, monendum se nobis offert, ad eam etiam pertinere doctrinam de Crisi & diebus criticis. De quibus illud in scriptoribus nostris desidero, quod satis improbe quidem ea quæ huc spectant enarrent, sive potius ex Græcis transscribant fideliter, interim de suo nihil addant quicquam, nec quomodo ea sese habeant in nostris regionibus moneant. Ubi profecto apparet omnibus medicinam facientibus, crisin multo hic esse quam in Græcia, ubi illi vivebant, rariorem; signa vero etiam criseos, qualia describuntur ab istis, vix unquam apparere cernimus, convalescere tamen ægros, si ipsi cum medico & adstantibus officium faciant. Novi quid nonnulli respondeant: nos hodie sæpius turbare crisin, frequentiorem visuros, nisi intempestivis sudoriferis aliisque, naturæ conatibus obstaremus: in qua sententia etiam Amplissimum auctorem nostrum olim esse meminimus. Et est quidem sua cuilibet nunc in acutis curandis methodus ac ratio, ut id accidere aliquando non sit negandum:

An

An autem in vitio id sit ubique ponendum; ego semper dubitavi: si quis enim nihil agat aliud quam crisin expectet, naturæ sola diæta subveniens, (quam fuisse methodum Hippocraticam ex ejus scriptis ad oculum possum ostendere) natura vero, in his frigidioribus regionibus minus ad id disposita, non intendat eam, protenus sua expectatione frustrabitur. Constat autem rarissime eam eò ire, nec nisi in illis fere, qui natura vividiores, sinceri sanguinis incendium patiuntur. Si quis igitur, non expectata crisi eandem noverit antevertere, morbumque citra ipsam expellere, multo rectius mihi videtur facere, quam si rem dubiam expectando, præcipitem occasionem dimittat; cum in acutis omnis cunctatio sit periculosa, crisis autem, etiamsi tandem accidat, tamen imperfecta sæpe deinde comperiatur adeoque perniciosa. Cæterum ne quis putet ab intempestiva potius medicamentorum exhibitione quam natura sanguinis nostri rariores provenire crises, legat mihi Sydenhamium, qui idem urgens, plerumque morborum spectator potius quam actor est, adeoque ab hac culpa unus saltim vacat: & observet an frequentiores quam nos observamus, crises commemoret. Nolo jam in dierum criticorum causas & rationem pluribus inquirere, quæ quam sint vanæ, & ab omni ratione alienæ, quotquot etiam hactenus prolatæ sint, satis ex se patet; quicquid etiam de iis fiat, aut in Græcia olim sit factum: De crisi interim & *Sennertus* prolixe commentatus est, & plusquam videtur esse opus, & *Andreæ Laurentii* elegans opusculum habemus: in quo id laudes cumprimis, quod ex Epidemiis Magni Coi exempla arcessit, quibus assertionibus suis faciat fidem: Utinam & nostrates, more illius Divini senis, de acutis magis essent solliciti, & exempla itidem atque historias adderent suas, ut ex multorum experientia certi quid de nostrorum morborum conditionibus tandem colligi possit: ex propria enim eaque sola nemo quantumvis senex, & qui vitam inter experimenta transegerit, id facile præstiterit.

CAPUT

CAPUT VII.
DE
STUDIO THERAPEVTICO EJUSDEMQVE OPTIMIS SCRIPTORIBUS.

THESIS I.

HIs ita hactenus traditis, ad tertiam Artis partem, quæ duabus illis expositis magis ipsi propria est, deveniendum. Est autem illa doctrina Therapeutica. De qua initio statim monendum, duplicem illam esse, aliam universalem, aliam particularem. Et universalis quidem in genere tantum docet, quomodo curatio instituì debeat, quidque ad eam requiratur: ita tamen ut ad specialia non descendat. Huc pertinet Methodus medendi generalis. Quam *omnium primus peculiari opere complexus est Galenus.* Quamvis enim nonnulla more suo nimis diffuse tractaverit, multa etiam particularia admiscuerit; meretur tamen ab omnibus attente legi, præsertim quoniam ad particularem methodum medendi multum facit. In quod opus superiori seculo doctissima commentaria *Fabius Pacius scripsit*, rariora tamen inventu. * **

II. Post Galenum sive Græcorum sive Latinorum sive Arabum Medicorum veterum vix quisquam universalem medendi methodum attigit, in particulari exponenda plerisque occupatis. Reperiuntur tamen nonnulla, sed pauca, huc spectantia apud *Avicennam & Averrhoën.* Verum ex recentioribus magnam operam in universali hac methodo exponenda collocarunt *Franciscus Vallesius* &

Ludo-

Ludovicus Mercatus uterque Hiſpanus, ita tamen ut Valleſio prima laus debeatur. Ex Italis etiam varii in hoc genere ſeſe exercuerunt. Inter quos primum nominandus eſt *Hieronymus Capivaccius*, cujus Methodus medendi ſatis accurate conſcripta eſt. Laudandus deinde venit *Michaël Gavaſſetius* Novellarienſis, cujus Methodus etiam præclara eſt, minus tamen artificioſa. Longe artificioſiſſime univerſalem hanc medendi rationem explicavit *Joannes Paulus Pernumia* Patavinus, adeo ut ipſi Galeno palmam fere eripuerit. Opus certe ejus eximium eſt ac vere aureum; niſi quod nonnulla adhuc in eo poſſint deſiderari: quæ ſi quis adjiceret, vix illi par hac in re inveniretur. Similiter quanquam compendioſius hanc doctrinam tradiderunt *Johannes Fernelius* & *Leonhardus Fuchſius.* Reperitur quoque inter Germanos *Nicolaus Bieſius* Gandavenſis & *Godofredus Steeghius* Amorsfortius; quorum uterque novam & artificioſam methodum, ſed paulo aliter quam à Galeno factum, tradere auſus, laudem tamen commeruit. Interim pro tyronibus ſufficiunt ea, quæ *in Inſtitutionibus à Liddelio noſtro & Sennerto conſcripta ſunt.* Quorum uſibus etiam maxime accommodata erit univerſalis illa methodus, quam juxta cum particulari præ manibus jam habet Doctiſſimus *Jacobus Tappius,* Academiæ hujus Senior.

III. Cæterum particularem ſingulorum morborum methodum longe plurimi iique optimi ſcriptores tradiderunt. De quibus antequam agere incipiamus, operæ pretium erit, id quod *primo capite* explicatum fuit denuo hic repetere, totam ſcilicet Artem noſtram ſingulasque ejus partes partim ſuper experientiam, partim vero ſuper ratiocinationem fundari. Quod ipſum in curatione morborum maxime locum habet. Deinde etiam monendum, de cauſſis & natura morborum multa vulgo tradi ſolere, quæ for-

taſſis rationi & experientiæ non omni ex parte ſunt conſentanea. Quod ſi enim examini ſubjiciantur, ſæpe vel falſa vel ſaltem dubia eſſe deprehenduntur. Qualia de febribus cumprimis plurima dici conſtat. Hinc ſane fit, ut quicunque noſtro ſeculo particularem methodum ſcribunt, quum receptæ morborum notitiæ unice innitantur, eique firmiſſime adhæreant, empiricis ſeſe egregie deridendos præbeant. Quæ enim cauſſa eſt, ut nonnulli doctiſſimi alias viri à communibus illis methodis recedentes, experientiam potius ſequendam ſibi exiſtimaverint. Temere itaque methodis illis, utut receptis, rigoroſe ſemper non eſt innitendum; ſed nonnunquam id quod experientia comprobatum fuerit, anteponendum. Nimirum experientia multos morbos & facilius & brevius ſæpe nos docet curare, quam ſi eosdem juxta receptam curandi rationem tractare velis. In quibus moroſe præconceptas ſententias rationesque ſectari, quid aliud eſſet atque de induſtria ineptire? Inanibus profecto rationibus experientiæ repugnantibus uti, ſtultum eſt. Ideoque cuilibet obſervandum, quid uſus doceat: quem empiricis illis ſæpenumero merito debemus; adeoque non ſimpliciter illa rejicienda ſunt, quæ ab illis videmus in morborum curatione adhiberi: de qua re infra plura, ubi de ſimplicibus agemus. Hoc ſane modo etiam illi qui tamen in verba magiſtri quaſi juraſſe videntur, à Galeno recedere non dubitarunt. Cumprimis autem in curatione febrium Galenum deſeruerunt Galli: Italis Galenicæ methodi obſervantioribus. Docet enim experientia, Pariſienſes cæterosque Gallos Medicos una venæſectione feliciter utplurimum in febribus profligandis uti, quam Galenus non adeo commendavit. Quin longe compendioſiore via febres poſſe pelli, atque ille quam Galenus duobus libris ad Glauconem de Arte curativa, in quibus

bus circa febres curandi rationem potisſimum eſt occupatus, tradidit; ſingulari libro fortasſis luculente ex propriis obſervationibus aliquando oſtendemus.

IV. In curatione itaque in univerſum omni morborum receptas methodos medendi nemo temere ſequi debet, ſed ut in reliquis Artis partibus, ita etiam hic quam maxime experientiam cum ratione conjungere, quin immo illi iſtam nonnunquam præferre. Quid autem ad veram & firmam, cuique tuto inniti posſis, experientiam requiratur, accurate ſciendum eſt. Quid ipſum quidnam exigat, tum ex Logicis diſcendum eſt, tum etiam *primo capite* aliquo modo à nobis oſtenſum. Neque vero eſt quod aliquem turbet, quod experientiam adeo commendemus. Ipſe enim Galenus in particulari morborum curatione quam maxime eam laudavit & ſequutus eſt; cujus tamen hoc in genere non niſi tres libri ſuperſunt, *De medi-*
✻ *camentis* κατὰ τόπους, *De medicamentis* κατὰ γένη, & *De venæſectione*, quibus adjungi poſſunt & illa quæ ad Glauconem ſcripſit. In quibus omnibus tantum non totus occupatus eſt in recenſendis medicamentis, & quidem ex empiricorum ſcriptis deſumptis; quæ tamen ſic ſatis diligenter explorat, deque iis judicium ſuum apponit. Id quod recte ab eo factum, à nobis etiam obſervari debet.

V. Habemus autem, ceu jam tum indicatum fuit, magnam copiam tum veterum tum recentiorum ſcriptorum, qui circa ſingulorum morborum curationem occupati fuerunt; variis tamen modis inter ſeſe diſcrepantium. Namque ne *Hippocratica* quidem ſcripta uti alibi ita hic inter ſeſe conveniunt: quod ipſum magno argumento eſt, à variis auctoribus illa eſſe confecta. Quamvis enim plurima huc pertinentia in eis reperiantur; modus tamen ipſe curandi valde variat. Quapropter non temere etiam illa

ſcripta ſequenda ſunt. Poſt Hippocratem paucos antiquos habemus, qui morbos particulares curandos expoſuerint: niſi quod Galenus in modo laudatis libris alios atque alios commendaverit, quorum tamen ſcripta interciderunt. Methodicorum veterum curandi ratio cognoſci poteſt ex *Cœlio Aureliano*, qui in multis Hippocratem reprehendere non veretur: Cujusmodi libri negligendi non ſunt illi, qui ad accuratam therapeutices doctrinam aſpirat. De ſingulis quoque morbis aliquid conſcripſit *Cornelius Celſus*. Ex Empiricis porrò habemus *Scribonium Largum & Marcellum*, qui curationes ſingulorum morborum per empirica h. e. experientia comprobata medicamenta tradiderunt. Qualia multa ex *Dioſcoride* etiam petere licet. Cujusmodi libelli à variis Medicis Græcis, Latinis, Arabibusque ſimiliter nobis relicti ſunt. Ex Græcis extant libri *Aëtii, Pauli Æginetæ*, fragmenta *Tralliani & Oribaſii*; qui omnes de ſingulorum morborum curandi ratione egerunt. Inter Arabes hac parte magum nomen invenerunt ſcripta *Avenzoaris, Rhaſis, Serapionis, Joannis Meſuæ, Haly Abbatis, Iſaaci & Alſaharavii*.

VI. Poſt ſeculum à nato Servatore tertium decimum ad ſextum decimum uſque præclari ſcriptores hoc in genere exſtiterunt: quorum præcipui atque omnium optimi hi ſunt. Et ſiquidem ætatem ſpectes, *Gentilis de Fulginio* primus eſt: at ſi doctrinam, præferendus ipſi venit *Valeſcus de Taranta* Gallus, cujus doctum librum titulo *Philonii* jam ſupra commendavimus. De quo illud monendum eſt, editionem Germanicam caſtratam eſſe, antiquam autem ſive Gallicam, raram tamen repertu, longe meliorem. Cui ſuppar pene eſt *Bernhardus de Gordonio*, itidem Gallus, cujus *Lilii* itidem jam meminimus. Quo tempore in Anglis potiſſimum excelluerunt *Gilbertus Anglicus & Joannes*

annes de Gadesden; quorum ille *Rosam Anglicam*, iste *Compendium medicinæ* composuit. Vtrumque autem perdoctum scriptum est. Inter Italos porro permulti reperiuntur, qui præ aliis laudem videntur mereri. Ex quibus primo loco collocamus *Bartholomæum Montagnanam* Patavinum, cujus doctissima Consilia extant. Nec multo inferiorem laudem invenerunt *Antonii Cermisoni & Hugonis Senensis Consilia*. Clara item sunt & multa eruditione referta *Practica opera Joannis Michaëlis Savanorolæ* Patavini. Sunt & alii, sed qui minorem laudem invenerunt. Quos inter tamen legi omnino etiam meretur *Petri de Bayro Taurinensis Enchiridion*, quod vulgo *Veni mecum* appellatur, scriptum perdoctum. Hi sunt præcipui illius ævi Practicorum: qui quamvis barbare scripserint, negligendi tamen nequaquam sunt. Ad quos tamen adhuc referendus est, qui quasi empiricam curandi morbos rationem tradidit *Guilielmus Varignana*; cujus liber titulo *Secretorum* verissimis auctoritatibus illu-
* stratus ad multorum morborum curationem valde juvare nos potest.

VII. Cæterum post annum millesimum quingentesimum tota curandi ratio plane aliam faciem accepit, in varias sectas ipsis Medicis divisis. Principio enim alii Galeni vestigia observare maluerunt, alii Arabum, alii novam illam eamque perniciosissimam viam, quam Paracelsus instituit, sequuti sunt; alii aliam denique curandi rationem
* elegerunt. Deinde observandum, etiam secundum nationes discrimen esse factum, quod quædam huic sectæ, quædam alii addictæ essent. De quo *capite tertio* integris aliquot thesibus egimus. Notandum præterea & hoc est, inter Medicos illos qui ab illo tempore Artem excoluerunt, alios methodum omnium particularium morborum curandorum sibi tractandam sumpsisse, alios in quibusdam

tantum, iisdemque paucis morbis occupatos fuisse. Et posteriorem quidem horum adeo ingens est numerus, ut à nobis enarrari nequeat.

IIX. Quandoquidem itaque, ceu modo diximus, non omnes eandem curandi rationem obtineant, & proinde non omnes æque in eodem pretio haberi mereantur; necessum utique est, accuratum judicium hic adhibere, quo probe à se invicem distingui possint, qui legendi præcipue sint nec ne. Ubi initio notandum inter omnes, qui vel experientia vel ratione vel utraque simul in curationibus suis peragendis innituntur, potissimum cæteris anteponendos esse qui experientia & longo usu maxime valuerunt. Quod ipsum ex superius traditis clarum est. Quum autem porro non cuivis ad experientiam provocanti temere sit credendum, necessum est ut magister quem sequi velis, bonæ sit fidei, ut ipsi tuto assentiri possis. Vnde apparet eos esse reliquis præferendos, de quorum fide justis de causis dubitari nequit, quique nec mentiri, nec arcana sua nimium jactare solent. Quod qui non faciunt, istorum utique auctoritas non magni debet esse pretii. Quo vitio quum potissimum laborent Hermetici sive Chemici vulgo appellati, licet in illorum scriptis multa præclara & egregia medicamenta reperiantur, fidem tamen eruditorum, quam plane videntur decoxisse, inveni- ✱ re non potuerunt. Quocirca in omnibus auctoribus hæc cumprimis observanda veniunt, ut scilicet exploremus num judicio valuerit nec ne, usumne & experientiam multam sibi comparaverit, & denique qua fide etiam sua scripserit. Quibus quidem dotibus quum veteres nonnulli insignes fuerint, etiam illi præ reliquis eligendi sunt; ita tamen ut ex post sequutis non defuerint, qui iisdem virtutibus excelluerint.

IX. His igitur in genere præmissis, ad præcipuos qui à se-

à seculo decimo sexto vixerunt Medicinæ magistros recensendos nos conferimus. Narrabimus autem primo eos, qui omnium in universum morborum curationem tradendam sibi sumpserunt, deinde adjungemus illos, qui de his vel illis morbis præclare & justo ordine scripserunt: observato illo ductu, quem hactenus semper sequuti fuimus.

X. Vt igitur ab Italis, qui Artem omnibus aliis nationibus longe majori industria & numero excoluerunt, exordium faciamus; inter illos qui omnium morborum curationes tradiderunt, primo loco merito collocandus est *Alexander Benedictus* Veronensis, vir medendi peritissimus, quique magna valuit experientia. Cujus Practica jure habenda in pretio, quod & multa medicamenta ab illo observata & felici cum successu adhibita, quæque apud alios invenire non licet, exponat. Quibus & hoc addendum, quod in multis à Galeno secesserit, verbis antiquorum non ubivis superstitiose sese adstringens. Ex parte idem præstitit *Antonius Fumanellus* itidem Veronensis & vir doctus, quique multa etiam ab aliis neglecta habet. Vterque autem ante hos centum amplius annos vixit. Recentior est *Andreas Cæsalpinus* Aretinus; cujus Praxis titulo *Speculi Hippocratici* hoc præcipuum habet, quod curandi rationem quam maxime ex Hippocrate sumpserit. Fuit autem vir ingenii acutissimi, exquisiti judicii, experientia præterea insigni præditus, & Philosophiæ Peripateticæ insuper addictus, veritatis denique amantissimus. Magni porro nominis inter Italos fuit *Donatus Antonius ab Altomari* Neapolitanus, vir insignis & integerrimus; nisi quod Galeni vestigia nimium videatur sectatus, adeo ut ab eo vel latum unguem vix discedere ausus sit. Ejusdem plane notæ est *Alexander Massaria* Patavinus, homo doctus quidem, sed qui nimis superstitiose Ga-

leno

leno fuit addictus, adeo ut nemo Galeni fuerit studiosior, ejusdemque simul methodi peritior. Ideoque etiam Galenica curandi ratio ex eo ipso quam optime peti potest. Quo tempore in eadem Academia Praxin medicam elaboravit *Hercules Saxonia*, simili propemodum superstitione Galenum sequens. Eadem pene tempestate insigne nomen impetravit in eadem schola *Hieronymus Capivaccius*; qui methodo suæ ita est addictus, ut experientiæ locum nullum dederit, receptæ curandi sententiæ unice innixus. Majori libertate, ingenio & judicio omnes illos superavit *Hieronymus Mercurialis* Foroliviensis, vir plurimæ lectionis & Medicus præstantissimus. In quo hoc singulare fuit, quod lectionem Græcorum cum Latinis, Arabibus, Barbarisque Medicis conjunxerit. Ideoque etiam eodem ad omnem veterem medicinam manuductore uti possumus. Num vero pari felicitate artem fecerit, in diversa de eo scriptorum sententia definire nobis vix licet: Ex scriptis enim ejus illud ipsum percipere non possumus. Veterum sane sententiæ rectius ex eo peti possunt, quam ut quis eum in praxi imitari velit. Ante eum in schola Patavina floruit vir magnæ existimationis *Joannes Baptista Montanus* Veronensis, sed qui ipse nihil ferme edidit, quod aliquam mereatur laudem. Discipuli tamen ejus varia evulgarunt, quæ omnigenam artis peritiam ostendunt. Quædam enim eaque egregia ab Hieronymo Donzellino Brixiensi publicata sunt, quædam per Polonum quendam Valentinum Lublinum, minus elaborata tamen, & Montani nomine interdum indigna. Omnium optime Consilia ejus, profecto præclarissima, à Cratone luci data sunt, ut jam supra dictum. Sed & in eadem Patavina schola *Eustachius Rudius* sive Bellunensis sive Utinensis, tam de internis quam externis corporis affectibus dignoscendis curandisque, ut prolixe

prolixe ita ſatis docte ſcripſit: niſi quod & ipſe more collegarum Galeno nimium fuerit addictus. Non poſſumus etiam non ex Italis commendare *Helidæum de Padoanis* Foroliviensem, qui tanta felicitate praxin exercuit, ut omnibus Italis ſuo ævo palmam præripuerit. Satis docte quoque Praxin ſuam elaboravit *Dominicus Leonus Lunenſis*, ut qui ratione & uſu valuiſſe videatur. At magis ad methodum medendi univerſalem pertinet eruditisſimum ſcriptum *De ingreſſu ad infirmos Julii Cæſaris Claudini* Bononienſis: cujus etiam Conſilia extant, ſed minori laude confecta. Majorem laudem promerentur opera *Roderici à Fonſeca* Luſitani, ſed qui in Italia vixit, hominis multorum medicamentorum periti. Nec denique prætereundus *Benedictus Victorius* Faventinus, cujus Medicationes Empeiricæ multum boni in ſe continent, ne quid dicamus de ejus Praxi magna. Atque hi ſunt præcipui, qui in Italis avorum memoria cum laude Artem excoluerunt.

XI. Inter Gallos qui omnium morborum rationes tradiderint, pauci admodum reperiuntur. Extat autem Praxis Medica *Guilielmi Rondeletii* Monſpelienſis; ſed opus poſthumum & quandum videtur, minus elaboratum, quodque non reſpondet exſpectationi, quam alias doctisſimo ſcripto *De piſcibus* excitaverat. Longe majorem laudem meruit *Joannes Fernelius*, vir experientiſſimus & magni judicii atque ingenii. Verum ille non tam ſingulorum morborum curationem nobis reliquit, quam methodum medendi generalem. Interim tamen libri therapeutici de compoſitione medicamentorum omnibus ſunt præferendi, qui tanta induſtria ſunt conſcripti, ut ſatis commendari non poſſint; ut quibus tuto fidem adhibere liceat. Superſunt quoque *Jacobi Hallerii* Medici itidem docti, & peritiæ inſignis de Morbis internis libri, optimi ſane & lectione cum-

primis digni: qui tamen non tam methodum medendi docent, quam remedia egregia suppeditant, utpote in quibus recensendis toti occupati sint. Commendanda autem est potissimum editio Parisiensis, adjunctis commentariis Ludovici Dureti. Præter hos duos vix quenquam (nec enim omnes moramur) per Galliam reperias, qui universalem hanc methodicam doctrinam pro dignitate excoluerit. Ex parte tamen huc referri potest *Gilielmus Ballonius*, de quo supra. Scripta certe ejus singularem diligentiam, judicium atque eruditionem, cum insigni experientia conjunctam sapiunt. Priusquam vero à Gallis discedamus, duo ad huc commemorandi veniunt. Alter est *Hieronymus Montuus*, cujus duo eximii libri huc pertinentes extant, quorum alterum *Anasceuen morborum*, alterum *Halosin febrium* indigitavit, magno judicio ex veteris ævi pariter & nostri scriptoribus collecti, quibusque fidere tuto possumus. Cumprimis autem in pretio habenda est Halosis illa. Quamvis vero non adeo pridem in Gallia recusi sint isti libri, prior tamen editio omnino præferenda est. Alter est *Lazarus Riverius*, Monspeliensis quondam professor, cujus Practici libri cum Observationibus utut luculente ostendant, propria experientia non multa adeo illum observasse, sed ex aliis pleraque transcripsisse, cumprimis ex Sennerto, licet id sæpe dissimulet; habet tamen etiam quædam propria non contemnenda. Quanquam multum commodi exinde nemo haurire possit. In veterum certe lectione plane est hospes.

XII. Pergendum nunc est ad Hispanos: inter quos nonnulli singulorum morborum curationem scriptis exponere cœperunt. Præ aliis vero excellit *Ludovicus Mercatus*, cujus perdocta extant volumina, nisi quod nimia mole laborare videantur. Habemus etiam *Petri Pauli Peredæ egregia scholia in praxin* non indoctam, quæ multa iti-

ta itidem egregia habet, ac merito meretur legi, *Michaëlis Joannis Paschalii.* Quibus annumerandi veniunt duo Judæi Lusitani: quorum alter est *Amatus* (qui se antea appellavit Joannem Rodericum Castelli-albi;) cujus Observationes extant, in quibus multa præclara ad artem facientia disseruntur. *Verum plura conficta quam facta illum scripsisse, & interdum opiniones suas isto modo confirmare voluisse apparet;* quemadmodum Crato notavit. Quem vere judicasse, juxta cum multis aliis doctissimis viris non semel etiam observavimus. Præfat. in Fêrnel. Alter est *Zacutus*, qui non adeo pridem Amstelodami obiit. De cujus grandi opere Historiarum Medicarum idem judicium ferre licet quod de Amato modo protulimus. Multa enim exscripsit, plurima etiam effinxit, malaque fide sibi multa attribuit. Interim tamen scripta ejus variæ lectionis & doctrinæ plena, ut ex iis multa peti possint, quæ apud alios frustra quærantur. Uterque igitur non nisi cum accurato judicio est legendus.

XIII. De Germanis nostris nunc aliquid nobis narrandum venit: quo nomine tamen etiam Batavos comprehendimus, ut qui revera ad Germanicas gentes pertineant. Inter hos vero permulti sunt, qui in hoc argumento desudarunt. Quorum primo loco merito nominandus videtur *Leonhardus Fuchsius*, vir per totum eruditum orbem clarissimus, repurgata in Germania arte Medica ex Galeno desumpta, profligatis explosisque Arabibus: quo nomine tamen laudem plenam illum non meritum esse, jam supra notavimus. Cujus opera omnia revera docta sunt, licet à quibusdam parvi æstimentur. Per injuriam certe ex manibus juventutis vulgo excutiuntur, quum patrum avorumque ætate doctissimi quique tam Itali quam Galli Hispanique cum illo disputare conati fuerint: non utique id facturi, nisi præclara eum doctrina instructum

esse sibi persuasissent. Ex operibus autem ejus huc pertinet de Curatione liber: qui sæpius quidem passim recusus est, ita tamen ut postremæ editiones reliquis præferendæ sint propter novas factas accessiones. In Batavis tamen longe clarius nomen hoc studio sibi peperit *Petrus Forestus* Alcmarianus, vir multæ lectionis & practicus felicissimus. Cujus opus Observationum insigne est, & omnibus ad praxin aspirantibus maximo potest esse usui. Sed inter Germanos præ cæteris ingens nomen adeptus est πολυπειρότατος ὁ ἀρχίατρος *Joannes Crato à Crafftheim* Vratislaviensis; cujus varia extant scripta Consiliorum, Epistolarum, aliorumque opusculorum, revera eximia & omnino lectu digna: quæ omnia junctim publici juris fecit Laurentius Scholtzius itidem Vratislaviensis; Superest porro præclarum opus Consiliorum *Reineri Solenandri* Budericensis, Clivensium Ducis Atchiatri felicissimi, Joanis VVieri collegæ: qui propter medicamentorum plurimorum vulgo ignoratorum Peritiam potissimum magnam existimationem sibi conciliavit: licet in illo opere omnes morbos non persequatur. Cui omnino jungendus est *Christophorus Guarinonius* Veronensis quidem patria, sed qui in aula Rudolphi Imperatoris vixit: cujus Consilia ex media Philosophia deprompta in caussis morborum pervestigandis pene sine exemplo extant. Tantum optandum, à mendis typographicis non ita fœde essent corrupta, ut sæpe etiam mentem auctoris recte assequi non possis. Porro vero ex illis qui praxin reliquerunt, commemorandus venit *Felix Platerus:* qui medicamentorum copia abundat quidem, sed ita ut aliquem delectum merito desideres; unde fit, ut lectorem potius deterrere, quam ad amorem sui incitare videatur. Interim tamen hoc præclarum habet, quod longe diversus & plane novum

modum

modum, atque â plærisque aliis factum, observet. Extat quoque ejus opus Observationum, eximium quidem, sed de cujus fide interdum forte haud injuria dubites. Non parum etiam peritiam Artis auxit Praxis *Francisci Joëlis Gryphisvaldensis*: hoc nomine potissimum commendanda, quod vulgaria remedia, quorum ipse magnam experientiam habuisse videtur, maxime detegat, adeoque pauperibus & minus lautæ fortunæ hominibus summo opere inserviat. Quapropter etiam his nostris præsertim regionibus multum conducere potest. Neque vero laude sua defraudanda est Militaris quam vocavit Medicina *Raymundi Mindereri* Augustani, postmodum Bavariæ Electoris Medici; utpote quæ plurima nobilia remedia ex obviis petita, certaque experientia comprobata proponat. Extat etiam *Praxis Chemiatrica Joannis Hartmanni* Marpurgensis, medicamentis Chemicis potissimum referta, in quorum præparatione satis eum versatum fuisse apparet. Num vero iisdem tuto uti liceat, non sine caussa dubites; præsertim quum multi infelicem eum medicum fuisse referant. Cuilibet tamen artem facturo saltim propter medicamentorum illorum Chemicorum cognitionem ad manus esse debet, utut suspectæ etiam sit fidei; quo scilicet exigente necessitate inspici possit: ut integer enim liber evolvatur, operæ pretium non est.

XIV. Restat ut tandem de Sennerto nostro aliquid dicamus, & libere quidem atque procul omni affectu. Sane Praxis ejus etiam ab exteris tanti facta est, ut bis in Gallia eam typis mandarint: quamvis admodum mendosæ sint illæ editiones. Habet autem primo hoc Sennertus, quod omnes pene morborum species, secus ac reliquis practicis factitatum, tractandas sibi sumpserit. Quapropter multa apud eum inveniuntur aliis prorsus indicta. Merito de-

inde etiam illud laudandum est, quod de singulis morbis suam sententiam exponat, & signa tam diagnostica quam prognostica identidem una cum modo curandi adjiciat, ita tamen ut singula seorsim & suo loco tradat; quæ vulgo admodum confuse solent exponi. Sed & illud laude dignum & quidem præcipue, quod medicamenta, quæ hodierno usu innotuerunt, indicet; nec Chemica solum sed & vulgari modo præparata adhibeat. Præclarum denique & hoc est, quod controversias circa morbos agitari solitas seorsim proponat, adjunctis etiam illis, quæ difficiliora in Artis usu occurrere solent; id quod ab aliis etiam neglectum est: ut vel hoc nomine omnibus cæteris anteponendus videatur. Verum enim vero tanti non est faciendus, ac si solus ille palmam omnibus præripuerit. Frustra certe sunt, immo injuriam ipsi faciunt, qui tanta superstitione illud opus colunt, ut nefas etiam existiment, ab ejus verbis discessum facere. Sane circa curationem multi longe melius versati fuere. Minime etiam existimandum, usque adeo omnia illum perfecisse, ut ab aliis nihil addi amplius possit. Et vero conferat quis tantum inter sese Sennertum & Mercurialem, de uno eodemque morbo agentes: ingens profecto discrimen deprehendet. Interim tamen & hoc laudandum, quod nulli sectæ sese mancipaverit; ceu jam *secundo capite* ostensum. Neque vero etiam hoc negaveris, æque absolutum opus practicum vix reperiri. Quicquid sit, ubivis illud observandum;

Nullius addictus jurare in verba magistri,
Quid verum atque decens, curo, & rogo, & omnis in hoc sum.

XV. Hi itaque præcipui sunt, qui Artem præ reliquis excoluerunt. Jam differendum etiam nobis esset de iis, qui non nisi circa particulares affectus fuere occupati.

Verum

Verum quum illorum numerus pene innumerus ſit, non eſt quod laborem illum aggrediamur. Quanquam tantum ex ſupra dictis conſtet, quid in lectione uniuscujusque obſervandum venit: ut ita illis non neglectis, quivis à judicio recte inſtructus per ſe facile quid ſequendum quid minus, pervidere queat. Conſequens jam eſt, ut de remediorum ipſorum doctrina diſſeramus, initio à ſimplicibus medicamentis facto.

ADDITAMENTA.

I. * *Quæ duabus illis expoſitis magis illi propria eſt.* Jam ſupra monuimus, reliqua omnia, una methodo medendi & forte medicamentorum præparatione exceptis, veluti præcognita eſſe & extra artem poſita. Hæc enim in ſolis præceptis tradendis occupatur, ad quorum normam in producendo opere, ſeu introducendo fine in ſubjectum artifici agendum ſit, quo voto compos reddatur. Illa autem præcepta, ad finem quidem propriè attinentia, traduntur in Methodo medendi; præparandi vero medicamenta, in parte pharmaceutica. In hoc vero capite Practicos vulgo dictos ſcriptores auctor enumerat, duplici memorato ordine: uno illorum qui methodum medendi excoluerunt, altero illorum qui morborum omnium & ſingulorum curationem, omiſſis illis qui de uno tantum aut altero ſpecialisſime egerunt.

* * *Quam omnium primus peculiari opere.* De dicta methodo generali id interpretandum, uti de præceptis paucis & ſpecialibus nonnullis capiendum quod dicit ipſe Galenus de Hippocrate. Se *habuiſſe eum praeuntem, ſed qui nec cujusq; indicationis dignitatem ad unguem finiverit, & quædam omiſerit, obſcureque plura pro antiqua dicendi brevitate ſit interpretatus.* Quæ verba extant *IX. Meth. Med. c.* 8. ex quo juvabit & ſequentia excerpſiſſe: *Hæc*

igitur

igitur dum doceo, adsis animo velim, illud habens in memoria, quod nec in aliis ullis curatio, quæ per methodum agitur consistat, nec alius ante nos quisquam omnia ordine definivit: quanquam etiam ab Hippocrate via est inventa, ---- qui omnem ad medicationem viam aperuisse mihi videtur, ita tamen ut ea curam diligentiamve ad absolutionem desiderent. Vide plura ibidem, si otio abundas: mire enim prolixus. Uti id quidem etiam de toto opere vere affirmaveris: Sed intercedit vir summi judicii & in Græcorum lectione versatissimus *Janus Cornarius*, qui Oratione supra citata ita censet: *Esse id majoris utilitatis quam ut paucis peragi queat.* Negari tamen id non debet, Juventuti quidem fructuosam adeo esse non posse ejus lectionem, peritiam enim artis requirit non vulgarem & judicium usu subactum: practicis autem viris, qui feliciter artem exercere cupiunt, neutiquam negligendum, sed diligenti meditatione expendendum est. Non enim generales tantum habet regulas & intra speculationem consistit, sed ad rem transit Galeni industria, multaque particulatim persequitur, ut monet etiam auctor: In libro tertio & quarto agit de ulceribus omnis generis; libro quinto de Hæmorrhagiis, præsertim sanguininis sputo, indeque oriente tandem phthisi; sexto de vulneribus; octavo, nono, decimo, undecimo de febribus; decimo tertio & ultimo de tumoribus: ubi ea de his tradit, quæ si ignores, fieri non potest ut recte curationem instituas: & licet nonnunquam aberret à scopo, facile tamen id aliis maximi momenti monitis abunde compensat, ut neminem possit impensæ his operæ pœnitere: Neque multa adeo emendari possunt, addi tamen nonnulla & excoli volunt, ut verum sit quod de Hippocrate dicit ipse Galenus, *L. VII. c. 2. citati operis: Hippocrates nobis omnium salutarium præceptorum semina præbuit, postulant autem, quæ ille reliquit, non malos agricolas, qui ea tum seminent commode, tum augeant, tum perficiant.* Atque utinam hodierni nostri postquam tantum his rebus ex felici causarum indagatione lucis accessit, insisterent viæ isti, & Methodum medendi generalem curatius excolerent, etiamnum enim licet dicere quod in eodem opere rursum Galenus: *Non ceu ea plane non esset inventa, sed veluti*

quæ

quæ diximus desideret, venimus ad scribendum, nemine priorum qui eam methodum ante me absolverit, ante me invento: quando alii eam omnino non noverant, alii cum nossent, non potuere tamen quod deficit adjicere. Neque ab hoc me judicio deterret recentiorum plerorumque præpostere nimis lata sententia, quibus ita Galeni invisum est nomen, ut vel hoc unum si videant, satis existiment causæ ad rejiciendam quamlibet doctrinam: certum enim mihi id indicium est, nunquam hos attente eum legisse, aut si legerint, certe non intellexisse. Sed multos adeo in errorem hunc præcipites dedit partium studium, & inanis Helmontii auctoritas fefellit, qui inter alia nova excogitata dogmata, etiam methodum medendi invertere, & qua fuit in veteres medicos pariter & philosophos implacabili semper odio, ipsum methodi Galenici fundamentum concutere futili objectione est ausus: Falsum esse contendens, Contraria contrariis curari, quod tamen non à Galeno primum consignatum esse constat, sed ab ipso Hippocrate, diversis in locis, cujus summe studiosi volunt ejusmodi novatores videri. Verumenim vero, quicquid etiam superbissimus & superciliosissimus censor se moveat, nihil agit, nunquam enim aureos hos libros studiose & seposito præjudicio perlegisse videtur: adeoque idoneus hic judex haberi nequit. Quod ut perspicias, per Apollinem & Æsculapium, primos artis magistros, perque Galeni genium te, Lector, obtestor, ne te pigeat vel unicam inspicere hujus methodi pagellam, quæ est *lib. XI. cap. 9.* ubi profecto videbis, dudum ad ea quæ iste novator post plurima tandem secula illi objicit, dudum inquam ad ea ipsummet Galenum sufficientissime respondisse, iisque tanquam prævisis telis ivisse obviam. Addi, si placet, possunt, quæ Fernelius initio M. M. itidem monet, & si quid deest, ipse facile supplebis. Conveniunt nempe optime in Helmontium, quæ adversus Thessalum Galenus *L. 1. M. M. c. 1. & 2.* disputat: tantique est, quod ille objicit, *legisse eum quidem Hippocratem, sed non sub Magistro legisse.* Audiant hæc autodidacti nostri! cereis alis terram & maria supervolitantes, & metuant ad solem veritatis propius accedere: Audiant inquam, ut vanissime insumtos labores tandem relinquant, & sub severa disciplina discant proficere.

II. * * *Jacobus Tappius.* Hoc opus ad umbilicum perductum à venerabili ſene non fuit. Sed huc referendus etiam eſt *Joannes Heurnius*, vir undiquaque doctisſimus, qui itidem methodum medendi generalem edidit, Lugduni exſcriptam typis, MDXC, Galenum imitatus & preſſo ſecutus pede, ita ut, cum in Methodo is dixiſſet, præmittendos eſſe hujus lectioni libros quos de Compoſitione ſecundum genera & ſecundum locos ſcripſiſſet, hic noſter in unum ea omnia contracta, tribus diſtinctis libris tradat, in quorum primo agit de variis medicamentorum generibus, & formulas in officinis uſitatas ediſſerit: In ſecundo quæ cui conveniant parti, oſtendit: in tertio Methodum Medendi generalem ſecundum indicationes docet; verum id breviter, eleganter tamen, etſi Galenum, per quem profecit, & à quo omnem hanc libri ſui rationem mutuatus eſt, vix nominare dignetur.

III. * *Partim ſuper experientiam partim ſuper rationem fundari.* Notari merentur quæ de hac re idem *Galenus L. II. c. 7.* ubi, ait, *Inveniri quidem & ab experientia quid faciendum ſit, cæterum Methodum medendi ex ipſa rei natura ordiri, atque ab ipſa quod ſit conveniens, citra experientiam invenire, id eſt indicatione: itaque omnem Medendi Methodum ſejunctam ab experientia procedere, nec recte eos facere, qui Logicam methodum empiricamque confundunt.* Quibus verbis, alibi de modo curandi per experientiam comperto, alibi per rationem ſeu indicationem, agendum eſſe docet: atque adeò *L. I. c. 4.* aperte ab hac ſua tractatione experientiam removet, & alio in loco de remediis per iſtam inventis ſe diſſerere ait. Quod fecit Libris de Medicamentorum ſimplicium facultatibus, & de Medicamentorum compoſitione. Ex quibus omnibus duplex nobis curandi ratio exſurgit: una quæ Methodice per indicationes procedit; altera, quæ empirice: quarum, ultima non niſi in ſubſidium alteri utcunque venit, neutiquam ſola amplectenda aut profitenda eſt; Nullus enim morbus ſua methodo medendi caret: quam qui neſcit in tenebris palpitat, nec quid agat intelligit.

* * *Quam Galenus non adeò commendavit.* Vide tamen

Meth.

Meth. Med. IIX, 4. ubi sanguinem esse in diaria detrahendum præcipit, etiamsi plenitudinis signa non adsint. *Lib. IX. 4.* ubi ratione & experientia se didicisse ait in febre continua, sive cum, sive sine putredine sit, V. S. ad deliquium maximum esse remedium: uti & *cap. 5.* idem inculcat. His junge *Libri XI. cap. 4.* ubi itidem eam commendat. Pueris tamen & senibus non convenire existimat, idque in universum quidem recte ita putavit, tametsi aliter se res habet in Gallia. Ab illa enim consuetudine quantum nostrates aliique abhorreant, notum est: utpote quibus raro in intermittentibus V. S. instituatur; nec sine ratione: uti ex adverso, quando pueris pertundere venam nemo audet, haut raro peccatur. Nam ubi abundant sanguine atque æstuant, omnino eam non est cur omittamus.

IV. ✻ *Tres libri supersunt.* Addamus quartum de facile parabilibus, ipsius Galeni monitu. *Tu igitur*, inquit *L. XIII. c. 6.* ô Eugeniane, *quæcunque methodo curandi explorentur, hinc discas. Quæ experientia tantum deprehendit, ea in iis operibus, in quibus de medicamentis agitur, sunt collecta: uno, quod de facultate illorum inscribitur, altero quod de compositione, & tertio, de facile parabilibus. In quibus operibus ostendimus, quænam ex sola experientia, quænam ex sola ratione, & quænam ex ambobus inventa sunt pharmaca.* Porro quod auctor dicit, ad ejus exemplum probe exploranda esse & dijudicanda hæc, id vero sedulo agendum: infinitis enim modis nobilior est per methodum curandi scientia quam illa empirica ratio. Neque est cur hodie cunctemur & tergiversemur amplius. Longe enim magis exculta pathologica doctrina est nunc, atque erat Galeni ævo, tot extantibus observationibus, quæ nos in causæ notitiam admittunt. Neque alia est ratio, quamobrem plerique omnes veterum, & ipse medicinæ pater Hippocrates, in remediis recensendis satis quidem diligentes sunt, sed sine omni ordine aut via certa procedunt, multaque incongrua & præter rem conjungunt; quam quia neglecta rationali methodo, ex antecessoribus ista exscribebant cœcu ductu. Legat quis Celsum, Aetium, Æginetam, cæteros, & verum esse quod assero, inveniet. Quemadmodum autem in

 aliis

aliis impudentiæ ſignum eſt, nihil velle ignorare, ita & in medicamentorum operatione, præſertim in re herbaria, multa adhuc tam obſcura ſunt & recondita, ut oculatisſimi auctoris hoc monitum haut fruſtra appoſitum eſſe, debeat videri. Vide quæ ad caput ſeq ſumus addituri.

VI. ✲ *Guilielmus Varignana* - - Conſimilis videtur recens ſcriptor *Leonardus Fioravanti, Bononienſis*, qui itidem plurima congeſſit remedia; ſed valde probo in hoc, quod ſuperiori præcepto obtemperans, eadem ſecundum curandi regulas diligenter examinat: hinc recte etiam inſcripſit librum: *Compendium ſecretorum rationalium.* Cui geminus eſt, ejusdem auctoris, *De Capricci Medicinali,* ſed non ejusdem pretii; multa enim abſona & ſatis â ratione aliena in eo leguntur.

VII. ✲ *Alii aliam denique curandi rationem elegerunt.* Neque defuere, qui Helmontianam ſequi methodum ſunt auſi, ſed infelici admodum ſucceſſu: cujus rei exempla quæ & ipſi vidimus, & ab aliis accepimus, præſtat tacere quam in artis ignominiam propalare. Ut enim egregia Helmontius medicamenta invenerit, cum judicio præ ceteris ſeligenda, in quibusdam etiam morbis dijudicandis ſe non inepte gerat, Methodi tamen medendi generalis fuit ignariſſimus: quod ex propriis ejus verbis, adductis in teſtimonium, licebit æſtimare. Sic loquitur Tractatu *Natura Contrar. Neſcia* §. *XI. Judicium practicum eſt genuina methodus medendi, non illa quam libri mutuati ſunt à Galeno, non ſine opprobrio & ſocordia: quaſi nos, qui nunc vivimus tam illuminatum intellectum atque ille non haberemus, cum tamen methodum ſatis incertam & vacillantem compilavit.* Quæ profecto ſtolida ſunt, & ſine omni judicio practico prælata. Primum enim ridiculum eſt credere, omnes pariter medicos Galenum judicio æquare: Deinde ſi hoc ita eſſet, multa tamen Galeno experientia forte ſuggeſſit quæ juvenem medicum latent: Quod tandem dicit eum incertam & vacillantem methodum compilaſſe, id ex ſuo cerebro fingit, & ſi unquam legit ejus methodum, certe non intellexit: argumentoque eſt ipſemet luculento ſatis, non omnes medicos judicio Galeno eſſe pares. Idem patebit §. auctoris ſequente quem ſi conferas cum dicto hoc Helmontii, videbis

tantum

tantum eum Helmontio judicio præstitisse, quantum lux clara meridie vespertinum crepusculum antecedit.

IIX. * *Quam plane videntur decoxisse.* Distinguendum; Illi qui, cum primum hæc prodirent, chemici audiebant, plerumque homines erant bonarum literarum elegantia neutiquam exculti, nil nisi sua arcana crepitantes. In hos dicta ista optime conveniunt. Quin etiam doctis ac dogmaticis nonnullis, postquam operam his dare ceperunt, labes ista adhæsit: Nam de Quercetano, quam nonnunquam egregie sciat mentiri, constat. At qui postmodum, rationali artis methodo instructi, & lotis manibus ad sacra ista accessere, nec probant veterum errores, & ipsi de iis sibi quantum fieri potuit caverunt. Neque igitur de his unquam hæc voluit auctor intellecta: utpote qui ipsemet medicamenta chemica magno habuit in pretio, veros etiam chemicos ab ineptiis temperantes magnifecit: ut Angelum Salam & ejus generum Billichium: neque ab illis studiis abhorruit, quod voluere nonnulli erudito orbi persuasum calumniatores: Contrarium enim & ipse testatur passim, & nos hisce oculis vidimus.

XI. * *Lazarus Riverius.* Riverii praxis primum ipso inscio atque invito à discipulo ejus quodam, Stephano Plaquiere Parisiis edita est, anno seculi XL. Deinde ibidem recusa, ipso approbante, anno XLIII. Tum tertium in Batavis lucem vidit: constabat autem tunc solis remediis. Sed mox Lugduni Gallorum prodiit MDCLX. auctior theoria morborum & correctior, vivente adhuc & inspiciente Riverio: Ultimo denique Hagæ comitis, anno ni fallor LXXII. verum huic nihil accessit: uti nec illi qui Lugduni anno LXXIV. prælo denuo subjecta est. Prostant quoque universa ejus opera in Folio, Francofurti edita.

XIII. * & * * *Georgii Hieronymi Welschii*, summi viri judicium est in *annotationibus ad Walæi methodum medendi: Foresti & Joëlis remediis tuto fidere licet, cum Sennerti medicamenta nunquam felici successu tentata fuerint.* Quod, si de omnibus verum non est, de multis tamen affirmari potest. Finxit enim ex

proprio ingenio quæ tradidit composita Sennertus, non ex praxi didicit. At Forestus & Joel experti erant ea quæ mandabant literis & in praxi medica versatissimi. Non tamen etiam persæpe salutare medicamentum Sennertum commendare, dubitandum: saltim enim simplicia, & quæ ex aliorum experientia recenset, recte habent. Et quemadmodum Foresti remedia in angustiis constitutis sæpe ingens præsidium præstitisse, in praxi observavimus, ita Sennerti quædam etiam quandoque fuerunt auxilio.

❊ ❊ ❊ *Praxis Chymiatrica Joannis Hartmanni.* An chemicis ejus medicamentis tuto uti liceat, non est quod dubites, recto accedente judicio, cum in eorum præparatione eum fuisse satis versatum, etiam nostri constet testimonio. Neque quod infelix medicus fuit, hic potest obstare: Non enim medicamenta, sed ars, id est methodus medendi, facit artificem.

XVI. Hic finiente excellentissimo viro, nostrum jam est reliquos adjungere Therapeutices auctores. Ex recentioribus autem qui in methodo generali excolenda sese occuparunt, pauci admodum sunt. Imo præter unum *Joannem Walæum*, qui per egregiam illam de circulatione sanguinis epistolam notior est quam ut nostro indigeat encomio, vix quisquam occurrit. Est tamen hæc methodus sua epistola illa haut paulo inferior, ut vix ultimam manum ei imposuisse, ut ad editionem eandem elaborasse Walæum, existimari queat: potius nonnullorum privatis commodis dicasse videtur id operis, tradidisse vero per discursum, Ubi, ut solet fieri, materiæ quæ se offert, fœcunditate sæpius abreptus, liberius disseruit, non omnibus ad Critolai libram appensis. Multum itaque debemus τῷ πολυμαθεστάτῳ Georg. Hieronymo Welschio, quod libellum notis & animadversionibus exornare dignatus sit, sine quibus legi non debebat. Multum autem â Galeni methodo recedit Walæus, quin & alia insuper prorsus incedit via. Nam cum ille ad morbos potissimum curandos dirigat gressum, hic magis ad causas mentem applicavit: imo alicubi profiteri audet, à procatarctica curationem esse incipiendam, quam Galenus nunquam curationem

ingredi

ingredi, aperte & rectius docuerat, paucissimos modo morbos excipias, in quibus si quando adhuc sit præsens, removenda est. Sed ut ad Galenicæ methodi excellentiam neutiquam accedit, legi tamen omnino meretur, & expendi isthæc Walæana: Multa enim nos commonefecit, de quibus alii non cogitarunt, quæque deinde nostratium nonnulli suis scriptis tanquam nova inseruere: ut spiritus animales ad chylificationis opus in ventriculo obeundum concurrere, & similia. Specialem medendi methodum diligentius excoluit præ primis *Thomas Willis*, aliquoties nobis laudatus. Et quidem sic satis feliciter, ut non inepte inscripserit libro isti titulum Pharmaciæ rationalis, quod idem fere est, ac methodus medendi, recteque etiam sic appellari liber iste potuisset: Eleganter enim & ingeniose inquirit in morbi cujusque naturam & causas, & ex iis demum eruit methodi rationem, ostendens quæ medicamina, & quibus viribus idonea sint malis tollendis; plane in hoc secutus Galenum, inscius licet fortassis. Quod enim in Anglis plerisque omnibus merito desideres, spernere ipsos monumenta antiquitatis & alto supercilio, priusquam evolvant, contemnere, (quod partim præjudiciis seducti faciunt, partim ex αὐταρκείᾳ quadam, fidentes nimium egregiæ indoli) Id etiam de ipso haut raro affirmaveris: nisi tamen (quod facere solere & Sylvium, supra monuimus) forsan dissimulat. Interim non omnia tamen ad amussim: multa enim in illo opere emendanda, multa addenda restant, aut ab aliis felicius explicata sunt: uti non omnia possumus omnes. Sed ante ipsum fortassis commemorandus erat modo nominatus, ex nostris Germanis *Franciscus de le Boe Sylvius*, Lugdunensis ille celebratissimus doctor, cujus itidem mentionem jam sæpius fecimus. Ejus primum Praxeos liber primus & secundus lucem videre, de infimi ac medii ventris agentes affectibus. Tertium de capitis morbis, vivens ipse adjungere nunquam est ausus. Post mortem vero ejus, cum reliquis operibus suis omnibus junctim Amstelodami editus fuit. Haut parum vero juvit hic vir eximius rem medicam istis suis meditationibus; non tamen triumviratu illo

suo

ſuo, ſed aliis perpulchre excogitatis: præſertim vero in medicamentorum genere eminet, ita ut hodie plerique, etſi diſſimulent, ejus præſcribendi methodum amplexi ſint. Ad hanc claſſem porro pertinet *Rolfinkii Medicina conſultatoria*, æque ac de *Partionlaribus cognoſcendis affectibus epitome*, ac liber *De affectibus capitis* ſupra a nobis laudati. Item *Diemerbroeekii de morbis capitis & thoracis diſputationes practicæ*, anno ſeculi LXVI. Trajecti editæ, magnaque pars eorum quos ſupra cap. V. enumeravimus. Addendus his foret *Wolfgangi Heferi Hercules medicus*. Verum cum is liber, prout in frontiſpicio ipſe monet, potius locorum communium ſpecimen exhibeat, quam methodum proponat, atque in enarrandis remediis ab aliis uſurpatis totus ſit, videtur potius ad eos pertinere, qui per experientiam curandi rationem docuere, de quibus actum eſt §. VI. Rectius autem feciſſet hic auctor, ſi poſt XXIII. annorum quam jactat experientiam addidiſſet clarius, quæ ex illis remediis habuerit comperta, quæ non: ſic enim liber, empiricus licet, multo tamen majore cum fructu legi potuiſſet. Et in hoc quidem ejus generis auctores peccant pariter omnes, quod in remediis ab aliis ſæpe fando acceptis, vel exſcriptis fideliter, acquieſcunt. Id profecto inter deſiderata in arte medica habeo deſideratiſſimum, ut viri exercitati & cordati, qui in curandis morbis conſeneſcunt, quid experientia ſua confirmatum viderint eorum, qui ab auctoribus commemorantur remediorum, nobis impertiant, quidve expectationem fefellerit, ſatis enim ſuperque nobis eſt medicamentorum, ita ut laboremus ubertate, ſelectioni igitur ſtudendum non ſimplici collectioni: Hoc enim pacto futurum eſt, ut illa quæ memorata nobis eſt, per experientiam curandi ratio unice excolatur, adeoque habituri ſimus mox utramque viam expolitam & ab ſentibus & offendiculis repurgatam. Ejusdem ordinis atq; Heferi liber videtur quoque *Grulingi Praxis medica*, nam is quoque in compilandis remediis ſuam præcipue diligentiam doctis probavit. Denique non hic tacendum eſt, nihil ad Therapeuticen pertinentium abſolutius prodiiſſe, quam quod ſub incom-

incomparabilis auctoris nostri præsidio ex publica cathedra defensum prostat. Ut enim erat iis mediis instructus, quæ ex pathologicis ad hoc præstandum debent afferri, (nullibi enim excerpendi studium majus quam in pathologicis adhibuisse deprehenditur) sic quomodo ex his eruenda esset methodus, ad unguem doctus fuit, utpote artis demonstrandi peritissimus. Operæ pretium igitur erit, ea omnia in unum volumen aliquando collecta, publicæ utilitati conservare: qua in re præstanda, ac pro virili promovenda, studium atque operam nostram, ubi placuisse hæc compertum habebimus, pollicemur. Restant quæ particulatim vel certum affectuum genus sunt prosecuti, vel morbos singulos, ut adjiciamus. Sed isthoc laboris unicujusque propriæ industriæ relinquendum existimamus. Aliquos etiam jam tum qui huc pertinent ad caput V. addidimus; In reliquis Moroni Directorium & Waltheri sylva subsidio esse possunt, sub cujus umbram nos abscondentes, ac subducentes, ab hoc etiam theatro recedimus.

CAPUT IIX.
DE
SIMPLICIBUS MEDICAMENTIS IN GENERE, QVOMODOQVE EORVNDEM COGNITIO MEDICA COMPARARI POSSIT, NEC NON EJUSDEM REI AUCTORIBUS.

THESIS I.

VT itaque de Simplicibus medicamentis agamus, operæ pretium est nonnulla in genere præmittere, quæ ad universum illud studium scitu ac observatu necessaria sunt. Diffusum enim illud est, nec levem requirit industriam. Appellamus autem Simplicia medicamenta omnia illa sa-

nitatis recuperandæ auxilia, quæcunque ſine ulla artificis ope ſola natura produxit: ut perinde ſit ac ſi nativa medicamenta nuncupentur. Neque vero propterea ſimplicia ea vocamus, quaſi in ſingulis unica tantum inſit virtus. Multæ enim eæque diverſæ vires ſæpius in uno aliquo ſimplici reperiuntur. Ita v. g. in roſa virtus quædam eſt purgandi, adſtringendi, refrigerandi, & aliæ: in abſynthio ſimiliter, & ita in reliquis.

II. Cæterum non unius generis ſunt naturalia corpora, quæ inter ſimplicia medicamenta referuntur. Primo enim ex ipſis primis ſimplicibus corporibus quæ vulgo elementa vocantur, nonnulla huc pertinent; & quidem ita ut vel ipſa talia ſint, vel quæ ex illis petuntur. Quo pertinent cumprimis diverſorum generum Aquæ & Terræ. Secundo multa medicamenta deſumuntur ex corporibus mixtis ſed inanimatis; eaque vel ex Metallis: quo nomine ſeptem res veniunt: aurum ſcilicet, argentum, æs ſive cuprum, plumbum candidum, quod ſtannum vulgo appellatur, & nigrum, ferrum, & denique argentum vivum. Quo etiam referri poſſunt omnium metallorum excrementa, qualia ſunt ſcoriæ, ceruſſa &c. Vel ex mediis Mineralibus: qualia ſunt omnia ſalia, chalcanthum, antimonium, vitriolum, arſenicum, auripigmentum, ſulphur, alumen, nitrum &c. Huc etiam fortaſſis non incommode referri poſſunt Marina, ut bitumen, ambra, halcyonia, margaritæ, & omnia in univerſum ex mari petita. Lapides item & gemmæ, & corallia: quanquam hæc ad plantas potius ſpectare videri queant. Porro multa eaque longe plurima ex corporibus anima vegetativa præditis in claſſem hanc veniunt. Quo pertinent omnia medicamenta ex Plantis deſumpta: quorum numerus eſt ingens. Quædam enim plantæ omnibus ſuis partibus proſunt, quædam qui-

quibusdam tantum; & quidem ita ut vel folia, vel cortices, vel radices, vel semina, vel ipsa etiam ligna vim medicam habeant. Nonnulla denique ex ipsis animalibus desumi possunt: & vero vel integra animalia adhibentur, vel eorum partes, vel ipsa etiam excrementa. Quorum omnium indicem in vulgaribus istis pharmacopoliorum taxatoriis libellis videri poterit.

III. Antequam vero de singulis differere incipiamus, notandum est, triplicem uniuscujusque simplicis medicamenti cognitionem haberi posse; vel Grammaticam, vel Philosophicam, vel denique Medicam. Et prior quidem illa notitia nihil aliud præstat, quam ut ea instructus unamquamque rem & proprio suo nomine appellare & ab aliis discernere possit. Huc etiam quadantenus pertinet scire locum ubi * nascatur, unde quam optima afferatur, figuram etiam ejus, & similia. Vocari vero eam Grammaticam non immerito existimamus, quamvis mere talis non sit, quod sicuti ars Grammatica ex parte circa notitiam vocabulorum aut veterum aut recentium versatur quidem, ita tamen ut unum ab altero sensibus possit distingui; sic hujus nostræ de qua agimus cognitionis potissima pars in assignandis veris ac genuinis unicuique simplici medicamento nominibus occupata * est. Qualem cognitionem quisque sibi comparare debet, utut ad usum medicum proxime & unice non pertineat.

IV. Alteram diximus esse Philosophicam cognitionem: qualis omnium rerum dari potest, ex quibus medicamenta petuntur. Consistit autem in naturæ singulorum scientia, quomodo generentur singula, quæve sint caussæ omnium uniuscujusvis affectionum. Ita v. g. de thermis aliter Medicus aliter Philosophus agit. Hic enim caussas caloris earum scrutatur, de quibus iste minime est sollici-

 tus.

tus. Quamvis autem talis ſcientifica notitia oppido ſit elegans, ad Medicum tamen quatenus quidem eſt Medicus proprie non ſpectat. *

V. Medicam denique quam vocemus, per ſe patet. Quemadmodum enim in unaquaque diſciplina & arte, illa cognitio neceſſaria eſt, qua quis novit, quantum hæc vel illa res arti ſuæ inſerviat, adeoque ad uſum quem ſibi propoſitum habet faciat; ita Medico etiam ſimplicium medicamentorum cognitio illa neceſſario tenenda eſt, quæ tota in eo verſatur, ut ſimplicia illa, in quantum uſui Medico inſerviunt, explorata habeat. Eſt autem illa notitia facultatum ſimplicium. Ita ſi quæratur ex. gr. an camphora calida ſit an frigida, item an aurum ſpiritus poſſit refocillare, & ſimiles quæſtiones, Medico oportet perſpectas eſſe, quicquid tandem de cauſſa horum efficiente fiat.

VI. Quandoquidem autem res naturales ſimplices infinitæ pene numero ſunt, ſive aquas & terras, ſive lapides, ſive plantas, ſive ipſa denique animalia ſpectes; quorum multa adhuc nos latent, multa etiam ad uſum medicum nihil faciunt: utique facile apparet, horum in univerſum omnium cognitionem ne illam quidem, quam Grammaticam appellavimus, in Medico requiri. Quamvis enim notitia illa elegantem Medicum omnino ornet: ad perfectam tamen ſcientiam ſola illa cognitione perveniri poſſe, falſum eſt. Fruſtra certe ſunt, qui in illa cognitione tantos labores impendunt, plane ac ſi in illo totus rei Medicæ aut Philoſophicæ cardo verſaretur. Contra illorum ſimplicium medicamentorum, quæ uſu jam explorata ſunt, nomina Medicus teneat neceſſum eſt: tum ut circa illa rite verſari poſſit, neve unum pro altero imprudenter exhibeat, tum ut veterum ſcripta recte etiam intelligat. * Quapropter etiam operæ eſt pretium, illis tantum

medicamentis uti quæ cognita habentur, & illa ipsa proprio suo nomine appellare posse: Multæ enim sunt ejus generis quæstiones, cujusmodi est illa quæ circa hyssopum agitatur. Quod si itaque tale aliquod simplex occurrat cujus nomen non perinde nobis cognitum est, satius est illa usurpare, quorum virtutes certo nobis sunt exploratæ. Quo * pacto autem ad cognitionem sive Grammaticam sive Philosophicam perveniatur, nunc disquirere nostrum non est: potius de cognitione Medica comparanda aliquid subjungemus.

VII. Quod autem notitiam illam Medicam attinet, jam tum notum ex superioribus est, duplici modo illam acquiri posse, experientia scilicet & ratione: & experientia quidem vel propria vel aliena. Quod alienam vero concernit, magna cautela opus est, ne seducamur, cumprimis ab * illis qui nescio quibus arcanis sese ostentare & imperitam plebem sibi conciliare student. Quod Chemicis ut plurimum maxime familiare est. Ideoque non temere omnia statim usurpanda sunt, quæ fortassis à glorioso tali empirico laudantur. Quo patet non nisi illis demum esse credendum, quorum fides sine causa non potest in dubium vocari: Non contemnenda tamen etiam sunt quæ ab hominibus minoris dignitatis interdum discimus: modo promiscue ipsis fidem non habeamus. Itaque optime consulet sibi futurus Medicus, si in adversaria sua, quæcunque vel lectione vel auditione de simplicibus acceperit, diligenter referat. Ita enim brevi tempore ad insignem notitiam pertinget.

IIX. De ratiocinatione, altero hujus etiam scientiæ principio, non idem omnes sentiunt. Multi enim per illam vires medicas indagari posse negant. Verum sane negari non potest dari methodum quæ per rationem vires

simplicium investigare doceat, quam etiam nonnulli excoluerunt, ut mox dicemus. Interim tamen qui experientia unice hic nitendum contendant, longe sunt plurimi. De singulis fusius agendum.

IX. Et vero ut de ratiocinatione prius dicamus, veterum quidem nemo de ea aliquid videtur novisse, empirica cognitione omnibus tantum instructis. Primus Galenus illud argumentum aggressus est opere *de simplicium medicamentorum facultatibus*. Quamvis autem præclarum illud opus sit & lectione apprime dignum; nimium tamen confidere illi nemo debet. In priores hosce doctissime commentatus est Franciscus Vallesius. Quæ enim contra eos à Sennerto aliisque varie disputata sunt, nullius sunt momenti. Ex recentioribus idem argumentum eleganter persequutus est *Joannes Baptista Montanus*, *Fuchsius*, *&* *Fernelius*: quem, cumprimis autem ejus *librum quintum methodi medendi* cum accurata diligentia esse legendum omnibus edicimus. Doctissime quoque de hac re egit *Andreas Cæsalpinus*. Neque pauca etiam habet huc pertinentia *Casper Hofmannus* in opere *de medicamentis officinalibus*.

X. Verum enim vero ex recentioribus Paracelsistæ novam & veteribus plane incognitam explorandarum virium simplicium medicamentorum rationem monstrare conati sunt. Præcipue vero de viribus ex figura & colore divinare volunt. Verum quam frivolum illud quidem
Pag 274. sit, jam tum à nobis ostensum est *lib. de Herm. Medic. II. cap. VII.*

XI. Longe verisimilius ex sapore & odore medicamentorum de viribus eorundem aliquid colligere licet. Quod ipsum præclare quoque est notatum Galeno. Verum ne illud quidem semper est usque adeo certum, ut

* non interdum etiam fallere possit. Scilicet à calore nostro assumpta medicamenta non possunt non magnam transmutationem subire: quam proinde qualis futura sit, quidve illa à calore nostro pati possint, tuto definire, vix nobis licere videtur. Ideoque fortassis haud parum majoris certitudinis nobis suppeditari posset, si accurate observaverimus, ** quid simplicia illa ab igne humido & aqua pati consueverint. Longe certe probabilia argumenta exinde desumi possunt: utpote quum calidum nativum nostrum sit itidem aliquis humido insitus ignis. Quicquid vero sit, experientia tamen ubivis conjungenda est. De cujus proinde auctoribus etiam nobis nunc quædam in medium producenda veniunt.

XII. Ex *Hippocraticis* itaque *scriptis* (hæc enim omnium antiquissima sunt) peculiaris quidem liber non extat, qui hoc argumentum unice tractat; passim tamen quædam ex iis licet colligere, præcipue vero ex libro *de aëre, aquis & locis.* Post hæc nihil est nobis ad simplicium medicamentorum hanc empiricam cognitionem magis * utile, quam opus *Pedacii Dioscoridis Anazarbei*, qui tantam simplicium peritiam habuit, ut omnes Græcos hac laude superaverit, vel ipso Galeno judice. Variæ autem ejus editiones prodierunt. Et primus quidem post renata meliorum litterarum studia *Hermolaus Barbarus* Patricius Venetus, ex Græco illud opus transtulit, adjunctis doctissimis commentariis. Quem sequutus *Marcellus Vergilius* Florentinus novam ejus versionem fecit, sed quæ ob artis Medicæ in illo interprete imperitiam minus nobis prodesse potest. Paulo post *Janus Cornarius* inter multos alios Græcos scriptores hunc etiam in Latinum sermonem convertit. Quod quoque paulo ante fecit *Joannes Ruellius*, adjuncto etiam insigni commentario: quæ translatio

latio etiam frequentiſſima atque omnium pene optima eſſe videtur. Poſt Ruellium *Anatus Luſitanus* Judæus, eundem Dioſcoridem commentariis illuſtravit, cujus labor laudem quidem meretur, in multis tamen merito ſuſpectæ eſt fidei. Scripſit etiam in eundem longe doctiſſimum commentarium *Valerius Cordus*, quem juvene maximo Medicæ rei damno immatura morte abrepto, divulgavit Conradus Geſnerus. Cæterum omnes tamen reliquos ſuperavit *Petrus Andreas Matthiolus* Senenſis, ſcripto longe eruditiſſimo in Dioſcoridem commentario, quo omnium ante ſe hujus argumenti ſententias diligentiſſime excuſſit, maximam inde gloriam adeptus. Plantas tamen illum multas pro Dioſcorideis venditaſſe atque depinxiſſe, quæ tamen nullibi reperiantur, jam vivo adhuc ipſo tum à Geſnero tum à Guilandino præclare obſervatum fuit; qui cum eo hac de cauſa etiam in contentionem venerunt. Quo nomine eo ſimiliter paſſim accuſat *Fabius Columna*. Interim tamen eximii ſut illi commentarii, & omnibus qui ad accuratam Artis noſtræ peritiam adſpirant lectu prope neceſſarii. Poſt Matthiolum Græce & Latine Dioſcoridem edi curaverunt & *Jacobus Goupylus Gallus* & *Janus Antonius Saracenus* Lugdunenſis, itidem Gallus: ex quibus hujus editio omnium eſt præſtantiſſima. Proximus porro à Dioſcoride ex veteri ævo ſupereſt *Galenus*, cujus *De medicamentorum ſimplicium facultatibus* opus jam paulo ante commendavimus. Certe ex omni antiquitate nullum extat ſcriptum, quod cum his Galeni & Dioſcoridis libris comparari mereatur. Sane enim ex poſt ſequutis Græcis vel *Oribaſius* vel *Paulus Ægineta* vix quicquam habent, præterquam illa quæ ex Dioſcoride & Galeno tranſcripſerunt. Nam *Simeon Sethi* parum nos juvare poteſt, quippe qui ex *Michaële Pſello* ſua deſumpſerit. Ex Latinis

quem huc pertinentem nominemus, nullus est præter Plinium, de quo sequentibus capitibus, suo loco plura.

XIII. Ex Arabibus hoc in argumento satis laboravit *Joannes Serapion.* Quo longe majorem tamen laudem commeritus est *Joannes Mesues* Damascenus, cujus *De purgantibus* liber supra modum doctus est. Fuit enim vir diligentissimus pariter atque doctissimus, quicquid alii contradicant. Nonnulla etiam huc facientia *Avicenna* habet in suo *Canone.* Agit quoque de simplicibus medicamentis in *Colliget* suo, perdocto illo opere, *Averrhoës,* nimis tamen fortassis compendiose. Fertur Arabice scriptum grande opus * hujus argumenti *Ebenbitare* sive *Embitare* auctore: sed nondum Latinis auribus est factum commune, nisi quod capitulum de Limoribus verterit Andreas Alpagus, quod Parisiis prodiit typis editum. Ubi de Arabibus istis notandum, de compluribus medicamentis illos egisse, quæ Græcis plane incognita fuerunt. Cujus generis v. gr. usus est tamarindorum, cassiæ, foliorum senæ &c. Non tantum autem nova & hactenus incognita medicamenta nobis exposuerunt, sed & nonnullorum alias jam cognitorum facultates minus hactenus deprehensas detegerunt. Dolendum tamen, multa ex Græcis in Arabicum sermonem male conversis illos transcripsisse, & præterea in cognitione istorum non satis fuisse versatos. Quo vitio potissimum Avicenna laborat, minus tamen Mesues & Serapion.

XIV. In Latino-barbaris denique optimum hujus generis scriptum confecit *Matthæus Sylvaticus* titulo *Pandectarum Medicinæ.* Similiter & *Simon Jamensis & Jacobus de Dondis* aliique de quamplurimis simplicibus sparsim egerunt: quibus recensendis non possumus immorari. Post hæc enim tempora medicina ita cœpit excoli, ut diligen-

ligentia sua superiora aliquot antegressa secula longe superaverit. Ideoque quæ hinc inde commendata inveniuntur, observanda sunt eo modo quem supra indicavimus. Unum tamen *Gabrielem Falloppium* non possumus non nominare, cujus *De purgantibus simplicibus medicamentis* insignem librum habemus. *

XV. Quanquam autem veterum cumprimis Græcorum illorum, scripta longe sint præclarissima; in multis tamen tuto iis non possumus niti, quod complura ab illis laudata non satis nobis sint cognita, neque nos semper illud deprehendamus ab iis præstari, in quod tamen veteres illa laudaverunt. Hinc sane quum ante centum & quod excurrit annos Medici animadverterent multa simplicia non respondere virtutibus à veteribus illis ascriptis, acriter controvertere ceperunt, cumprimis de iis medicamentis, quorum mentio apud Dioscoridem occurrit. Quapropter non levis cura hic adhibenda est, ut ea potissimum pernoscamus illorumque vires exploremus, quæ in manibus nostris versantur quæque comparare possumus, ne per vetera nomina nostris medicamentis communia incauti decipiamur. Quod autem horum experimentalem cognitionem attinet, ex recentioribus pauci admodum uno volumine de iis tractarunt. Interim præcipuam laudem hac in parte meruit *Johannes Jacobus Weckerus* Basileensis: quanquam plagii à multis, cumprimis autem à Matthiolo *Præf. ad Diosc.* accusetur: neque fortasſis injuria, quum ipsemet culpam videatur confessus. *

ADDITAMENTA.

I. * *Ut itaque de simplicibus medicamentis agamus.* Auctor receptum in institutionibus ordinem secutus, post methodum

dum medendi de medicamentis agit. Quod si artium indolem, ordinemque naturæ potius quam in scholis docendi methodum respexisset, aliter ab eo fuisset factum: Non enim hic ordo idoneus est ad artes perdiscendas: in quibus nullum est dubium, instrumentorum cognitionem ipsius artis præcepta præcedere oportere, quippe quum sine istorum notitia ea ne intelligi quidem possit. Id quod omnium reliquarum exemplo in facili esset docere. Pertinet igitur & hæc tota quæ restat de Instrumentis artis nostræ disquisitio ad præcognita, adeoque deberet præmitti, ut methodus medendi postremum sit à futuro medico perdiscenda. Sunt autem instrumenta Medici vel Ferramenta aut simili de materia ficta, id est Chirurgica; vel Medicamenta, id est Pharmaceutica. Nam diæta qua ad morbos debellandos utimur, in hoc includitur, & cibi, quoties sic adhibentur, medicamentorum habent rationem. Agunt autem de his tribus instrumentorum classibus seorsim auctores, & trium Auxiliorum fontes eas nominant; Quod & noster hic facit sequentibus capitis, quorum IIX. IX. X; de simplicibus est Medicamentis, XI. de compositis, XII. de Chirurgia, XIII. denique & ultimum de Diæta.

✻ ✻ *Multæ enim eæque diversæ vires.* De his egit prolixe Galenus III. De Medic. Simpl. Facult. c. 13. 14. 15. & quo pacto id fiat, exposuit.

II. ✻ *Cæterum non unius generis sunt naturalia corpore.* Ut Medicamentorum ordinem cognoscere rectius queat studiosa juventus: en! brevem totius rei ideam subjungimus: Omnia medicamenta vel nascuntur, vel arte fiunt. Nativa vel sunt ex magis simplicibus corporibus, Aqua & terra, vel ex apertius compositis. Quorum nonnulla terram agnoscunt matrem, suntque vel subterranea, ut metallica, succi liquidi & concreti, lapides; vel superficiei terræ innascuntur, ut vegetabilia eorumque progenies; vel denique soluta, liberius in aëre supra terram degunt, ut animalia: Nonnulla vero ex aquis veniunt, quæ sunt vel vegetabilia iterum, ut Corallia, coralloides, musci, fuci, similiaque succrescentia sensim, plantarum more; vel animalia, ut quæ ex piscibus sunt; vel ostracoderma, sive conchy-

lia; vel denique ſucci, ut ſuccinum. Arte facta ſunt vel Simplicia, ut ſalia volatilia & fixa, aliaque chemica arte ex magis compoſitis parari ſolita, fiuntque per reſolutionem, ſeu διάκρισιν; vel Compoſita, ut ſirupi, eſſentiæ, Tincturæ, elixiria, fiuntque per compoſitionem, ſeu σύγκρισιν; vel Decompoſita, ut quando vel hæc ipſa inter ſe, vel cum ſimplicibus aliis miſcentur. Nativa addiſcuntur in ſcholis, ubi diſſeritur de materia medica: Arte facta primæ & ſecundæ claſſis artem pharmaceuticam conſtituunt; tertiæ pertinent ad artem præſcribendi formulas, quæ omnino eſt à pharmaceutica diverſa, & ſeorſim tradi meretur, etſi illius exactam notitiam præſupponat.

III. ✻ *Qualem cognitionem quisq; ſibi comparare debet.* In eum finem inſtituuntur botanicæ excurſiones & demonſtrationes ſimplicium, quæ vulgo collegia de materia medica appellantur. Atque ea quidem primo loco diſcenda ſunt Tyronibus: Fruſtra enim & præpoſtere facultates rerum docentur, ſi non noverint res ipſas. Quæ tamen notitia rerum non ab imperitis Pharmacopæorum ſervulis petenda eſt, qui cum ea omnia ex ſolo diſcant uſu, nihil præter nuda nomina, eaque talia qualia acceperunt, nos poſſunt docere, & fallunt ſæpe quia ab aliis falluntur; ſed à viris doctis, rerumque peritis, ut ſolidam, non ſuperficiariam notitiam acquirant. Nam præter jam dicta, modus etiam dignoſcendi adulterina à genuinis & probis: quotuplex uniuscujusque genus, & quod optimum; quod in officinis uſitatum, aut ſi plura unius generis ſint, quod quando adhibendum ſit, ſcire oportet. Exemplo ſit Vitriolum: Varia hujus ſunt genera, quæ ſingula quidem uſurpantur, ſed ſuo loco, nec ſubſtitui ſibi, aut confundi temere ac præter rem volunt. Non tamen omnino rejiciendus eſt mos eorum qui in officinis pharmaceuticis Medicamenta ibi proſtantia ſæpius inſpiciunt: quin imo iſto cognoſcendi modo rei initium fieri velim; ſed non eſt in his acquieſcendum: Tres enim modi ſunt ſimplicia cognoſcendi, qui ſibi ſuccedere debent, ſi quis eorum perfectam notitiam velit acquirere. Unus ſimplex hic de quo diximus, alter ſublimior ille, ſub erudito præceptore proficiendi;

tertius, & qui complementum prioribus ſuperaddit, ut quis varia loca peragrando, quantum fieri poteſt in ipſo natali ſolo res inſpiciat: exemplo Galeni, qui Africam petiit inſulasque mediterranei maris horum addiſcendorum gratia. Ubi id non poteſt, ſaltim in celebrioribus Europæ emporiis, in quæ talia immediate exinde afferuntur, frequens adſit mercatoribus qui ea divendunt minorum gentium iſtis Diis, & ibi in omnia diligenter inquirat. Hic non eſt poſtremus medicæ peregrinationis fructus, quamvis à multis vel negligatur, vel ſegniter expetatur, id quod non alia de cauſa fit, quam quoniam cruda ſtudia ſua ex patria in exteras regiones protudunt, & neglectis prioribus illis binis modis, non ſatis inſtructi ſunt iis adminiculis quibus in his deinceps proficere poſſint.

IV. ✲ *Ad Medicum tamen, quatenus quidem eſt Medicus proprie non ſpectat.* Nempe ad Philoſophum cauſæ rerum pertinent, ad Medicum effectus. Quo poſito facile eſt judicare, quam longe extra propriam diſciplinam excurrant hodie ſcriptores plurimi, qui medicos ſe profitentes in cauſis tamen perquirendis unice occupati ſunt. Quod haud ita dictum à me exiſtimatum velim ac ſi cauſarum illam doctrinam ex arte ejectam velim, aut utilisſimum eorum laborem damnem: hoc enim empirici eſſet, non dogmatici, ſed quod vel in cauſarum perquiſitione acquieſcere, vel longius procedere quam par eſt, noſtrates nolim. Quousque videlicet in arte uſum habet iſta perquiſitio, progrediendum puto: ſed ibi pedem figendum, & ſua philoſophis relinquenda: Exemplo ſit iterum Vitriolum: Hoc ſanguinem profluentem ſiſtit aliaque præſtat, quia adſtringit, adſtringit autem duplici de cauſa, & quia acidum ſpiritum in ſe occultat, & quia partes terreas ſeu metallicas terreſtres: Hoc ſi neſcias, posſis in emplaſtris & unguentis præparandis magnos committere errores; ne dicam de applicatione, vel harum vel ipſius ſpiritus. Hæc igitur ad medicum ſpectant, juvatque cognoſcere: ſed an acidæ illæ particulæ ſint acutæ, & cuſpidibus prædita ſpicula, an vero flexiles & curvæ, nihil prorſus facit ad nos, & ſalva omni medendi lege poteſt ignorari. Itaque

que remotiores causæ non multum attinet scire, etsi sit elegans: At proximiores, & ex quibus sunt actiones ac operationes medicamentorum, citra summam injuriam & noxam sperni non possunt. Quisquis enim ex methodi medendi legibus curationem perficere cupit, non potest iis carere, cum ipsa illa methodus, ut ex superiore capite potest patere, hisce unice innitatur tanquam fundamento suo, totaque aurea illa & artificiosa doctrina Galeni eis sit superstructa. Ex causis scilicet discitur modus agendi, ex modo agendi, collato ad causam morbi, quando hoc remedium, aut quando illud ex usu sit, dignoscitur: Iterum exemplo rem declarabimus. In imbecillitate ventriculi notum est commendari amara, acida, salsa volatilia, aromatica, spirituosa, & terrea: id est tantum non omnia. Hæc cum sint natura diversissima, qui sciri potest quando amara sint adhibenda, nisi scias quomodo agant in ventriculo? quomodo vero id scias nisi amarorum naturam intimius habeas perspectam? Idem de reliquis esto judicium. Falsum igitur est, nullum esse usum scientiæ causarum ex quibus medicamentorum facultates fluunt: imo nihil hoc magis est necessarium, tum ad componenda medicamina, tum ad ipsam methodicam curationem, quæ his sublatis protenus corruit. Neque video qui possimus, istis neglectis, empiricorum imperitissimorum nomen effugere, aut dogmaticorum amplius tueri: Sed

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,

quos non nisi illi supergrediuntur, qui vel ingenii vitio, vel ignorantia methodi docendi sese continere intra limites præscriptos nesciunt.

VI. *Tum ut circa illa rite versari possit.* Universam plantarum cognitionem in medico quidem necessariô requiri, adversus summum virum, auctorem, adserere non ausim: apprime tamen esse utile hoc studium, summeque omnibus commendandum, vel ipsa hæc ipsiusmet verba evincunt. Vix enim cavere quisquam potest fraudem male feriatorum, aut veterum scripta recte intelligere, nisi qui & reliquorum, quæ extra usum sunt, notitiam sibi comparaverit; quandoquidem maximæ

maximæ in veterum scriptis occurrentes difficultates de Grammatica cognitione ventilantur. Quapropter etiam Galenus videtur dixisse; *Medicus omnium stirpium si fieri possit peritiam habeat consulo.* Quod ad reliqua extendi nil vetat: Luculentius vero etiam *Libro III. de compos. Medic.* *κατὰ γένη, cap. 2. Quisquis auxiliorum undique copiam habere volet, omnis materiæ stirpium, animantium, & metallorum, tum aliorum terrestrium corporum quæ ad medicinæ usum ducimus, expertus esto, ut ex eis exacta & notha cognoscat: Nisi enim hoc modo ad præsentis operis præsidia veniat, verbotenus quidem medendi methodum sciet, opus vero nullum ipsa dignum perficiet.* Etsi enim restringi hæc videantur iis verbis: *quæ ad medicinæ usum ducimus*, tollit tamen fere eam restrictionem quod sequitur: *Ut ex eis & exacta & notha cognoscat.* Hoc enim vix potest exacte fieri, nisi & ea habeat perspecta quæ solent substitui, aut similitudinis quadam specie fallunt.

✲ ✲ *Quo pacto autem ad cognitionem sive Grammaticam sive Philosophicam perveniatur.* -- Nos de Grammatica egimus: De Philosophica, quæ longius quam ista à medicina remota, non est opus multa tradere: ut dicam paucis: duplex via est. 1. Lectio scriptorum qui de rebus naturalibus egerunt, & 2. Experientia: sive jam chemico igne, aëre, aqua res mixtas quis aggrediatur atque examinet, sive aliis modis: Hic tamen summa cautio est, ut à præjudiciis sibi caveat, nec temere sententiam propriam præcipitet, sed probe pensitatis omnibus proferat, & consulta prius arte ratiocinandi. Sed de his, præcipue quod attinet ad scriptores, ipse auctor capitibus proxime sequentibus affatim nos edocebit.

VII. ✲ *Cum primis ab illis, qui nescio quibus arcanis* - Loquitur hic de experimentis. Quorum dijudicatio multo est hodie expeditior atque fuit olim, exculta longe magis experimentali philosophia, & ad normam bilancemque rationis expensis medicorum experientiis. Itaque perito medico adeo difficile amplius non est, utrum vera jactent tales de quacunque medicina dijudicare. Perspectis enim virtutibus nativorum, & modo quo operentur cognito, de eo quod inde fit vel elicitur, haut difficulter constabit. Sed fortassis non hic de

arte

arte factis auctor sermonem instituit; verum de vulgo dictis simplicibus tantum ea vult intelligi; de quibus multo majori difficultate fertur judicium, cum multa ab his fiant, non tam ratione in vulgus nota, quam occulta quadam virtute, minime per suas causas à priori demonstranda: ut de Mandragora, Cicuta, ipsoque Opio, in quo examinando nemo adhuc explevit expectationem, id in aprico est.

IX. * *Nimium tamen confidere* -- Non est dissimulandum, hanc laudem Galeno deberi, quod primus glaciem fregerit in hoc tam vasto & invio mari, idque beneficio maxime artis demonstrandi, cujus erat callentissimus, aggressus est non infeliciter. At vero in istis rerum initiis non unquam hallucinari, id quidem ultra humanam sortem sapere fuisset. Cumprimis vero dolendum, nimium in quatuor illis qualitatibus asserendis fuisse audacem, quas primas esse, omniumque aliarum causas, perperam existimabat: id quod tamen non ex proprio ingenio, sed Hippocraticis monumentis hauserat. Longe autem felicius ex qualitatibus gustus, quam tactus omnia potuissent explicari, quod publico eruditorum judicio dijudicandum dare jam diu meditamur. Hinc justam ex parte Helmontanam indignationem esse, negari non potest. Interim ad recte intelligendum illa Galenica, omnino opus est attenta lectione libri citati *Johannis Bapt. Montani*, viri, ut de eo Peucerus, qui librum istum edidit, acerrimi ingenii, & judicii dexterrimi. Titulus est: *De differentiis medicamentorum, & causis diversarum virium & facultatum in medicamentis tractatus pulcherrimus*, &c. Prodiit Witteberg. MDLI. Uti enim alias creditum fuit, in eum virum Galeni animam veluti transvolasse, ità profecto in hoc parvulo & aureo libello spiritum ipsius videtur supergressus esse, eaque tradidit, quibus neglectis, facile Galeno, de ejus conatu judicando, injuria fieri possit.

* * *Casparus Hofmannus, in opere de medicamentis officinalibus.* Aliqui horum auctorum iterum in iis acquiescunt quæ in genere dici de his possunt, alii ad specialia transeunt. Ex illis est Montanus, de quo modo dictum est, & Andreas Cæ-

salpinus

ſalpinus. Quibus addas quæ Adrianus Spigelius in parte ſecunda Iſagoges plantarum Nationi Germanorum, Patavii ſtudiorum cauſa degentium dedicata congeſſit: ſed quæ ſtirpes concernunt tantum. Ex his ſunt Fernelius & Caſpar Hofmannus. Quibus recentisſime acceſſit nobilisſimum par virorum *Daniel Ludovici*, Medicus Ser. Ducis Saxonici, & *G. Wolffgangus Wedelius*, aliquoties laudatus, quorum ille in Pharmacia ſua non quidem ſimplicia tantum, ſed præcipue etiam compoſita examinat, adeoque iterum de eo infra erit dicendum; hic vero in ſolis nativis operam poſuit, tam feliciter, ut cuique alii ex veteribus palmam dubiam reddere videatur, ſui ævi vero omnes ſuperare: Me certe ejusdem argumenti aliquid olim meditantem excellentia operis ab inſtituto deterruit: id igitur omnium manibus jugiter terendum commendamus.

XI. ✣ Ne *illud quidem ſemper eſt usque adeo certum* - - Non eſt negandum, interdum fallere, ſed rarum id eſt, in vegetabilibus præſertim, quantum quidem ad ſecundas & apertas agendi facultates: De occultis autem illis, & quas Galenus ſapienter à tota ſubſtantia eſſe prodidit, id eſt ſpecificis, judicare niſi per experientiam non licet: quod dudum docuit Theophraſtus Ereſius, vir ſummus, nec Ariſtotele multo inferior. De metallicis paulo difficilius eſt judicare, præſertim ab igne mutationem pasſis: De animalibus vero, ſi venena excipias, pauca eſſe autumaverim quæ explorari eo pacto non poſſint.

✣ ✣ *Ab igne humido & aqua pati conſueverint.* Imo nec ignis & aqua penitus rem expediverint: nam multa in ſanguine noſtro præter ignem nativum & humidum reperiuntur, à quo pati quid poſſunt ſimplicia; imo reapſe etiam patiuntur. Salſum, pingue & glutinoſum certe ne quidem ab illo abeſt qui ad naturæ leges conſtitutus eſt, quid fiet de præternaturali? in quo acidum reperiri manifeſto, haut vanis rerum documentis conſtat. Licebit igitur & aliis modis eadem examinare: aliquid certe ex chemicis quoque experimentis per liquores inſtitutis emolumenti eſt ſperandum, quamvis longe alia ſit ratio

ſanguinis calentis ac fervidi, atque eſt emortui refrigeratique. Non alia ſane ratione videtur innotuiſſe pulverum quos vulgo præcipitantes vocant, agendi modus, Arabibus cordialium titulo nobilitatorum. Acidum nempe in ventriculo abſorbendo multos vel præcavent morbos vel domant.

XII. ✠ *Opus Pedacii Dioſcoridis.* Illius ſcilicet, cujus jam ſupra facta eſt mentio, Anazarbenſis: Vocatur autem ὁ Ἀναζαρβεὺς à patria ſua Anazarba, Ciliciæ urbe, de qua vide *Stephanum de Urbibus.* De ætate ejus controvertitur, aliis Plinii ſenioris æqualem, & ſub Nerone Galba, Othone, Vitellio & Veſpaſiano vixiſſe exiſtimantibus; aliis, floruiſſe ſeculo ante Æram Chriſtianam primo, ſub duobus primis Romanorum Monarchis C. Julio Cæſare, & Octaviano Auguſto. Quam ſententiam quoque approbat, & ex Arei, Philoſophi Alexandrini, cui quinque libros ſuos de Materia medica, ipſius hortatu conſcriptos, totidem ſingularibus præfationibus Dioſcorides dedicavit, ſynchroniſmo prolixe oſtendit Vir πολυμαθέστατος *Petrus Lambecius* in ſtupendæ eruditionis opere de Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea. Idq; fide potiſſimum incomparabilis MSti codicis Dioſcoridei in illa Bibliotheca extantis, longe antiquisſimi & pretioſiſſimi, Qui inſcribitur ΠΕΔΑΝΙΟΥ ΔΙΟΣΚΟΡΙΔΟΥ ΑΝΑΖΑΡΒΕΩΣ ΠΕΡΙ ΒΟΤΑΝΩΝ ΚΑΙ ΡΙΖΩΝ ΚΑΙ ΧΥΛΙΣΜΑΤΩΝ ΣΥΝ ΦΥΛΛΩΝΤΕ ΚΑΙ ΦΑΡΜΑΚΩΝ. Ex qua inſcriptione, aliisque rationibus convictus Lambecius contendit *Pedanium* non *Pedacium* appellari: A Gente enim Romana hoc eſſe pronomen aſcititium, quod ſervavit etiam in ſua editione Latina Ruellius. De hoc MSto non abs re erit paulo operoſius hic agere. Viderat id Conſtantinopoli, in Legatione quam Auguſtiſſimi Cæſaris Ferdinandi I. juſſu eo ſuſceperat *Augerius de Busbeck, eques* ex Belgio inferiore ortus, vir prudentisſimus & ſedulus Antiquorum codicum ſectator, apud Judæum quendam; ſed pretii magnitudine deterritus, id ibidem reliquerat. Operæ pretium eſt ipſius Busbeckii verba ex epiſtola quam poſt reditum ſcripſit Francofurti d. 16. Decembris MDLXII. integra adſcribere; Sic loquitur:

cap 1.13[?]

Unum

Unum reliqui Constantinopoli decrepitæ vetustatis, totum descriptum litera majuscula, Dioscoridem, cum depictis plantarum figuris, in quo sunt pauca quædam, ni fallor Crateuæ, & libellus de avibus. Is est penes Judæum Hamonis, dum viveret Suleimanni medici filium, quem ego emtum cupivissem, sed me deterruit pretium. Nam centum Ducatis indicabatur, summa Cæsarei, non mei marsupii. Ego instare non desinam donec Cæsarem impulero ut tam præclarum auctorem ex illa servitute redimat. Est vetustatis injuria pessime habitus, ita extrinsecus â vermibus corrosus, ut in via repertum vix aliquis curet tollere. Hæc jam citato loco Busbeckius. Servavit autem vir generosissimus & de re literaria optime meritus datam hanc fidem. Ejus enim impulsu à Cæsare vel *Ferdinando I.* adhuc, vel *Maximiliano II.* redemtus, ex Aula Turcica in bibliothecam Cæsaream auro carior habendus codex migravit. Et quamvis ut amissum deploret ejusdem Bibliothecæ non multo post Præfectus, literatissimus *Hugo Blotius*, vanum tamen hunc metum fuisse, adhibita in eo perquirendo majori diligentia, reperit *Petrus Lambecius*, Magni Leopoldi nostri itidem Bibliothecarius & Historiographus meritissimus, ingenti rei universæ literariæ damno haud ita pridem mortalium cœtui ereptus. Qui etiam Libro II. suorum Commentariorum laudati Codicis admodum memorabilem texuit & amplam descriptionem, integro capite VII. Ubi ostendit esse illum longe antiquissimum: *Julianæ* scilicet *Aniciæ Jmperatoris Flavii Anicii Olybri filiæ* auspicio & liberalitate, majusculis literis Græcis, sine accentu ullo, & sine ulla distinctione ante mille & centum sexaginta tres (nunc octoginta) annos diligentissime exaratum, & figuris plantarum atque animalium ad vivum depictis, ipsius præterea Aniciæ, variorumque illustrium medicorum veterum iconibus, accuratissima delineatione & vivacissimo post integra undecim secula coloratu expressis mirifice exornatum. Medicorum etiam illas effigies æri incisas in specimen ibidem exbibet: ex quibus facile, quam excellenter & reliqua, plantæ præsertim sint depicta, fertur judicium. Quæ si ita sunt, Proh! quantum Bibliotheca Augustissimi Cæsaris nobis

occultat thesaurum: quanta, quæque bona inde expectanda nobis sunt, si cum figuris suis reliquis, quæ non expressæ ab incomparabilis industriæ atque candoris viro Lambecio fuere, compareat aliquando in publico. Omnes enim tunc æternæ illæ Medicorum de plantis Dioscoridi descriptis disceptationes maximam partem cessabunt; quibus reperiundis tot libri, totque labores lucubrationesque summorum virorum adhuc fuerunt dicatæ. Quisquis igitur nunc eruditorum delicii Lambecii vires implet, ne diutius tanto tamque desiderato bono medicorum genus universum de toto humano genere tam bene meritum, patiatur carere; sed vel alii, si per occupationes ipsi non vacat, edendum committat: Neque existimet, nostris precibus se id quod petimus dare, sed universo mortalium ordini, cui ex codice isto magna salutis pars sperari posse, agnitis veris plantis Dioscorideis videtur. Præsertim cum adjuncta sint singulis plantarum capitibus fragmenta Crateuæ, Medici antiquissimi & Hippocratis coævi ex quibus quid de iisdem plantis tradiderit ille, cognoscatur. Extat autem in eadem Augusta Cæsarea bibliotheca & aliud ejusdem Crateuæ inter MStos Historicos monumentum: Ἰατροσόφου Κρατεύου τοῦ Ῥιζοτόμου περὶ ὕλης ἰατρικῆς: quod si genuinum est, quoniam ex illo ævo, & à tali concinnatum, qui ab ipso Hippocrate maxima laude sit affectus, possumus & ab hujus editione expectare plurimum emolumenti: nam quid antiquissimis illis Hippocratis temporibus plantarum atque aliarum rerum in usu fuerit, inde discere licebit. Promiserat id opus Lambecius antecessor, quæ obligatio videtur nunc hæreditario quasi jure in successorem transiisse: videat igitur quid sibi ea de re sit statuendum, & utrum justissimam eorum expectationem, qui non sui sed publicæ salutis causa id optant, differre aut eludere æquum sit. Nos vero de his iterum ad cap. X. acturi sumus. Habemus autem præter libros illos quinque de re medica, aliud quoque Dioscoridi tributum scriptum, Εὐπόριστα, seu Paratu facilia, à Moibano translata, & à Gesnero, cum ille obiens imperfectum opus reliquisset, perfecta; sed quæ ab eruditis, ψευδεπίγραφα habentur. Primum Argentinæ

gentinæ adſpexere lucem, anno MDLXV. Deinde Sarracenus ſuæ editioni adjunxit. Extant ſub nomine Dioſcoridis & alia quædam, uti *Hiſtoria plantarum, ordine alphabetico, & Alphabetum Empiricum*, item *Libri duo de curandis morbis per ſimplicia fere medicamenta ſecundum morborum genera digeſta*, quos MStos habuit Geſnerus, ſed & iſta vel Phacæ ſunt vel junioris illius quem citat Galenus in præfatione ad *Lib. de vocibus Hippocraticis.* Scripſit porro in Dioſcoridem etiam commentarios *Ulyſſes Aldrovandus*, prolixos admodum & luculentos, quorum magnam partem vidit apud ipſum Camerarius. *Gabriel Fallopius* quoque lectiones in Dioſcoridem habuit quarum nonnullæ apud eundem Camerarium extitere. Utrumque tamen hoc opus nondum in publico comparuit. Sed de Aldrovandi conatu ad cap. X. iterum quædam notabimus. Memoratu digna ſunt quæ *Geſnerus* in præfatione ad Tragum de Rei herbariæ ſcriptoribus reliquit: *Mihi quidem*, inquit, *videtur Dioſcorides plurima à Nicandro mutuatus, cum eadem præſcribant in plerisque omnibus venenis tum ſigna, tum remedia, & herbis quas deſcribunt notas easdem fere attribuant, ut nihil apud Nicandrum ſit, quod non apud Dioſcoridem etiam legatur: aut potius ambo ex uno quodam tertio ſua deſcripſerunt.* Hæc ibi Geſnerus: Quæ tamen de libro ſexto vulgo loco collocato, *De Venenis lethiferis*, ut ſuſpicor, tantum, non item de reliquis intelligenda veniunt: nam in ſimili argumento Nicander fuit occupatus. Verum & iſtum video à Lambecio pro illegitimo haberi: Et quamvis nec ille rationem ejus rei addat, & ipſa præfatio Dioſcoridis præferens nomen aliud videatur ſuadere, quoniam ibidem expreſſa reliquorum fit mentio, eaque itidem ad Areum philoſophum dirigitur, tamen vel hoc uno inducor, ut haut ægre Lambecio accedam. Potius enim hoc, ſecus atque Geſnero judicatum, indicium eſſe autumo, ex Nicandro ab aliquo medico in ſuum uſum iſta eſſe excerpta aut deſcripta, tandemque Dioſcorideis, forte fortuna in eodem volumine junctis acceſſiſſe; Certe id multo videtur veroſimilius quam à Dioſcoride ipſo ex Nicandro eſſe mutuata, quicquid tandem de

Præfatione etiam fiat, quæ ita ſeduxit eruditos viros ut eſſe legitimum hunc fætum nemo unquam dubitaret.

XIII. * *Arabice ſcriptum grande opus hujus argumenti Ebenbitare auctore.* Ita eſt: Et extat in Auguſtiſſima bibliotheca Cæſarea, MStorum Orientalium no. 49. Titulus eſt Aben vel Jbn Bithar liber de ſimplicibus ad curandos omnes corporis humani morbos, diſtinctus in XX. capita, teſte Petro Lambecio Bibl. Cæſ. Lib. 1.

XIV. *De purgantibus ſimplicibus medicamentis.* De Purgantium facultatibus ſcriptores omnes ſuperavit libro nuper edito ſupra modum docto & eleganti *Nicolaus Pechlinus*, Kilienſis tum Academiæ Profeſſor, nunc Sereniſſimi Holſatiæ Ducis Archiater. Cum quo conſentit magna ex parte *Williſius*; niſi (quod magis credibile mihi videtur) ex eo, ſuppreſſo nomine exſcripſit quod habet mala, de ſuo addidit. Legi poſſunt in *Pharmacia rationali*, ubi & alia reperiuntur huc pertinentia: ſed quæ laudem aut conſenſum apud me quidem ſemper haud inveniunt.

XV. * *Ex recentioribus pauci admodum uno volumine de iis tractarunt.* Ita eſt: Non tamen ſine laude dimittendum foret utiliſſimum *Schrœderi opus*, niſi omnibus ita eſſet notum ut nulla hoc vinum hedera indigeat: Totam enim rem pharmaceuticam, & quicquid ad officinam ſpectat, complexus eſt, nullo aliorum exemplo. Extat in eum commentarius *Friderici Hofmanni*, Practici Halenſis Saxonis, ſub titulo *Clavis Pharmaceutica*: Quod opus D. Johanni Michaeli Lipſienſi Chemico, maximam partem debetur: plus tamen laboris quam eruditionis habet, aut ſolidi judicii, interim plurima ibi perquam utilia ex iſtius experientiſſimi viri MSis excerpta habentur. De Ludovici & Wedelii ſcriptis huc referendis ſupra egimus.

CAPUT IX.

DE
Metallis, Lapidibus, Aquis, Terris, et Animalibus; singulorumque scriptoribus.

THESIS I.

Hisce ita in genere præmissis, jam ad singula simplicium medicamentorum genera pergendum est, adeoque differendum de iis, ex quibus horum scientia præcipue comparanda est. Initio autem de metallis, lapidibus, animalibus, terris & aquis conjunctim agemus; partim quod pauca sint, * quæ de iis exponi possint, partim etiam quod naturam habeant inter sese multum affinem.

II. Ut autem de *Metallis* (quo nomine etiam *mineralia* nunc comprehendemus) exordiamur, parum difficultatis cognitio illorum Grammatica habet, quod metalla pariter ac *lapides* varia συνωνυμία non laborent quemadmodum plantæ, neque etiam numerus illorum adeo sit magnus. Observandum tamen, de quibusdam mineralibus controverti, an nimirum eadem sint cum veteribus isto nomine laudatis. Cujusmodi disputationes apud *Dioscoridem*, *Matthiolum*, *Georgium Agricolam*, *Andream Cæsalpinum*, cæterosque rei metallicæ scriptores inveniuntur. Quo pertinent etiam tractatus *Valerii Cordi de Holosantho seu spermate ceti* vulgo dicto, multæque disputationes de *gemmis* institutæ. Qua in parte etiam multum proderit *Caji Julii Solini Polyhistor*, cumprimis prout illum ex veteribus libris emendavit Claudius Salmasius, stupendæ industriæ vir. Similiter de nominibus lapidum & gemmarum multa ha-

ta habet *Christophorus Encelius*. Et denique *Conradus Gesnerus* plurimum hoc loco nobis inservire potest peculiari hujus generis opusculo. Hi enim sufficiunt ad Grammaticam horum cognitionem acquirendam. *

III. Quod autem Philosophicam & Medicam horum metallicorum lapidumque peritiam concernit, conjunctim de iis agemus, quod hoc modo auctores eo melius sub unum conspectum quasi produci queant. Et sane medicamentorum ex metallis paratorum usus jam olim valde increbuit, tam apud Græcos quam apud Latinos, præcipue in vulneribus & ulceribus. Quod ipsum tum ex aliis, tum * ex Celso luculente discimus. Quæ tamen in curationibus suis adhibere non ausi sunt Arabes: de qua re Agricola in *Beermanno* suo justam querelam instituit. Ex quo autem Paracelsi schola cœpit, etiam mineralia ex illisque confecta medicamenta in majori pretio esse cœperunt; usque adeo ut prope in abusum etiam illud ipsum tandem deve- ** nerit.

IV. Quamvis autem jam tum priscis temporibus metalla in usum Medicum adhibita fuerint, non nisi cruda tamen usurpata sunt, quod variæ præparationes longe post â Chemicis demum inventæ sint. Quantum autem illa ipsa cruda valeant, *Dioscorides*, *Plinius* & *Galenus* exposuerunt. Præter hos de metallis ex veteri ævo hodie nihil superest. Similiter neque de lapidibus quisquam hodie extat ex antiquitate, præter libellum *Theophrasti Eresii*: quem doctissimo commentario ut reliqua ipsius fragmenta illustravit *Daniel Furlanus Cretensis*; qui ex parte tamen tantum huc facit. Prodiit quidem libellus idem nuper admodum etiam Lugduni Batavorum cum commentariis *Joannis de Laet* Antwerpiani; verum annotationes illæ

neque

neque ad Philosophicam neque ad Medicam lapidum scientiam adeo spectant, quantum ad Grammaticum quem diximus usum. Aristoteles hac de re nihil nobis reliquit. Quanquam enim Diogenes Laërtius mentionem faciat libri περὶ τῆς λίθου Aristotele conscripti; *sine dubio tamen hoc libro naturam lapidum in universum non explicavit, verum de uno aliquo, ut magnete aut Lydio lapide, aliquid commentatus est: id enim innuere nobis videtur inscriptio περὶ τῆς λίθου, quæ alias περὶ λίθων esset. Albertus quidem Magnus vidisse se testatur fragmenta quædam librorum Aristotelis de lapidibus; sed si fuerunt librorum Aristotelis, neque ea hodie supersunt:* quod recte quondam observavit etiam B. noster Horneius *disp. IX. Phys. th. 3.* Primus omnium de metallis ac lapidibus Philosophiam excolere cœpit ille ipse *Albertus Magnus*: cujus hac de re præclarum opus magno judicio & pari experientia conscriptum extat. Post eum hoc in argumento nemo aliquid præstitit, ad usque *Georgium Agricolam*: cujus de re metallica & omnibus subterraneis, fossilibus, atque iis quæ ex terra effluunt, opera tanta industria, doctrina, facundia & diligentia referta sunt, ut non solum ante se natos longissimo intervallo superaverit, verumetiam externos in stuporem rapuerit. Metallorum & mineraliorum doctrinam etiam optime persequutus est *Andreas Cæsalpinus*; sed tamen ita, ut multa adhuc in eo desiderentur, neque ad eam gloriam quam Agricola meruit conferri possit. Extat etiam *Thomæ Moresini* Aberdonani Scoti *De metallorum caussis & transmutatione* egregius liber. Metallicam etiam rem pariter & lapidum descripserunt *Christophorus Encelius* Salfeldensis, & *Conradus Gesnerus*; sed qui potius ad Grammaticam horum notitiam pertinent; quo nomine à

L. I. de mineral. in præfat.

*

**

nobis modo commendati. Idem argumentum pertractavit quoque *Falloppius* satis egregie, uti omnia ejus opera erudita sunt. De gemmis & lapidibus etiam librum scripsit *Hieronymus Cardanus*, sed in quo multa superstitiosa occurrunt. Idem argumentum occupavit *Andreas Baccius*, quem notis quibusdam illustravit Wolfgangus Gabelchoverus. Quod ipsum etiam fecit *Anshelmus Boëtius de Boot* Brugensis, Baccium multosque alios longo post se intervallo relinquens. Quemadmodum ambo Cardano multum præferendi sunt. Philosophiam denique tum metallorum tum lapidum peregregie exposuit paulo ante laudatus B. Horneius noster in *Disputationibus Physicis*

V. A metallicis ad *Aquas* medicatas transeamus; quæ valde etiam inter se variant. Aliæ enim calidæ sunt, aliæ non, sed potius saporibus, odoribus, coloribus & multis virtutibus insignes. Quumque facultates aquarum itidem duplici modo possimus deprehendere, partim per rationem, partim vero per experientiam: illam quidem quæ beneficio ratiocinationis instituitur, monstravit *Falloppius* & *Reinerus Solenander* peculiari libello *De caloris fontium medicatorum caussis*. Quo referenda est disputatio *De Aquis* nostro sub præsidio ventilata. Experientia autem, cumprimis vero aliena, ex variis peti potest. Etenim passim terrarum aquæ reperiuntur, quæ præ cæteris nomen aliquod nactæ sunt. Quæ proinde etiam à variis sunt descriptæ. Et Italicas quidem plerasque omnes descripsit *Andreas Baccius* in grandi opere *De Thermis*; in quo de Germanicis etiam agit. Germanicas vero, quæ nobis in Germania degentibus maxime præ aliis exteris debent esse cognitæ, optime enarravit *Jacobus Theodorus Tabernæmontanus*, primus inventor acidularum Schwalbacensium,

docto & summe utili libello *Hydrothesauri* patrio sermone confecto. *De thermis Carolinis* seorsim egit *Fabianus Sommerus & Strobelbergerus*, *de Egranis Paulus Macasius*, *de Alsaticis acidulis* cum alii, tum doctissime scripsit *Melchior Sebizius* Germaniæ Medicorum nemini hodie secundus. *Spadanas* aquas præ reliquis doctissime exposuit *Henricus ab Heer* peculiari libello cum titulum fecit *Spadacrenes*. *De Silesiacis* varii scripserunt, præferendus tamen omnibus est *Caspar Schvvenckfeldius*, descriptione thermarum Hirsbergensium. *De Moraviæ aqvis* extat *Thomas Jordanus* ut *de Casimirianis acidulis* libellus Germanicus doctus *Andreæ*
* *Libavii*. Sunt & complures alii ad hoc argumentum pertinentes: verum omnibus recensendis non opus est immorari.

VI. Jam etiam de *Terris* seorsim aliquid dicendum esset, sed quoniam de iis ex professo vix quisquam egit, non etiam habemus quod magnopere afferri possit. De terris tamen veteribus Medicis usitatis, quarum nonnullæ hodieq; adhuc laudari solent, sparsim quædam reperiuntur apud *Dioscoridem, Plinium & Galenum*. Habentur tamen etiam multa tum apud alios rerum metallicarum scriptores, tum præcipue apud *Andream Cæsalpinum*. Peculiariter etiam de iis nonnulla disseruit *Caspar Hofmannus* in *Paraleipomenis Officinalibus*. Haut indiligenter autem & nos hoc argumentum persequuti sumus singulari disputatione *De terris*, quæ evolvi potest.

VII. Superest ut de medicina ex *Animalibus* desumpta aliquid annectamus. Fuerunt autem jam olim Ægyptiis
* Magis ejusmodi remedia usitata. Cujus generis multa apud Plinium leguntur: pauciora quidem apud Dioscoridem & Galenum, sed veriora. Habetur etiam opus *De*

animalibus Sexti Platonici, quo tamen ſuperſtitioſum & ſuppoſititium eſt. Verum philoſophicam animalium doctrinam nemo fuſius perſequutus eſt *Ariſtotele*. Ex recentioribus pauci admodum in eo ſtudiorum genere laborarunt, ſi excipias *Conradum Geſnerum Tigurinum*, & *Vlyſſem Aldrovandum* Bononienſem; quorum conatus, utut ** non ſunt omni ex parte perfecti, ipſis tamen æternum nomen pepererunt. Quanquam autem Philoſophiæ peritia uterque minus fuerit inſtructus, adeoque ad hanc quidem doctrinam illa ſcripta parum faciant; quod ipſum jamdudum cum *laudatione prima Ariſtotelis*, tum *Introductione in Naturalem Philoſophiam* indicavimus, ad Grammaticam tamen & hiſtoricam cognitionem plurimum conducere poſſunt: quo nomine etiam omnibus debent eſſe commendatiſſima. Huc pertinet quoque *Thomæ Moufetti* Londinenſis *Inſectorum ſive minimorum animalium theatrum*. Spectant huc item *Guilielmi Rondeletii De piſcibus* libri, pene incomparabiles, quique tam quæ ad Grammaticam quam Philoſophicam notitiam faciunt, plurima continent. Quem imitatus eſt *Hippolytus Salvianus* Romanus, conſcripto itidem *De piſcibus* præclaro opere. Extat porro liber *de aquatilibus Petri Bellonii* Cenomani, ſed quem mere Grammaticum dixeris. Ante hos omnes *De piſcibus Romanis* elegantem librum, Grammatici tamen potius argumenti quam philoſophici aut Medici, jam confecerat *Paulus Jovius* Novocomenſis; qui ab Hiſtoria longe majus nomen invenit. Reperitur inſuper commentarius *Julii Cæſaris Scaligeri in Ariſtotelis hiſtoriam animalium*, ſed qui itidem Grammaticis tricis potiſſimum occupatus eſt. Sunt & plures allii cumprimis autem Anatomici, qui animalium hiſtoriam expoſuerunt: ſed

ſed quoniam illi ad Phyſiologiam tantum pertinent, hoc loco eos enumerare non convenit. Cæterum quænam animalia quæve eorum partes aut etiam excrementa in uſum medicum veniant, poſt alios docuit egregie *Caſpar Hofmannus* in ſupra laudatis *Paraleipomenis Officinalibus.*

ADDITAMENTA.

I. ✠ *Partim quod pauca ſint quæ de iis exponi poſſint: partim quod-* Illud pertinet pariter ad omnia, hoc autem ad reliqua, ſi animalia excipias: Quæ nemo facile dixerit naturam terris ac metallis affinem habere, à quibus potius omnium longiſſime recedunt. Lapides autem & metalla maxime natura conveniunt omnium; his deinde proximiores ſunt terræ: Nam metalla ipſa puriora plerumque ex lapidibus excoquuntur, & terræ medicatæ aliquid ſucci metallici habent; ſpiritum nempe acidulum; Aquæ vero medicatæ omnes metallicis particulis imprægnatæ ſunt.

II. ✠ *Hi enim ſufficiunt ad Grammaticam horum cognitionem acquirendam.* Quantum ejus ex libris petendum eſt. Quemadmodum vero de plantis liquidum eſt, non ſufficere illam notitiam quæ ex libris atque imaginibus habetur, imo ne illam quidem quam inſpectio earum præbet in officinis, ſed neceſſum eſſe prodire in campos, ac in ſolo, ſi fieri poteſt natali creſcentes contemplari, ſi quis recte eas cupiat diſcere: ita de rebus metallicis idem plane opus eſt facere. Poſtquam enim aliquam ex libris novis comparavimus cognitionem, excurrere oportet ad ipſa metalla & fodinas, ut quomodo creſcant, extrahantur, depurentur, oculis cernatur: idque vel idpropter, quod raro admodum qualia apparent, producuntur ab ipſa natura, ſed excoquuntur arte ac demum ſtudio & cura hominũ fiunt. Id quod fit manifeſto in recrementis metallicis, & mediis mineralibus

 prope

prope omnibus, quæ rarissime nativa inveniuntur. Operationes vero metallicas non nisi ipso natali cujusque loco licet perspicere, quod tamen ad naturam eorum rectius pernoscendam est utique necessarium. Nemo tamen eò rudis aut sine comite rerum metallicarum perito accedere aut lustrare officinas istas potest, si non operam ludere velit. Non enim tantum plurima ipsum fugere eo pacto facile possunt, multaque non intellecta, aut per transennam inspecta negliget, quæ tamen merentur notari; sed & iis de metallorum natura & indole præjudiciis ab imperitis philosophiæ qui in opere occupantur hominibus animum imbuere potest, quibus, cum ad rem ventum fuerit, nec facile valedicere, nec solidi quid superstruere licebat.

III. * *Præcipue in vulneribus & ulceribus.* Nempe, ut alibi doctissimus auctor ostendit, non nisi externe iis utebantur, interno usu habito suspecto: neque id injuria, cum arte chemica inde quicquam parari posse, ignorarent, cruda vero sine gravi noxa aut cum aliquo bono effectu minime propinari posse, viderentur. Neque vero & nostrates id facile audent hodie, quamvis de omnibus cur ægris metuamus nulla sit ratio.

* * *Ut prope in abusum etiam illud tandem deveneriti.* Ita tum, in istis rerum initiis se res habebat, nonnullis spernentibus tantum non omnia vegetabilia, & nil nisi metallica ubique adhibentibus. Nunc pulchre exculto chemiæ studio peritis & eruditis medicis omnibus reclamantibus, non amplius ex Paracelsicis illis infelicibus sectatoribus periculum nobis est, cum ita plerisque in locis res pharmaceutica ordinata sit, itaque ponderata atque expensa â dogmaticis metallica sint remedia omnia, ut, modo rite parentur, non plus inde discriminis quam ex mitissimis quibusvis vegetabilibus immineat ægrotantibus: Interim hoc laudis jure manet Paracelso, quod usum metallicorum externum, ab Arabibus interceptum, nobis reduxerit: eique rei potissimum adscribendum arbitror, quod in curandis externis malis reliquis sui ævi præstiterit.

Quæ

Quæ res ei fraudi non fuit: nam inde potisſimum famam atque exiſtimationem illam acquiſivit, qua fretus, novam ſuam doctrinam commentus eſt.

IV. * *Primus omnium de metallis ac lapidibus philoſophiam excolere*-- Auctor nunc ſcriptores de metallis & Lapidibus conjungit: quod plerique de his omnibus, id eſt foſſibilibus in univerſum commentati ſunt. Commodum autem hic erit monere, doctrinam de virtutibus Gemmarum Græcis pene ignotam, ab Arabibus videri maximam partem promanaſſe. Hi enim compoſitionibus officinalibus, cordialibus imprimis, niſi gemmas addiderint, non bene rem geſſiſſe videntur mihi fuiſſe perſuaſi. Noſtri deinde & ſuperioris ævi etiam doctiſſimi viri ſuo ſuffragio hanc rem comprobarunt: Chemici illi priores aureos montes inde polliceri, quintasque eſſentias ac tincturas ex iis elicere auſi ſunt. Quemadmodum vero hujus temerarii conatus vanitas non diu potuit latere, ita nunc de illis quoque facultatibus, quas olim iis adſcribebant ipſi Galenici, â plerisque admodum dubitatur, aut ſi quid veri ſubeſſe creditur, idem tamen ex aliis vilioris pretii & facilioris apparatus ſperari poſſe, non ſine cauſa exiſtimatur: Itaque paucas hodie gemmas in uſum trahere opus eſt: neque Alberto Magno, Mizaldo, J. Baptiſtæ Portæ aliisque, virtutes earum medicinales jactantibus fidendum. Multo prudentius cæteris in hoc opere ſe videtur geſſiſſe Anſhelmus Boëtius, neque tamen & is ſatis ſibi cavet aut ab hyperbolicis encomiis gemmarum temperat: ſecutus nempe præeuntium doctorum gregem, quibus fidem habebat, ipſe rerum iſtarum minime peritus. Extat hodie incomparabilis naturæ Miſtæ, *Roberti Boylii libellus de Gemmis*, ex quo ſolidam naturæ earum haurire licet ſcientiam, quamvis in tanta brevitate ad ſpecialia raro potuerit ſe demittere.

* * *Georgium Agricolam.* Hic vir, decus univerſæ Germaniæ, deque re metallica optime meritus, laudari ſatis nunquam poteſt: tanta eſt terſi ſermonis in re difficillima nitor ac puritas; tanta eruditionis ubertas, felicitas ingenii, judicii

dicii vis: ut si absque hujus esset labore, multi de re metallica vel tacuissent, vel parcius deteriusque essent locuti. Juvat imagini ipsius subscriptum elegans, ut erat Poeta felicissimus, auctoris elogium, gratæ mentis documentum, commemorare.

Quicquid Grajugenum, quicquid Romana vetustas
Metallicæ noscit rei,
Quicquid Grajugenum quicquid Romana vetustas
Metallicæ nescit rei,
Pondera, mensuras, atque ipsa arcana medendi,
Et Misnidum vices soli,
Cuncta hæc & multo plura his scis magne Ceorgi,
Hoc unus omne tu doces,
Lingua par Columellæ ipsi, facundior ipso,
O grande seculi decus!

Possunt autem ex *Erkeri* scriptis ac *Lehneisenii* quoque proficere lectores: sed cum Agricolæ oceano hi rivuli non sunt comparandi. Et hi quidem universam hanc doctrinam, aut magnam ejus partem scriptis illustrarunt, sunt vero præter eos & alii recentiores, qui de una aut altera tantum rerum metallicarum commentarios concinnarunt. Ita *de Sale* pereruditam dissertationem habemus *ipsius auctoris.* De eodem longe prolixius scripsit *Mathias Unzerus* Medicus Halensis: Idem vero etiam de *Sulphure & Mercurio.* *De Vitriolo* perdoctus extat tractatus *Angli Salæ*, illius quem primum ex Chemicis delirare desiisse, alibi auctor censet. De Vitriolo scripsit etiam *Raymundus Mindererus* Augustanus, cujus supra etiam auctor, fecit mentionem. Ad medicam vero cognitionem pertinent præ ceteris laudatissimi sæpius *Rolfintii disputationes Chemicæ sex*, quibus egit *de auro & argento*, *ferro & cupro*, *antimonio*, *tartaro*, *sulphure & margaritis.* In has enim pleraque omnia quæ ex iis præparari aut peti solent, congessit. Peregregius quoque est liber *Canepari de Atramentis*, in Italia editus, multis hodie quæsitus, paucis intellectus: plenus enim eruditionis antiquæ: ad Grammaticam tamen potius & Philosophicam scientiam quam medicinam facit. Ante aliquot

annos editus est quoque libellus de metallis *Albari Alonsi Barbæ*, Hispani, ex ea lingua in vernaculam nostram translatus, sed qui itidem neque ad hanc, neque ad ipsam etiam philosophicam notitiam multum adeo potest prodesse: scripsit enim suis in India degentibus Metallicæ rei præfectis, adeoque Metallurgum potius instruit, quam artis medicæ cultorem; altera præsertim parte. Accedit, quod imperitia interpretis opusculum ex se parvi pretii, misere deturpavit, neque enim ipse quæ vertit intellexit, neque ab aliis intelligi potest. Non autem hic solus est eo nomine reprehendendus, sed ingentem habet sociorum numerum: Qui sunt fructus bibliopolarum ignaviæ & sorditæ avaritiæ, qui dum librum ex alio sermone in nostrum cupiunt transcribi, non idoneos habere interpretes solliciti sunt, sed exigui pretii: quemvis igitur ex plebe ad id conducunt, & ut quam citissime rem expediat urgent, sollicitant, cogunt; bene an male, parum curant, nec si exigias, intelligunt. Sic miseri isti, & rerum & verborum inopes inviti jubentur in utramque linguam peccare: Sed hæc non jam ad nos: extorsit tamen commune malum hanc in rem pessimi exempli querelam.

V. ✠ Ad hunc ordinem referendi, qui de acidulis nostris temporibus scripsere. Ex quibus sunt Gallorum non pauci, Regni illius florentissimi aquas scrutati. Nuperorum unus est *Petrus Giurius*, qui de Pruvinensibus potissimum acidulis, quod ibi vitam degat, deinde & de Spadensibus, Pugensibus, Forgensibus aliisque Galliæ fontibus egit in tractatu quem Arcanum acidularum inscripsit: in contenta metallica istorum & naturam contentorum etiam inquirit: Etsi vero tam certus rerum suarum, sibi esse videatur, ut etiam in Dei singularem illuminationem inventa sua referre non dubitet, æternoque Numini opus quoque illud suum inscribat, longe tamen infra expectationem sunt, quæ depromit: Ut enim nugis Paracelsicis & quinque illis jamdudum abunde â medicis veræ eruditionis explosis principiis strictim inhæret, ita fallaciis consequentiarum adeo refertum est opusculum, ut ne quidem aluminis ali-

quid inesse istis aquis: (quod tamen præcipuum est, quod sibi ostendendum sumsit) ex suis argumentis perspici queat: ita ut epistolæ subnexæ, quibus impugnant istas hypotheses eruditi Gallorum ipso libro prope sint meliores, præsertim quæ Cattierii præferunt nomen, doctissimæ, & quibus respondendis impar fuit Giurius. Haut paulo rectius se habent quæ nomine *Academiæ Regalis eruditorum publicavit Closeus experimenta:* Qui liber etiam normæ instar iis esse posset, qui deinceps sese in examinandis aquis metallicis occupare voluerint: omnes enim modos quibus possunt ad examen istæ revocari enarrat, quot quidem eorum adhuc potuerunt excogitari, ut vel hoc uno nomine sit commendandus. Dignus autem is conatus est tantis auctoribus, quum non unam atque alteram, sed quotquot per universam Galliam celebres sunt, aquas metallicas sibi sumserint examinandas; id tantum forte quis desideret, quod nimis fiat brevis enarratio de singulis ubi agitur: sed cum non nisi res in illustri Academia gestas referre studeat Closeus, id quoque vitio dari non potest. Reliqui, qui de una aut altera separatim egerunt, sunt laudatus modo *Cattierius*, qui thermas Porbonenses explicat, & qui ab ipso citantur *Joannes Banc Medicus Molinensis, cujus est Nova commemoratio admirandorum in aquis mineralibus, Antius* item *Faber de aquis mineralibus regionis Vivarez*, & *Piduxius de usu fontium Pugeacorum:* Hi tamen omnes vernacula lingua suos libellos edidere. Ex nostris sunt præter jam commemoratos, *Helvicus Dietericus* Archiater Darmstadiensis, qui edidit *Responsa doctissimorum totius Germaniæ medicorum de facultatibus Acidularum Sualbacensium:* sed ista jamdudum prodiere: Recentior de iisdem est *Joh. Daniel. Horstii* expositio. *De Egranis Martinus Meyerus* egit; *de Pyrmontanis* primo *Polmarius* Medicus Hamelensis, & dein nuper adeo *Cuneus:* De *Wisensi* (Vom Wiesenbad) *Gobelius* in *Hydriatria: De thermis Ferinis Encianis Ducatus Wirtembergici* (Vom Wildbad) *Joh. Deucerus.* Habemus etiam ex prioribus illis *Johannis Baubini Historiam fontis Bollensis, sive de aquis medicatis novam methodum, ubi de fontibus* (ut quidem est titulus) *celebribus, Thermis, & Balneis universæ*

versa Europæ, & potissimum Ducatus Wirtembergici agitur: opus longe eruditissimum, & varia doctrina totum refertum, sed quod latius se quam ad aquas medicatas extendit. Prodiit jamtum initio hujus seculi. His alii per otium erunt addendi.

VII. ✠ *Fuerunt autem jam olim Ægyptiis Magis ejusmodi remedia usitata.* Nullius rei quam animalium in medicina major abusus fuit: non enim viscera tantum ad Magiam & artes Diabolicas traxerunt orci ministri, sed & fœtida & absurda quælibet, sine dubio suasu oraculorm ac dæmonum, immundarum rerum amantissimorum, miseris mortalibus venerunt in usum. Qui enim alias, ut tam absurda & extremæ turpitudinis remedia devorassent, potuissent persuaderi? idque in experimentum tantum, cum hoc tempore vix decocta & infusa, experientia & ratione dudum probata, sine magno tædio & renitentia assumantur. Horrenda sunt quæ in *Galeni Libri de simpl. Medic. Facultatibus decimi* prooemio de Xenocrate quodam leguntur, qui librum scripsit περὶ τῆς ἀπὸ τῶν ζώων ὠφελείας sive *De utilitate ab animalibus percipienda, id est, de Medicamentis ex animalibus petitis.* Liceat locum, in tam rara Galeni lectione haut facile cuivis notum, integrum, prolixum licet, adscribere: *Ingenue*, inquit, *fateor, complura esse tum partium, tum liquorum in animantium corporibus comprehensorum, quorum nullius ejusmodi feci periculum, cujusmodi quidam scriptum reliquerunt. Siquidem quædam abominanda, detestandaque sunt, quædam etiam legibus vetita: De quibus haut scio, quo pacto scribere licuit* Xenocrati, *homini non olim nato, sed avorum nostrorum seculo, cum imperium Romanum hominibus vesci vetuisset. Atque ille sane, tanquam ipse fuisset expertus, magna profecto fiducia scribit, quosnam affectus curare valeat comesum cerebrum, aut carnes; aut jecur humanum, quos autem capitis, suræ, aut digitorum ossa, partim usta, partim ustionem non experta; quæ denique & sanguis. Sed hæc sane tametsi contra leges sunt, non tamen sunt fœda atque abominanda. At potio sudoris, aut urinæ, aut mensium mulieris abominanda detestandaque est: atque horum imprimis stercus; quod tamen scribit Xenocrates, si oris aut gutturis partibus inungatur, & in ventrem devoretur, quid præstare valeat. Scripsit etiam*

de aurium sordibus devorandis. At ego ne has quidem unquam devorare sustineam, ne si in toto quidem morbo deinceps liber degerem. Atque his etiam magis abominandum puto stercus, estque gravius probrum homini modesto, audire κοπρόφαγον, hoc est, stercorivorum, quem fellatorem aut cinædum, & inter fellatores magis execramur qui Phænicissant, quam qui Lesbiantur. Cui non dissimile mihi videtur perpeti qui menses bibere sustinet. Itaque horum nemo periculum facere non aversabitur; hominum certe secundum naturam habentium. Neque insuper eorum quæ, tametsi modestiora videantur, tamen etiam fœda sunt, nempe partem aliquam corporis stercoris inungi perpeti, ob affectum scilicet, si quem patiatur; aut humano semine, id quod γόνον hoc est genituram appellare solet Xenocrates, summaque diligentia distinguit, quænam ipsa genitura sola illita juvare queat; quæ vero, ubi ex sinu mulieris post coitum viri effluxerit. Nam ingens sit medicamentorum penuria oportet, ubi quis, quo Chimetbla, sive perniones curet, viri semen conquirere cogitur, quod in mulieris congressu intus non remansit, verum effluxit atque effusum est. Atque pleraque sane ejusmodi materiæ species est in iis quæ de utilitate ab animalibus percipienda ab illo sunt conscripta: siquidem non quam vim habeat epota urina, aut devoratum illitumve oris partibus stercus duntaxat hominis enarrat, verum etiam aliorum cujusque animalium; atque alia etiam non pauca rarorum & paratu difficilium. Non dissimilia iis quæ à Xenocrate scripta sunt, & ab aliis prodita sunt de animalibus, ex quibus & ipse Xenocrates pleraque exscripsit. Nam unde illi tantarum, taliumque rerum experiendarum fuisset copia? Hactenus Galeni verba: ex quibus simul de fœdis illis vetitisque remediis & de Xenocratis libro potest constare. Nos ergo tametsi non omnia animalium excrementa rejicimus, utpote quibus est notum quid bubulum in refrigerando ac dispellendo, suillum in hæmorrhagiis, alia in podagra, ipsumque humanum in serpentis cujusdam Indici morsu, (in quo id unicum & catholicum est remedium) valeant, non tamen existimamus esse cur hunc interiisse doleamus: potius gaudemus tam absurda perlegendi nobis necessitatem non amplius imponi, quamvis non dissimilia vetulis nostris ad varias res expeti, non

non posſimus ire inficias. Eſt autem is Xenocrates non alius quam Alphrodinenſis ille, qui eidem *Galeno ſexto de ſimpl. Facultatibus vocatur* ἄνθρωπος τ' ἄλλα περίεργος ἱκανῶς καὶ γοητείας οὐκ ἀπηλλαγμένος i. e. *homo cum in aliis ſupra modum curioſus, tum à goëtia ſive præſtigiatura non alienus.* Quo ipſo conjectura noſtra de origine uſus horum remediorum haut parum confirmatur.

✠ ✠ *Ulyſſem Aldrovandum.* Immenſi laboris opus. Fuit enim Aldrovandus vir diligentiſſimus & extremam attigit ætatem, annum ſcilicet ſupra octuageſimum tertium. Apparet viri curioſitas ex ejus Muſeo, quod Bononiæ in Palatio Illuſtris Pontificis Legati etiamnum ſpectatur: juſſit enim ibi aſſervari poſt obitum Aldrovandus, quo appareat non ſine rerum documentis eum ſcripſiſſe. Ingentem ibi videas rerum naturalium congeriem: animalia, mineralia, metallica, lapides, terreſtria, marina, quæ modo potuere ab interitu vindicari, ibi cernuntur: ſed & bibliotheca lectisſima: & miro artificio, ſuavisſima colorum exactaque varietate plantarum genus omne ad vivum depictum, decem grandia volumina implet. In aliis animalia extant eodem artificio repræſentata. Sed fidem ſuperant ter centum ampla volumina manu ipſius, ut aſſeverabant ſpectanti, exarata. Hinc natum nobis ingens & eruditum illud opus: Quod deinde in compendium redegit Ionſtonius, ut uno intuitu ſpectari poſſit ac legi, quod in ipſo continetur omne, additis figuris inſuper æri inciſis elegantisſimis: Non tamen omnes quæ in Aldrovando ſunt, ſed præcipuas tantum expresſit. At in textu etiam compendii virtutes meritò deſideres, cum non ſatis exacto judicio eſſet uſus. De ipſo Aldrovando notandum, editionem Francofurtenſem umbram eſſe præ Italica, quæ ſplendidisſima, decem conſtat voluminibus, & figuris ad miraculum pulchris & exactis, ſed rara eſt, ideoque maximo etiam, ubi reperitur, venditur pretio. Præter allegatos auctores plurima, præſertim quoad Grammaticam notitiam, conferre poſſunt etiam Catalogi rerum naturalium quæ in Muſeis aliorum eruditorum virorum conſpiciuntur: quales habemus *Olai Wormii*

mii, *Calceolarii*, *Septalii Mediolanensis*, *Gottorfiensis Rarothecii*, & similium. De quibus in universum vernacula lingua egregium opus exorsus est vir facundia, ingenii fertilitate, & ingenti multarum rerum peritia nemini secundus *Joh. Daniel Major*, Kiloniensis Medicæ artis Professor, quod ubi ad umbilicum erit perductum, non exiguæ erit utilitatis, instar indicis enim erit omnium Pinacothecarum: ut igitur absolvat, publico nomine hic debita observantia eum compellamus. Extat etiam *Thomæ Mouffeti insectorum theatrum*: Cui addendum merito *Joannis Svvammerdammii* de insectis opus, &, si ad individua ire licet, celeberrimi *Malpighii de Bombyce*. Curiosa etiam sunt quæ nuper adeo ornatissima fœmina, maximæq; industriæ *Maria Sybilla Grafia*, celebratissimi illius artificis *Meriani filia* De Insectis propria experientia comperta Francofurti publicavit: opus tam elegans & gratum oculis æque mentibusque elegantius doctorum, ut non satis possit deprædicari, non enim unquam vidit orbis imagines curiosius æri incisas. Sed in his omnibus pauca reperias ad medicinam faciendam utilia: verum & ea quæ habemus ejus generis, ita comparata sunt, ut multa vel superstitionis vel falsitatis possint accusari. Itaque omnino legenda Paralipomena illa doctissimi Hofmanni, ubi haut paucos errores indicavit: tum excerpenda etiam quæ *Daniel Ludovici* de his monuit. Reliqua cum judicio & grano salis sunt accipienda, omnia vero subjicienda experientiæ: nisi tamen absurditas prima statim fronte appareat: veluti tunicarum stomachi Gallinacei in ventriculi imbecillitate commendatio. Quamvis post experimentum nuper in Ephemeridibus Nat. Cur. anni LXXXIV. proditum de Leporis vesica & urina in calculo pellendo, quid non credi possit, certe vix scio; audacia plenum vero foret asserere, forte fortuna eum effectum fuisse consecutum.

Et sic etiam de his peregimus: Unum tamen addendum restat, in Baconis Verulamii laudem. Videlicet is cum scientias atq; artes promovendas omni studio atque opera constituisset, inter alia monita peregregia, id quoque agendum censuit, persuasitque eruditis, ut ad excolendam ulterius scientiam naturalem cujuslibet

bet regionis nativorum omnis generis metallorum, mediorum mineralium, plantarum, animalium, exactam scriberent historiam, vel saltim catalagos suo quisque loco ederent. Quod institutum secuti quoque sunt cumprimis conterranei ejus, ediditque mox *Joh. Childreus*, sed sua lingua usus, *Britanniam Botanicam, sive Rariora naturalia Angliæ Scotiæ & Valesiæ:* ubi quicquid in singulis provinciis notatu dignum, utilissima serie exponit. Cui jungi potest itidem Anglice composita *Gerardi Bootii Historia Islandiæ*, in qua etiam de mineralibus & metallis agit. Prodiit item *Roberti Sibaldi* nuperrime *Scotia illustrata*, sive prodromus Historiæ naturalis splendidissimus, charta regali Edinburgi impressus, cui si respondet opus ipsum, habebit sane quod de tam egregio Historiographo Scotia sibi gratuletur. Reliqui Europæ populi de universarum regionum naturalibus describendis fuerunt hactenus minus solliciti: particulatim tamen aliqua prodiere: Silesiaca animalia, metalla, plantas, tribus distinctis libris erudite exposuit *Casparus Schvvenckfeld*, idem ille qui de Thermis Hirsbergensibus: Hildesiæ naturalia Fossilia *Fridericus Lachmund.* In his haut postremo loco erat memoranda *Johannis Bauhini* Magni illius Botanici *Historia Fontis Bollensis*, supra nobis laudata, cujus totus liber quartus in enarrandis Lapidibus, metallis, stirpibus, insectis, avibus, aliisque animalibus occupatus est, additis iconibus pulcherrimis. Qui omnes sedulo conquirendi sunt rerum naturalium cultoribus, una cum Catalogis Museorum. Mire enim horum cognitio his ac similibus juvatur.

CAPUT X.
DE
RE BOTANICA EJUSDEMQUE SCRIPTORIBUS.

THESIS

THESIS I.

PRogrediendum jam eſt ad botanica: de quibus longe plura dicenda venient, tum quod & ſtirpium longe major numerus ſit atque metallicorum eorumve quæ in medicum uſum ex animalibus petuntur, tum etiam quod naturæ noſtræ multum illæ ſint convenientiores, adeoque ad ſanitatem longe magis expetantur.

II. Vbi ſtatim illud repetendum quod ſuperius expoſuimus, ut reliquorum ſimplicium, ita & plantarum triplicem potiſſimum eſſe notitiam, Grammaticam ſcilicet, Philoſophicam, & Medicam. Grammaticam autem plantarum cognitionem merito appellaveris omnem illam earum notitiam, quæ cujuslibet plantæ proprio nomine abſolvitur. Etſi enim perampla & ſatis difficilis ſit hæc peritia, in ſe tamen conſiderata, intra nominum ſive vocabulorum ſcientiam pene illam conſiſtere videmus. Sunt vero plantarum nomina alia vetera, quæ in antiquorum partim Græcorum partim Latinorum, partim denique Arabum ſcriptis reperiuntur: alia recentiora, & vel à noſtri temporis præclaris Botanicis iis indita, vel in vernaculis linguis pasſim etiam vulgo uſitata.

III. Vt vero de vernaculis appellationibus nunc non agamus, & de iis tantum, quæ à Botanicis impoſitæ ſunt, pro inſtituti ratione dicamus; & ipſam tamen valde diffuſam neque adeo facilem eſſe conſtat. Nimirum ex quo avorum memoria res herbaria ſolito magis excoli iterum cœpit, cum ab aliis, tum præcipue in Italia quidem ab Hermolao Barbaro Veneto, viro de omni bona eruditione præclare merito, Aloiſio Anguillara Patavino, Luca Ghino Bononienſi, Petro Andrea Matthiolo Senenſi, Mel-

chiore

chiore Guilandino, Borusso quidem, sed qui Patavii vixit, Andrea Cæsalpino Aretino, Joanne Pona Veronensi, Ulysse Aldrovando Bononiensi; in Gallia vero à Joanne Ruellio Svessionensi & Jacobo Dalechampio Cadomensi; in Germania porro à Conrado Gesnero Tigurino, viro illo publicum bonum juvandi usque adeo studioso, Leonhardo Fuchsio Tubingensi, Hieronymo Trago, hujusque discipulo Jacobo Theodoro Tabernæmontano, Euricio & Valerio Cordis, Joachimo Camerario; in Belgio denique è Carolo Clusio Atrebatensi, Matthia Lobelio Insulano, & Remberto Dodonæo Mechliniensi: ex eo inquam una eademque planta variis nominibus à doctissimis illis viris cœpit usurpari, ita ut qui unum legat, alterum vix intelligat; quod ipsum quam vel hanc levem plantarum notitiam remoretur, facile perspicere est.

IV. Major adhuc difficultas deprehenditur in cognitione priscorum nominum: quæ tamen ars nostra minime carere potest; ceu infra apparebit. Scilicet multorum simplicium laudes Medicina accepit, à Theophrasto Eresio, Dioscoride, Galeno, Græcis; à Cornelio Celso, Plinio, aliis Latinis; à Serapione, Avicenna ac similibus Arabibus scriptoribus. Valde vero difficile est cognitu, quænam illa sint veteribus ita laudata, & quibusnam plantis inter manus nostras versantibus antiqua illa nomina & laudes competant. Neque negari potest ab officinis multa non olim tantum, sed hodieque etiam sub veteribus illis nominibus falso vendi. Quod ipsum non potest non cum insigni Artis medicæ detrimento esse conjunctum. Non possunt autem veterum scripta multis in locis intelligi, nisi vetera illa nomina nostris plantis imponere accurate noveris.

V. Non parum porro hanc Grammaticam planta-

rum cognitionem difficilem reddit earundem tantum non infinita multitudo. Quo accedit, quod eædem plantæ non raro faciem suam pro diversa ætatis & soli in quo crescunt ratione, multum immutent. Tam amplum autem plantarum numerum ita memoria tenere, ut simulac oculis aliqua objecta fuerit, unaquæque suo nomine appellari possit, memoriæ profecto res est ingentis.

VI. Quanquam vero difficultates hæ sic satis sint magnæ, non desunt tamen rationes & modi, quibus si firmiter insistas, magna ex parte te hinc possis extricare. Et quidem ut memoria figuras singularum plantarum comprehendas, faciendum est id, quod in aliis rebus memoriæ mandandis observari debet; videlicet uti plantas vel ipsas vel certe veras figuras & effigies earum diligenter & cum industria tractes. Ne vero plantarum varia illa facie, quam ætas efficit, decipiaris, diligenter observandum fuerit, quomodo singulis ætatibus suis sese plantæ habeant, & quas mutationes patiantur. Vnde patet in illum finem perreptandos esse montes, sylvas & convalles scrutandas, lacus etiam & stagna esse pervestigenda; atque ita hinc inde omnifarii generis plantas conquirendas. Quin & peregrinis in locis idem faciendum: cumprimis vero sectanda illa loca, quæ vario plantarum proventu præ reliquis fœcunda sunt. Etsi enim nulla fere terra suas non habeat plantas; attamen non omnis fert omnia tellus, & sunt nonnulla loca plantarum fœcunditate præ aliis maxime insignia.

VII. Sunt autem ejusmodi loca alia arte in id exculta, alia vero nativa dote instructa. Prioris ordinis sunt cum alii horti, tum præcipue quidam huic potissimum usui dicati. Quum enim avorum memoria res botanica

reflo-

reflorescere cœpisset, egregio profecto & nunquam satis laudabili consilio nonnulli maximis sumtibus struere cœperunt hortos copioso herbarum proventu nobiles. Inter quos omnium primus impensis Senatus Veneti constructus est hortus Patavinus, urgentibus negotium Francisco Bonafide & Daniele Barbaro Patriarcha Aquilegiensi. Cui etiam primus præfectus datus est ille ipse Bonafides, ut non possimus satis mirari Petrum Castellum lib. cui titulum fecit *Optimi Medici sect. X.* illum *celeberrimum hortum primum à nescio quo anno 1540. constructum esse* scribere. Successit autem Bonafidæ Aloisius Mundella Brixianus, antehac Romanus Botanicus: qui successorem nactus est Aloisium Anguillaram, Lucæ Ghini (quem primum Pisani horti præfectum fuisse Castellus refert) discipulum. Huic quarto loco Melchior Guilandinus successit; quem quinto sequutus est Jacobus Antonius Cortusius Patricius Patavinus; uti hunc sexto prosper Alpinus; quem septimo excepit Joannes Prævotius teste Castello, & denique Joannes Weslingius noster. Sunt autem omnes hi singulari herbarum peritia & editis scriptis clarissimi. Exemplo Patavino incitatus similem hortum construi fecit Cosmus Medices Magnus Dux Florentiæ, heros & virtute & ingenio maximus; eique præfecit Andream Cæsalpinum, cujus de plantis præclarissimum opus extat.

IIX. In Gallia quoque & quidem Montepessuli longe majoribus sumtibus similis hortus constructus est; quem deinde per obsidionem urbis corruptum Henricus IV. Rex donatis octies decies mille florenis mirifice fecit reparari. Majori adhuc sumptu & cura ante paucos annos construi cœpit Parisiis hortus longe amplissimus, ri-

vis, collibus, ſtagnis & convallibus variis inſtructus, ſtudio Claudii de la Broſſe: adeo ingenti liberalitate Ludovici XIV. Regis, ut feratur hortus viginti millium francorum annuo reditu donatus: præfecto hortenſi curæ Joanne Robino Botanico celeberrimo. Conſimilis hortus mirificis impenſis Oxonii quoque in Anglia exſtrui cœpit. *

IX. Ne Germaniæ quoque hæc laus deeſſet cautum eſt ampliſſimi Senatus Norimbergenſis cura per Ludovicum Jungermannum, virum herbariæ rei peritiſſimum, ſuperiori demum ætate octuagenario majorem extinctum, horto amplisſimo inſtructo Altorfii. Quod exemplum Academia Jenenſis ſequuta eſt. Inſignem porro jam dudum famam meruit ſimilis hortus in Batavis ſtudio Petri Pavii adornatus: cujus herbarum catalogum non adeo pridem Iſagogæ in rem herbariam Adriani Spigelii adjecit alter horti illius poſt Pavium præfectus Adolphus Vorſtius. Poteſt etiam haud levi ex parte in ſimilem uſum nobis eſſe hortus Heſſenſis noſter; etſi eandem cum reliquis laudem non mereatur. * ** ***

X. Præter hortos ſunt & loca complura plantarum omnis generis perfœcunda: quo nomine etiam paſſim quædam præ aliis jam tum inclaruerunt. In Italia inſigni fama eſt mons Baldus in agro Veronenſi ſitus; cujus plantas omnes poſt Franciſcum Caleolarium Veronenſem virum optimum & φιλοβοτανώτατον ſingulari libello enumeravit Joannes Pona Pharmacopæus Veronenſis doctisſimus. Quod opuſculum Carolus Cluſius dignum cenſuit, quod ſuis voluminibus inſereret. Eſt autem ſecunda vice Baſileæ & auctius & emendatius editum. Similia loca etiam habet Germania noſtra. Ita plantas in Helveticis montibus prope Bernam creſcentes enarravit Benedictus

Aretius;

Aretius: circa Basileam nascentes Caspar Bauhinus: quæ
* circa Altorfium reperiuntur Ludovicus Jungermannus: Borussicas Joannes Wigandus: quæ in agro Dantiscano proveniunt Joachimus Olhafius: quæ in Brunsvvicensi Joannes Chemnicius: sicuti quas mons Bructerus & vicina quædam loca gignunt, Joannes Royerus hortulanus Hessensis. Cumprimis vero stirpium ferax est Hercynia sylva, quas peculiari libello descripsit Joannes Thalius Medicus Northusanus.
** Sed & Helmstadiensi nostro agro vicina nemora plantis præ aliis locis sunt fœcunda. Galli præcipua fama celebrant Narbonensem agrum, & seorsim quidem loca quæ
*** cira Monspelium & Sedanum sunt. Quanquam vero hujusmodi loca plus reliquis stirpium promant; reperire tamen alibi licet quæ fœcundissimis hisce locis desiderantur.

XI. Quamvis vero hæc & similia loca in stirpium cognitionem nos potissimum deducant, utpote in quibus plantas nativo suo solo & succo adhuc gaudentes spectare liceat: est tamen & alia ratio & via ad ejusmodi cognitionem perveniendi; si scilicet siccas stirpes, apte tamen compositas crebro inspicias & sedulo verses. Neque vero quenquam latet, omnis generis plantas artificiose exsiccari & in libris disponi posse, ita ut illæ quoque pleraque oculis exponere queant, quæ in viridibus observantur. Cujusmodi libri vulgo *herbaria viva*, Adriano Spigelio *horti hyemales* minus tamen felici appellatione usurpantur. Neque parandorum illorum difficilis adeo ars est: quam satis perspicue tum Spigelius Isagoge in rem herbariam, tum singulari libello Guilielmus Laurembergius exposuerunt.

XII. Sane hoc maxime multos sollicitos habere
* debet, de ordine nempe observando, non est quod hujus

quidem rei cura tyronem distineat, quum ad rudem illam collectionem quilibet ordo satis sit; & si aliquis servandus est, facile ille teneri possit quem Laurembergius commendavit. Quod autem in herbis siccis cognoscendis istiusmodi libri præstant, idem μυροπώλια & φαρμακοπώλια instructa largiuntur, in exoticis cumprimis, lignis, radicibus, seminibus, & fructibus. In illis certe officinis horum omnium copiam affatim habere licet, præsertim si iis locis vivas, ubi id generis commercia exercentur. In rem sane tyronis fuerit, vel in officinis illis ejusmodi simplicia sæpe versare & inspicere, vel sibi ipsi quasi supellectilem aliquam ejus generis comparare. Ita enim in his quidem non minus proficere poterit, quam in aliis stirpibus ex vivis illis herbariis. **

XIII. Porro & alia adhuc datur ratio, minoris licet commodi ad cognitionem illam stirpium, qua de nunc agimus, pertingendi; per effigies videlicet stirpium ad vivum sive depictas, sive alias efformatas. * Quanquam enim majorum nostrorum ætas hac re minus fuerit instructa, abhinc centum tamen pene annis mirifice hoc ipsum excultum est. Et quidem omnium primi in id incumbere cœperunt *Hieronymus Tragus*, *Leonhardus Fuchsius*, *Petrus Andreas Matthiolus*, & *Conradus Gesnerus*. ** Cæterum Tragi historia continet tantum hujusmodi icones DLXVII. easque minus eleganter efformatas. Fuchsius vero DXVI. tantum quidem edidit, at elegantius tamen depictas. Longe plures & comptiores exhibet editio Italica commentariorum Matthioli in Dioscoridem, utpote quæ MDLXVIII. icones contineat: *** quot numero etiam in aliis editionibus istorum commentariorum reperiuntur, minus tamen elegantes. Quin & Germanicæ versionis editio à Camerario

* 4 rio curata figuras CXXIII. adjecit, immo & Bauhini editio figuras CCCXXX. addidit, ut ita editio illa exhibeat MDCCCXCIIX. ſtirpium icones. Singulari quadam nec alias uſitata ratione icones ſtirpium depingi & ſculpi fecit Conradus Geſnerus, plantas in partes dividendo, & ſingula ſeorſim ſpectanda exhibendo. Quanquam vero ipſemet operi immortuus nihil horum ediderit, eas tamen imagines poſtea nactus Joachimus Camerarius in epitome Matthioli exhibuit, adjectis plusquam mille aliis ad ſimilem modum confectis.

XIX. Communem rationem ſunt ſequuti viri doctiſſimi & in herbaria re exercitatiſſimi, *Matthias Lobelius*, *Rembertus Dodonæus*, & *Carolus Cluſius*: quorum hic duobus poſterioribus ſui herbarii libris præter multas exoticas plantas, piſces, aves & alia animalia deſcripſit. Icones autem horum Chriſtophorus Plantinus hujusque gener Raphelengius ſculpi curavit: quæ cauſſa eſt, quod eædem prorſus plerumque in horum ſcriptis occurrant. Et quidem Lobelii hiſtoria, quæ Antvverpiæ anno ſuperioris ſeculi ſeptuageſimo ſexto prodiit, figuras MCCCCLXXVI. exhibet: Dodonæi vero itidem Antvverpienſis ejusdem ſeculi octuageſimo tertio anno evulgata MCCCVIII. Reperire
* autem eſt in his duobus ſcriptoribus plantas paſſim occurrentes & maxima ex parte vulgares. At vero Cluſii hiſtoria, quæ ibidem anno hujus ſeculi primo exiit, rariorum ſtirpium figuras dat MCXXXV; uti ejusdem exoticum opus CXCIV. Unde patet in horum trium voluminibus ingentem plantarum numerum optime depingi. Cluſius certe ſi quis alius inſignem Botanices peritiam tenuit; cujus comparandæ ergo Germaniam, Galliam, Italiam, aliasque regiones peragravit: Medice tamen plantas non tam deſcri-

describsit, quam historice sive potius Grammatice. Plures, & quidem Germanicarum maxime stirpium imagines satis accurate depictas exhibuit nobis Jacobus Theodorus Tabernæmontanus, (qui magis tamen se plantarum virtutibus cognoscendis dedit,) utpote in cujus opere figuras MMLXXXVII. spectare liceat. Quibus plures de suo adjecit Caspar Bauhinus editione operis Tabernæmontani altera; ut proinde hoc opus hac quidem in re facile præ reliquis omnibus palmam obtineat. Nec fraudanda sua laude venit universalis plantarum historia, quæ duobus vastis voluminibus Lugduni in Galliis superiori seculo prodiit, habens scilicet MMDCLXXXVI figuras. Rectissime autem à Casp. Bauhino singulari libro animadversum est: CCCC circiter figuras in illo opere bis terve repeti; alias ipsis plantis non respondere, alias vitio laborare. Digna sunt notatu, quæ de eodem illo opere Thuanus *lib. II. vitæ suæ* memorat. *Lugduni*, inquit, *Tornasii & Rovilli librariorum Apothecas evolvit, & Jacobum Dalechampium vidit, qui tunc in suo Plinio occupabatur, & herbario à Rouillio instituto dabat operam, quo in id observandum, quod ab ipso Dalechampio rescivit, & ut omnes sciant, publicæ utilitatis interest, opus illud à diversis triginta annorum fere spatio congestum & concinnatum esse, & typis majorem partem mandatum, cum Dalechampius ei ultimam manum imposuit, quo factum ut quædam accuratius, quædam minus diligenter scripta, quædam etiam repetita & interpolata reperiantur, ita tamen ut postrema semper sint meliora.* Hæc Thuanus.

XV. Præter hos vero scriptores, qui pene omnium stirpium imagines nobis tradere allaborarunt, sunt nonnulli qui seorsim noviter sibi observatas aut rectius expressas depinxe-

pinxerunt; qui itidem imaginum gratia saltim in nonnullis merentur consuli. Ejus generis cum alii libri sunt, tum *Hortus floridus Crispini Passæi* junioris; in quo rariorum & minus vulgarium florum icones CCCXXV. ad vivam veramque formam accuratissime delineatæ & secundum quatuor anni tempora divisæ exhibentur. Huc pertinet *Horti Eichstetensis* descriptio figuras MLXXXIII. continens: nec non *Emanuelis Swveertii Septimontii Batavi Florilegium* Francofurti evulgatum: *descriptio* item accurata *Montis Baldi Joannis Ponæ.* Ejusdem generis sunt *Prosperi Alpini de plantis Ægyptiis*, *item de Exoticis libri*, à filio ejus anno hujus seculi
* vigesimo octavo editi: in quo posteriori opere Cretenses stirpes præcipue spectantur. Quo facit & *Jacobi Cornuti Parisiensis liber, quo herbæ Canadenses satis egregie & descriptæ & depictæ sunt*, ante paucos annos editus. Spectant huc itidem nonnulla ex *Leonhardi Rauwolffii Augustani Itinerario Orientis*, quæ ad cognitionem Grammaticam plurimum conducunt. *Plantarum* denique *Ægyptiarum imagines* hactenus non visas haud adeo pridem elegantissimo libello propalavit *Joannes Veslingius* noster. Quin & *Caspar Bauhinus in Prodromo Theatri* sui *Botanici* novas plantarum à se primum descriptarum imagines CXL. exhibuit. Qui idem sine dubio in magno suo Theatro plures quam quisquam alius nobis ostendisset, nisi tanti operis editionem & maximi viri mors, & graves illæ, quæ hactenus Germaniæ nostræ nimium incubuerunt, tempestates sufflaminassent: quam tamen à filio ipsius cœptam esse à
** fide dignis accepimus. Procul dubio vero non parum locupletaretur iste thesaurus, si typis rite ederentur picturæ illæ imaginum *plantarum Americanarum*, quas Philippi II. Hispaniæ Regis impensis, & quidem ut Josephus

Acosta refert sexaginta ducatorum millibus in unum volumen congessit *Franciscus Hernandes Medicus Hispanus*. Quamvis enim in illo opere plantas circiter MCC depingi Acosta scribat, ab amico tamen accepimus, in eo plusquam MMMDCCC stirpes exponi. Verum illud opus hactenus lucem non vidit. *Epitomen* tamen ejus, quam Friderici Cæsiorum Ducis auspiciis æri incisis imaginibus *Nardus Antonius Reccius* Neapolitanus Italus confecit, brevi prodituram nonnulli pollicentur. Jam tum enim libri quatuor de stirpibus Francisci illius Hernandis lingua Hispanica sunt editi in Mexico anno 1615. â Fr. Ximene, sed icones nullæ sunt additæ: eoque hactenus non prodiit idem opus Latine, etsi verterit doctissimus vir Joannes de Laët. Ad Americanarum stirpium illustrationem hujus argumenti facit cumprimis etiam *Historia Naturalis Brasiliæ*, quæ Lugduni Batavorum prodiit cura Joannis de Laët; utpote cum contineat stirpium Brasiliensium historiam iconibus efformatam, libro uno à Guilielmo Pisone & tribus libris à Georgio Marcgrafio de Liebstad Misnico exhibitam.

XVI. Hos modo enumeratos similesque libros si sæpius quis evolverit, plerarumque certe plantarum imagines non poterunt temere eum latere. Harum enim inspectionem multum ad illam cognitionem parandam facere, negari non potest. Neque vero ullius ponderis sunt aut consideratu digna, quæ adversus imagines has & olim Plinius & patrum memoria Janus Cornarius, Langiusque disputaverunt, quasi scilicet pro ætate sua multis modis mutentur plantæ, adeoque ex imaginibus vere cognosci non possint. Hoc sane argumento licuerit simul omnes descriptiones quoque plantarum, quæ hactenus quidem prodierunt, damnare; utpote quæ non nisi florentes plantas ma-

guam partem describant. Immo omnem etiam inspectionem ipsarum plantarum virentium damnare licuerit. Cæterum non opus est verbis aut prolixa refutatione, quum usu quotidiano sit compertissimum, imaginem bene depictam longe exquisitius & certius docere figuram similiaque quæ in oculos incurrant, non stirpium tantum sed aliarum quoque rerum, quam ampla quamvis descriptio præstare possit.

XVII. Sed de modis illam plantarum notitiam, quæ in visum incurrit, comparandi, satis dictum est. Nomina porro jam quod attinet eorumque cognitionem, observandum est, aliam esse notitiam eorum nominum, quæ jam tum imposita sunt, aliam adhuc imponendorum Fieri enim potest, uti quidem scias quo nomine hæ aut illæ plantæ appellentur: an recte tamen ita nuncupentur, nescias. Est etiam ubi offeratur planta, cui hactenus quidem nomen nullum inditum est, quæ tamen aliquo vocabulo indigitari meretur.

XIIX. Nomina porro illa plantarum quæ jam imposita sunt, alia nova alia vetera sunt, apud Græcos scilicet Latinos & Arabes olim usitata. Et quidem de veteribus illis maximæ controversiæ esse solent, quodnam nomen antiquum illis stirpibus quæ nobis in manu sunt conveniat. Negotium vero illud de appellatione plantarum difficile admodum & morosum reddidit recentiorum scriptorum nimia contentio, dum quisque eorum in nominibus imponendis singularem eruditionis laudem est aucupatus. Hinc sane orta videtur ingens illa copia & varietas nominum plantarum. Qua in re insignem in modum studiosos juvit incredibili sua diligentia *Caspar Bauhinus*, primum quidem *Phytopinace*, inde ve-

ro *Pinace Theatri Botanici* edito: quibus ſingularum plantarum variæ appellationes à præcipuis Botanicis profectæ enumerantur. Sed & jam ante cum ad Matthiolum tum Theodorum, ſua cura recuſos, ſynonymas hujusmodi appellationes magna cura congeſtas idem Bauhinus ediderat. Quo in eodem laborare plurimum quoque ſudavit *Caſpari frater Joannes Bauhinus*, ceu cum ex aliis variis ejus de re herbaria ſcriptis, tum ante triennium ampliſſima ejusdem *Vniverſali ſtirpium hiſtoria* Ebroduni Allobrogum edita apparet. In quo poſteriori opere, utut infiniti laboris & plurimæ induſtriæ, imagines tamen non raro accuratiores deſideres. Tyroni vero rei herbariæ ſuffecerit, ſi illas appellationes memoria comprehendat, quibus principes noſtri temporis Botanicorum, quales ſunt Cluſius, Dodonæus & Tabernæmontanus, pleraſque plantas indigitarunt. *

XIX. Datur præterea alia adhuc nominum plantarum cognitio Grammatica, quæ in recte indendorum nominum notitia conſiſtit. Vbi primo notandum, multas ſtirpes veteribus fuiſſe ignotas, ideoque omnes noſtras non poſſe antiquis illis nominibus appellari. Deinde obſervandum, ſi vetera illa nomina excipias, (quæ tamen, ſaltem propter medicamenta veterum probe intelligenda, neceſſario tenenda ſunt,) parum referre, quo nomine aliqua planta inſigniatur: quum in tali nominis notitia nihil fere eruditionis & doctrinæ inſit. Haud male tamen, immo * cum fructu quodam plantæ veteribus incognitæ, illis nominibus vocari poterunt, quæ notam aliquam plantæ ſive in odoribus ſive ſaporibus ſive externa figura ſive denique in viribus poſitam, deſignent. Ita v. g. non male naſturtium Indicum vocatur planta, quæ licet figura cum naſtur-

tio

tio non conveniat, ejusdem tamen cum illo ſit ſaporis. Eodem modo & conſolidas appellaveris illas herbas, quæ earundem cum vulgari conſolida in vulnerum conglutinatione ſunt virium. Sic irides appellantur omnes flores ejusdem cum iride vulgari figuræ.

XX. Maxima vero difficultas eſt circa plantarum nomina antiqua, à Theophraſto, Dioſcoride, Galeno, Græcis; à Plinio & aliis Latinis; ab Arabibus denique, quibus non minus multa quam Græcis heic debemus, uſurpata & memoriæ tradita. Quum enim inter manus noſtras plurimæ plantæ verſentur; quænam illarum priſcis illis nominibus venire debeant, non injuria quæritur. Neque vero fidere ſtatim licet paſſim receptis appellationibus; utpote quum rudes pharmacopolæ avorum memoria plurimas herbas pro veterum herbis per imperitiam vendiderunt. Hanc ſane ob rem jam tum ab illo ævo ad noſtra usque tempora â præclaris viris diligentiſſime eſt laboratum, ut plantæ illæ veteribus uſitatæ vere & ſine fuco vel errore in uſum venire poſſent. Ac primus quidem omnium hanc glaciem frangere cœpit *Hermolaus Barbarus* Patritius Venetus, vir ſummus pariter & doctiſſimus, in eruditiſſimis ſuis ad Dioſcoridem & Plinium commentariis. Poſt illum in Gallia idem ingente ſtudio aggreſſus eſt *Johannes Ruellius* Medicus Pariſienſis itidem doctiſſimus, edito grandi volumine *De natura ſtirpium.* Quo eodem tempore in Germania noſtra idem egit *Euricius Cordus* evulgato exiguo quidem ſed inſigni libello, cui titulum facit *Botanologicum ſeu colloquium de herbis.* Longe tamen majus operæ pretium fecit *filius ejus Valerius*, juvenis egregius, & longiori vita digniſſimus. Cujus ſatis inſignia in Dioſcoridem commentaria aliosque ejusdem argumenti libellos à morte ipſius publicarit *Con-*

radus Gesnerus; qui & ipsemet hac in re plurimum laboravit: quamvis plurima ejus huc facientia scripta magno herbariæ rei damno perierint, ut mox dicetur. Idem studuit quoque *Hieronymus Tragus*, minus tamen feliciter, utpote à veteri litteratura non satis instructus. Post illos omnes hac in re haud parum sudavit *Leonhardus Fuchsius*: quem tamen longo intervallo antecellit *Petrus Andreas Matthiolus*, scripto longe eruditissimo in Dioscoridem commentario, quo omnium ante se hujus argumenti sententias diligentissime excussit. Quanquam nec ille in omnibus veritatem sit assequutus; ideoque in alias sententias ivit *Amatus Lusitanus* commentariis in eundem Dioscoridem: contra quem tamen satis feliciter sese defendit Matthiolus edita apologia cum censura in Amati enarrationes. Longe majori cura & doctrina Theonem suum & quinque de stirpibus epistolas adversus Matthiolum conscripsit *Melchior Guilandinus*, natione Borussus, sed professorio munere Patavinus, vir infinitæ lectionis & ingenii admirandi, in aliis tamen insectandis justo vehementior. Plurimum laboris in idem argumentum illo ipso tempore impendit *Conradus Gesnerus*: qui quum ad hanc rem utriusque linguæ insignem peritiam, acerrimum judicium, incomparabilem diligentiam attulerit, felicissime procul dubio in hoc negotio fuit versatus. Verum maximi hi & utilissimi optimi viri labores neque à Caspare Wolfio Tigurino Medico doctissimo, neque à Joachimo Camerario, quorum uterque commentarios illos sese editurum promiserat, vulgati, hactenus lucem aspexerunt, & nunquam fortassis prodibunt. Vel unicus autem ille *De aconito* tractatus, quem Wolfius edidit, satis ostendit opus futurum fuisse incomparabile.

XXI Circa eadem fere tempora & paulo etiam post

hac

* hac in eadem re magnam curam in Italia posuerunt *Lucas Ghinus* Forocorneliensis, *Gabriel Fallopius* Mutinensis, *Vlysses Aldrovandus* Bononiensis, & *Bartholomæus Marantha* Venusinus: quorum tamen hujus generis opera, excepta tantum Maranthæ *Methodo cognoscendorum simplicium*, hactenus lucem non viderunt. Nonnulli sparsim has controversias agitaverunt. Seorsim tamen præ aliis commendandus est *Fabius Columna*, cujus φυτοβάσανον sive plantarum aliquot historiam habemus; *in qua*, ut recte titulus præ se fert, *describuntur diversi generis plantæ veriores, ac magis facie viribusque respondentes antiquorum Theophrasti, Dioscoridis, Plinii, Galeni, aliorumque delineationibus, ab aliis huc usque non animadversæ.* Ejusdem *minus cognitarum rariorumque stirpium* ἔκφρασις, *qua non paucæ ab antiquioribus Theophrasto, Dioscoride, Plinio, Galeno aliisque descriptæ, præter eas in φυτοβασάνῳ editas, disquiruntur ac declarantur*, Romæ anno hujus seculi decimo sexto prodiit. Sunt autem non hæc tantum sed etiam omnia scripta Columnæ perdocta, & quibus hoc in genere hactenus vix ullum præstantius excusum sit. Multa huc pertinentia habent quoque & *Rembertus Dodonæus* & in sua aromatum Indicorum historia *Garzias ab Orta* Lusitanus. Neque parum hac in re juverint quem *Caspari Hofmanni De medicamentis officinalibus* libri ante hos octo annos Parisiis publicati. Ex his sane scriptoribus præcipue illæ controversiæ petendæ sunt; utpote qui præ aliis maxime heic operæ pretium fecerint, qui licet herbarum peritia fuerint in-
* signes, in hoc tamen argumento minus feliciter videntur versati.

XXII. Est vero hæc ratio veterum plantas cognoscendi non una de caussa difficilis. *Primo* enim ex ipsis veteri-

bus

bus nonnulli plantas quas nobis laudarunt non ſatis habuerunt cognitas. Quum itaque ipſimet perperam multas ſtirpes deſcripſerint, non poſſumus non etiam nos, qui tantopoſt temporis intervallo vivimus, ſimul in erroris induci. Ipſe certe *Dioſcorides* cum in præfatione operis ſui, tum alibi paſſim hoc nomine multos medicos accuſat. Facit idem *Galenus:* qui demum ſoli Dioſcoridi in ſimplicium deſcriptione fidendum eſſe pronunciat. Et vero *Cajum Plinium* ut in aliarum rerum, ita quoque in ſtirpium hiſtoria ex variis ſcriptoribus & quidem iis, qui nec ipſi ſatis perſpectas plantas habuere, pleraque omnia ſua deſcripſiſſe, adeoque hinc plurima in præclaro alias opere ſuo errata admiſiſſe, poſt *Nicolaum Leonicenum* Ferrarienſem à multis ſatis egregie demonſtratum eſt. Similiter in Arabibus quoque *Avicennam* multa aliena fide tradere, nec ſatis itidem accurate ſtirpes quas laudavit deſcripſiſſe, notatum eſt à viris eruditis. Nec nunc dicam *Joannem* etiam *Serapionem* hac in parte non ſemel impegiſſe. *Secundo* has difficultates etiam auget, quod veteres ſæpe plantas non deſcribant, ſed verbo tantum innuant. Quî vero noveris, quamnam illi plantam denotare voluerint, nomine tenus tantum cognitam? *Tertio* ut hodie, ita olim quoque à ſcriptoribus circa nomina plantarum magnæ fuere lites, adeoque unum idemque nomen apud veteres quoque ſcriptores easdem ſtirpes non ſignificat. *Quarto* denique cum veteres illi in remotis regionibus vixerint, & non quælibet tellus ferat omnia, adeoque hinc nobis multo minus poſſit conſtare, quænam herbæ in Aſia aut Africa floreant, patet itidem difficile admodum eſſe noſtras plantas dicere easdem eſſe cum veterum illis. Accidit *inſuper* & hoc, quod veterum ſcripta non raro mendoſa ſint, ut ita ne hanc quidem ob cauſſam legitimas

pri-

priſcorum decriptiones noſſe in proclivi ſit. Enim vero tum demum id exacte nobis conſtat, quando omnis deſcriptio plantarum, quam antiqui illis attribuunt, omni ex parte convenit cum iis, quæ hodie licet in ea planta experiri. Ita v. g. quando veteres dicunt hanc vel illam plantam hoc vel illo odore, colore, ſapore præditam, hoc vel illo loco naſci &c. ſi talia etiam in planta nobis nota deprehendantur: Ideoque nobis cognita eſſe debent, quæcunque veteres de iis ſcripſerunt, quidque nos ſimiliter de illis obſervaverimus. Ita enim collatione facta tuto judicare poſſumus, an eædem plantæ ſint nec ne. Ubi tamen iterum difficultas quædam occurrit, quum veteres interdum breviſſime & pauciſſimis tantum verbis ſuas plantas ** deſcripſerint. Quod ubi factum, fieri non poteſt ut quicquam niſi veriſimiliter tantum de aliqua ſtirpe pronunciemus. De toto fere hoc argumento extat Bartholomæi Maranthæ *Methodus cognoſcendorum ſimplicium medicamentorum*: qua longe plures adhuc circa hanc cognitionem occurrentes difficultates adducuntur: quas tamen omnes non æque magni momenti eſſe quis dixerit. Cujusmodi illud eſt, quod *lib. II. cap. 3.* affert, à Dioſcoride ſcilicet deſcriptas eſſe plantas modo dum germinant, modo dum primum pullulant, interdum etiam poſtquam floruerunt; & tamen prô varia ætate variam eſſe ſtirpium figuram. Etſi enim omni ex parte id negari nequeat; modo tamen obſervetur, quam plantæ partem, radicem nempe, flores, folia, an ſemina in medicum uſum Dioſcorides laudet, haud difficulter etiam cuivis patere poterit, quamnam plantæ ætatem ille exprimat, quod ſcilicet alia ætas eruendis radicibus, alia colligendis floribus, foliis, ſeminibusve apta ſit & idonea.

XXIII. Quantumvis vero hæ modo recensitæ difficultates adeo possint videri magnæ, ut cui impossibile esse videatur, ad certam veritatem heic pervenire; est tamen via quædam & ratio sæpenumero ex his eluctandi. Et quidem quod *primum* attinet, satis fuerit, si eos veterum sectemur, de quorum fide certo nobis constat. Talis autem est *inter Græcos Theophrastus, Dioscorides & Galenus: in Arabibus Ebenbitar*, cujus de simplicibus opus etsi hactenus ex Arabico versum non sit, ex iis tamen, quæ hinc inde ex illo Andreas Alpagus Bellunensis excerpsit, haud difficile fuerit multas stirpes, quæ Arabibus Medicis in usu fuere, internoscere. Quod *secundum* cencernit, fatemur & ipsi, quarum stirpium descriptiones nullæ, sed nuda tantum nomina apud antiquos reperiuntur, eas à nobis dignosci non posse. Immo fatemur, quarum descriptiones non sunt plenæ nec perfectæ, ne illas quidem certo à nobis posse intelligi: sed omnes qui ex una aut altera tantum nota confestim veterum nominibus nostras plantas designant, temerariam ludere operam. *Tertia* difficultas non adeo multum obstabit, modo descriptiones plantarum sint additæ. Certum enim alias est, non temere propter solam nominis identitatem de stirpis alicujus natura præsumendum aliquid esse, quum facile appareat, occurrere eadem nomina in diversis scriptoribus diversas tamen stirpes significantia. *Quartum* quod spectat, itidem haud diffitemur, temerarium si non ridiculum illorum studium esse, qui ex. gr. Germanicis plantis, Dioscoridi aliisque Græcis trita nomina indere nituntur, quasi in Germania plane eædem inveniantur, quas nobis Græcia commendavit. Recte sane hoc nomine Hieronymum Tragum reprehendit Leonhardus Fuchsius: qui nec ipse tamen sibi hac in parte satis cavit, si Matthiolo & aliis credimus.

XXIV. Itaque consultum maxime fuerit accurate animadvertere ubinam scriptores illi veteres vixerint, aut ubinam locorum laudatas sibi plantas crescere prodiderint. Quum autem constet in Asia eos magnam partem vixisse aut Ægypto, facile etiam apparet, inde plantas illas maxime petendas esse. Qua in re sane multum nos juverit *Honorii Belli Cretensis Medici herbarum Creticarum descriptio:* quæ partim in Clusii opere, partim etiam in altera editione descriptionis montis Baldi Joannis Ponæ continetur. Extat & *Prosperi Alpini rariorum plantarum liber* non adeo pridem editus, quo itidem cum aliæ tum Græcæ præcipue & Cretenses herbæ enarrantur. *Idem porro etiam de plantis Ægyptiis præclaros libros edidit:* cujusmodi quoque *Joannes Weslingius* ille toties nobis laudatus conscripsit. Constat porro *Leonhardum Rauvvolfium* in *Hodœporico* suo & *Petrum Bellonium in Observationibus*, quorum uterque omnem Syriam peragravit, Syriæ Græciæque hodiernas plantas ad veterum descriptiones satis accurate contulisse. Quod si Indicas veterum plantas cognoscere libuerit, perscrutandæ itidem fuerint stirpium Indicarum historiæ. Quales in lucem edidit *Garzias ab Horto*, quem Latine ex Hispanico vertit Carolus Clusius: *Joannes* item *Hugo Linschotanus* parte ultima *Historiæ Indiæ Orientalis:* Quibus adjungi poterit liber primus *Jacobi Bontii Roterodamensis de Medicina Indorum;* quod opus nuper admodum in lucem editum est. Itaque hi libri multum profecto juvare poterunt, ut illa quidem difficultas, qua de nunc agimus, evitetur.

XXV. Quod *menda* autem veterum codicum attinet, fatendum sane propter ea non posse non in multis nos hærere. Attamen non omnia æque mendosa sunt:

tum vero diligenti labore præclari quidam viri ſatis emendata nobis omnia jam ediderunt. Et vero in Dioſcoride poſt cum aliorum tum præcipue Jani Antonii Sarraceni diligentiam non adeo multum ſupereſt quod intelligi nequeat. Avicennæ quoque opus ſatis exacte edidit Andreas Alpagus, & poſt hunc Benedictus Rinius Venetus, uti ultimo denique Joannes Coſtæus Laudenſis ac Paulus Mongius. Similiter & Serapionem jam emendatiorem habemus, cura ejusdem Alpagi & Coſtæi. Longe plura fateor menda ſuperſunt in operibus Theophraſti & Caii Plinii: verum tamen Plinium quidem poſt alios Dalechampius, & in Exercitationibus ſuis Plinianis ad Solinum Claudius Salmaſius, infinitæ vir lectionis, Theophraſtum vero editio Batavica, tum ea cumprimis quam eruditis commentariis illuſtravit Joannes Bodæus à Stapel, ſic ſatis comtos præbuerunt. Theophraſtum ſane etiam non parum emendavit Caſper Hofmannus, ſed qui hactenus nondum invenit editorem. Vt itaque ſaltem pleraque veterum mediocriter à nobis poſſint percipi.

XXVI. Quin igitur hac ratione difficultatibus illis omnibus evitatis ſaltim in perquam multis ad veritatem hic pervenire poſſimus, nullus equidem dubitaverim: tantum modo diligenter notentur omnia, quæ de ſingulis plantis prodidit Dioſcorides, uti illum unum nunc in exemplum adducam. Nec vero ſufficit, illa ſolum notaſſe, quæ de figura plantæ alicujus Dioſcoridi ſunt annotata, ſed & quæ de viribus ac facultatibus, ſaporibus item ac odoribus: nam & iſthæc, immo quam maxime, ad eſſentiam plantæ alicujus pertinent. Hæc autem omnia recte obſervata ſi diligenter cum plantis quæ nobis in manibus ſunt conferantur, non poterit facile latere ſint ne eædem nec ne, præ-

ſertim

ſertim ſi deſcriptiones veterum fuerint accuratæ: alias enim etiam nos fatemur veriſimile quidem aliquid, certum tamen in hoc negotio dici non poſſe: Poteſt vero hoc ipſum negotium aliquo modo promoveri inſpectis antiquis codicibus manuſcriptis, qui figuras plantarum habent adpictas: quales in bibliothecis nonnullis, Cæſarea, Regia Gallica, aliiſ-
* que magni nominis extant. Quanquam enim omni ex parte figuris illis tuto credere non liceat, quod illæ ſæpenumero à manu imperita depictæ ſint; eſt tamen ut interdum egregie nos inſtruere queant, ceu apud Matthiolum & alios videre eſt.

XXVII. Alterum vero Grammaticam cognitionem vocabulorum recentium quod attinet, illa facilius haberi poteſt. Hactenus enim incognitis plantis poterimus & nos ipſi
* nova indere nomina ob aliquam ſimilitudinem aut alia de cauſſa, ſive ratione loci; ceu jam *theſi XIX.* diximus. Vocabula autem jam impoſita partim ab optimis autoribus deſumere poſſumus: ita tamen ut poſtmodum etiam ſenſibus ſimplicia illa inveſtigemus, cumprimisque id operam demus ut recte & exacte oculis perſpiciantur.

XXIIX. Cæterum de Grammatica ſtirpium peritia ſatis. Plurimum vero ab hac differt illa cognitio, quam Philoſophia naturalis deſiderat, quamque adeo æquum eſt appellare PHILOSOPHICAM. Neque enim ſufficit Philoſopho, nomina herbarum ſcire, ſed ulterius ipſi pergendum eſt, intimiusque ſtirpium omnium natura pernoſcenda. Quemadmodum autem aliarum rerum naturalium, ita & ſtirpium eſſentiæ peritia in duobus conſiſtit; partim nempe in cognitione τοῦ ὅτι, partim vero in notitia τοῦ διότι h. e. partim uti ſcias qualis ſit omnium plantarum natura, partim vero ut cognoſcas quare aut propter quas cauſas illa ita ſeſe ha-

beat. Notum autem eſt, ſtirpium omnium differentias & naturam primo in partibus, ſecundo in affectionibus, tertio in generationibus, (quo germinatio omnis & florum productio quoque pertinet,) & denique in omni reliqua vita conſiſtere. Quum itaque Philoſopho propoſitum ſit integram plantarum naturam cognoſcere, liquet etiam, ipſi omnia illa perdiſcenda eſſe, quæ modo enumeravimus. Hoc ipſum autem rite fieri non poteſt, ſi tamen inſpicias, quibus partibus ſingulæ ſtirpes conſtent, aut quæ ſit ratio germinationis, protruſionis florum & omnis in univerſum generationis, tum ſi quæ alia ad vitam ſtirpium pertinentia ſingulis competant: verum collatis ſimilitudinibus & perſpectis differentiis, ex ſingularibus univerſalis quædam cognitio conſtruenda eſt, & in genera atque ſpecies ſingula diſtribuenda ſunt. Eſt autem univerſalis illa cognitio vere & proprie Philoſophica, uti prior illa tantum hiſtoria quædam in Philoſophiæ uſum comparata. Quod attinet vero hiſtoriam, comparatur ſane illa ſenſu & multiplici experientia: quorum beneficio plantæ pernoſcendæ ſunt, quo ex ſingularum ſimilitudinibus & differentiis obſervatis ad univerſalia pronunciata licet pervenire. Debet utique ergo Philoſophus cognitione quoque Grammatica ex parte eſſe inſtructus, ne ſi de planta aliqua ipſi diſſerendum ſit, in nomine hærere cogatur. Quanquam enim varia illa & exquiſita nominum notitia in eo non requiratur, aliquam tamen neceſſum eſt ut habeat, quo & ipſe diſcere & alios recte etiam docere poſſit. Ad cauſſarum porro ſcientiam unice faciunt præcepta Analytica: neque enim præter hanc ulla alia doctrina viam ad veram ſcientiam, adeoque ad cujuslibet rei cauſſarum perfectam cognitionem perveniendi, docet. Certe ſine Analytica doctrina ad ſcientiam con-

consequendam niti, tantundem est ac si sine aliis coneris volare.

XXIX. Hanc autem plantarum philosophiam paucissimi hactenus sunt persequuti, & quidem procul dubio ob insignem difficultatem; utpote quum ingenio doctrina atque industria maxima ad eam consequendam sit opus. *Aristoteles* tamen si veteribus credimus, *plantarum hanc Philosophiam exposuit.* Et vero extant hodieque duo de plantis libri Aristotelici vulgo attributi: Verum hos tanto scriptore indignos, quin immo ex Arabico primum in Latinum, ex hoc deinde in Græcum sermonem esse translatos, rectissime Julius Cæsar Scaliger judicavit. Fatendum tamen est in libris istis multa reperiri homine Philosopho non indigna. Quapropter etiam Philosophiam hanc affectanti profuerit illorum lectio; sed adhibito insigni *Commentario* illius modo laudati *J. C. Scaligeri.* Quanquam autem dubitandum non sit, Aristotelem Philosophiæ plantarum fuisse peritissimum, eam tamen excoluisse non videtur. Interim ex genuinis ejus operibus multa sparsim dicta petere licet, quæ mirifice hanc ipsam Philosophiam illustrant: quin hæc ipsa magna ex parte jam tum in unum congesta inseruit operi suo, cui titulum *Vera mens Aristotelis* fecit, *Felix Accorombonus Philosophus Romanus.* Omnino autem hoc in negotio magistrum suum superasse videtur *Theophrastus Eresius*, discipulus pariter ac in schola successor; cujus maximi viri cum de historia plantarum tum de causis earundem admirabili eruditione refertissima scripta extant. Id summe dolendum, quod longa ætas his operibus multum decerpserit, plurimasque iis intulerit lacunas, ita ut mentem Theophrasti sæpe vix assequi liceat. Nec vero integram medicinam tanto operi quisquam hactenus adhi-

adhibuit, utut multi multa fuerint conati. Sed & qui in Latinum hoc opus vertit *Theodorus Gaza*, elegantiæ Latini sermonis quam herbarum peritior videtur fuisse, unde in plurimis cum propter hanc tum alias caussas mentem Theophrasti minus feliciter expressit. Quin etiam haud parum tenebrarum lectoribus offudit sectione librorum in capita, & singulis capitibus breviarii præmissa præfatione: utpote quum sæpe illa divisa sint, quæ jungi maxime debent; uti è contrario conjuncta, quæ erant separanda; argumenta autem illa capitum lectorem plerumque seducant. Interim tamen ex ipsis apparet, quanto ingenio quantaque doctrina conscripti fuerint. Prodiit vero & ipsius Theophrasti Græcum opus & Latina Gazæ versio non semel in lucem. Primus Græcum Latinumque textum junctim edidit *Daniel Heinsius*, opere quo simul & reliqua ejusdem Theophrasti Græco-Latina dare conatus est. Quanquam autem titulus illius editionis refert, ab Heinsio textum Græcum locis infinitis partim ex ingenio partim ex libris emendatum, hiulca suppleta, male concepta recensita, interpretationem quoque passim esse interpolatam; epistola dedicatoria item loquatur in Græco textu Augiæ stabulum esse expurgatum, quumque plurima hiulca, lacera, corrupta, perperam ab interpunctoribus concepta legerentur, partim ex ingenio, partim subsidio librorum, partim doctorum observatione, partim etiam collatione auctorum, qui similia aut forte eadem cum Theophrasto scripserunt, datam esse operam ut emendatus Theophrastus in manus hominum prodiret; etsi denique diffitendum minime sit, editionem illam omnibus aliis antegressis præstare: multa tamen immo longe plurima merito desideraveris. Nec vero iniquum videtur *Casparis Hofmanni de hac ipsa Heinsiana*

ſiana Græco-Latina editione judicium. *Quid* (inquit ille, præfat. ad lectorem in lib. Variarum lectionum) *de Theophraſto dicam? Tot ille pene vitia habet, quot lineas. E quibus ſi ea tantum, quæ ab aliis animadverſa fuerant, ſparſimque notata, ſuſtuliſſet ille, qui paucos ante annos Græco-Latinum nobis dedit, ſolide ſolidam gratiam apud omnes cordatos iniiſſet. Si attigiſſet illa quoque, quæ Gaza erravit, noruntque Botanici, civicam coronam mereri poterat. Nunc quoniam Augiæ ſtabulum illud non niſi extimo quodam textorio ornatum eſt, fas eſt nos exſpectare, uſque dum promiſſa cætera appareant.* Hæc Hofmannus & recte quidem. Non eſt vero fortaſſis quod meliorem ab Heinſio operam exſpectemus. Quamvis enim in epiſtola dedicatoria ſcribat, ſuarum emendationum aliquando rationem juſta commentatione ſeſe redditurum, in qua multa olim temere admiſſa, quædam ne nunc quidem è codicibus antiquis recte eſſe inſerta, ſit evicturus; hactenus tamen nihil hujus prodiit, & Heinſii ſenectus aliis prorſus ſtudiis occupata, jubet nos de eo plane deſperare. Et ſane in reliquorum etiam Theophraſti opuſculorum editione haud videtur juſta diligentia eſſe adhibita, utpote quum ſola illa iſthic habeantur, quæ Daniel Furlanus & interpretatus eſt & commentariis illuſtravit, adeoque deſiderentur & *Metaphyſicus* Theophraſti libellus & alter ejus *De ſenſibus*, quorum illum Henricus Stephanus, iſtum jam olim Aldus Manutius protulit. Ne nunc dicam de libello περὶ φαντασίας, cujus paraphraſin Græcam à Priſciano Lydo confectam Hieronymus Gemuſæus edidit. Immo vero ne quidem omnia juſta diligentia expreſſa ibi ſunt, ut illa nobis dedit Furlanus; quod clare apparet ex libro *De ſignis pluviarum, ventorum, ac tempeſtatum;* qui

quum unus ſit, non tantum in varios libellos eſt diviſus, ſed & ita disjectus, ut pars, quæ de ſignis eſt tempeſtatis & ſerenitatis, à reliquis divulſa, locum poſt librum *De igne* invenerit. Sane operæ quis pretium facturus ſit, qui varias emendationes præclarorum virorum, (quales profecto plurimas Claudio Salmaſio in opere *Exercitationum Plinianarum* debemus) diligenti ſtudio collectas ediderit, ſi non etiam ipſe ex ſua pharetra, ut loquuntur, aliquid posſit depromere. Nec vero eſt, cur quis credat ex Theophraſti opere, quale illud eſt, nihil poſſe diſci; immo vero plurima ſunt ſatis clare & egregia dicta, ut haut difficulter diligentem lectorem inſtruere queant. Longe tamen elegantior & multis modis laudabilior eſt illorum *De plantis Theophraſti librorum editio, quæ nuper demum ſeorſim in Belgio prodiit opera Bodæi â Stapel Amſtelodamenſis:* eſt ſane opus illud ut longe præſtantiſſimum atque optimum, ita merito plurimi æſtimandum. Sine dubio vero non parum emendatiora ſunt opera Theophraſti, qualia illa ad editionem Caſparum Hofmannum confeciſſe *theſ. XXV.* diximus. Quicquid vero ſit, utendum eſt eo, quod fortuna conceſſit, quum ſimile ſcriptum nullum extet.

XXX. Scilicet per aliquot centum, immo per bis mille fere annos ad ſtirpium philoſophiam nemo quisquam vel conatus videtur attuliſſe. Certe unum ſi excipias *ſcriptorem librorum De plantis* Ariſtoteli attributorum, neminem reperire eſt ſive in Græcis ſive in Arabibus ſive denique in Latinis auctoribus, qui vel leviter hanc Philoſophiam exercuerit. Donec demum ſuperiori ſeculo *I. C. Scaliger* maximi vir ingenii *commentarios* ipſo Theophraſto dignos *in utrumque opus De plantis*, cumprimis tamen in libros *de plantarum cauſis*, ut & Ariſtoteli tributos libel-

los

los cœpit conſcribere. Obſervandum vero eſt, neutri commentario, ſive in hiſtoriam ſive in libros de plantarum cauſis, ultimam manum à Scaligero impoſitam, immo Animadverſiones in hiſtoriam plantarum ſatis exiles eſſe. Poſt Scaligerum unus *Andreas Cæſalpinus* in opere de plantis Philoſophiam hanc eleganter, ut ſolet, inſtituit, ita tamen ut longe plurima merito adhuc deſideres. Probum ſane eſt de illo Cæſalpini opere Philippi Scherbii Philoſophi & Medici inſignis judicium, quod habet epiſtola ad Erneſtum Sonerum Cæſalpini ejusdem libris præfixa. Similia tamen quædam & philoſophiæ huic valde utilia ſub initium præclari *De ſtirpibus* operis (in poſterioribus enim ejus libris non Philoſophum ſed Medicum aut Grammaticum ſe geſſit) protulit *Joannes Ruellius*, ut & *in Vniverſali ſtirpium hiſtoria Joannes* ** *Coſtæus* Medicus Bononienſis, quæ tota eſt Philoſophica: Nec vero nihil juverint Philoſóphiæ hujus ſtudioſos, & imagines ſingularum plantarum & enarrationes quæ in optimis Botanicis ſcriptis ſupra enumeratis continentur.

XXXI. Tantum etiam de Philoſophica plantarum cognitione. Qualis autem MEDICA earundem peritia ſit, ex uſu Artis petendum eſt. Vt enim in artibus uſu omnia definiuntur, ita nihil quoque ad Medicum proprie pertinet, niſi quod vel neceſſarium eſt, vel apprime in medendo utile. Non præſtant vero ſtirpes alium in medicina uſum, quam quod vel in alimentum cedant, vel medicamenti ſint loco. Vnde patet in tantum Medici proprie eſſe ſcire, quomodo plantæ vel nutrimento vel medicamento nobis eſſe poſſint. Per accidens tamen merito dixeris etiam id ad Medicum pertinere, ut ſciat, quænam plantæ nocere nobis poſſint, & quidem quomodo vel quando. Ex quo

 diſcri-

discrimen cognitionis Medicæ à Grammatica aut Philosophica cognitione nemini non manifestum est.

XXXII. Vt autem alibi pluribus docetur, duobus modis medica & nutritiva virtus ut & noxia plantarum facultas investigari potest: experientia scilicet & ratione. Est autem porro experientia duplex; alia quam ipsemet instituisti, alia quam tenes certa fide dignorum testium, qui compertum aliquid sibi prodiderunt. Fide digni vero sunt qui & rectam experiendi rationem noverunt, & usu aliquo rerum valent, & denique nolunt mentiri. Sane si horum aliquid desideretur, nudo aliorum testimonio credi temere nec potest nec debet. Quum autem hæc interdum adsint homini alias non multum docto, poteris huic tuto credere. Certe talis ordinis hominum commentationes aut narrationes non sunt alto supercilio contemnendæ. Vsque adeo verum hic est illud: *Quandoque est olitor verba opportuna locutus.* Nec tuæ vero etiam experientiæ fidere potes, nisi accurate observes omnia, quæ ad veram experientiam pertinent. Quæ quidem qualia sint, supra jam dictum est.

XXXIII. Investigatio porro facultatum qua ratione peragi possit, jam tum etiam supra explicatum est. Quam maxime scilicet procedere illam ex odoribus & saporibus. Ex coloribus nimirum nullum capi judicium potest, utpote qui cum tactilibus facultatibus, in quarum temperie virtus medica consistit, nihil commune habeant. Similiter nec ex figuris stirpium de medica earundam virtute quicquam certi collegeris, utut hisce signaturis, quas appellant, plurimum tribuant Paracelsistæ; quorum ineptias perspicere est ex *Osvvaldi Crollii libro De signaturis.* Nec vero *Joannes Baptista Porta*, cætera præstantis ingenii & judicii, in *Phyto-*

tognomonicis ſuis (ſi quicquam recte judicamus) non operoſe in propugnanda hac ſententia luſit operam. Quanquam vero nonnunquam eveniat, ut e. g. rhabarbarum & flavum ſit & purget flavam bilem; per accidens tamen totum hoc eſt, & multa alia bilem purgant nihil flavedinis habentia. Itaque ſi quæ alia ſunt indicia unde medica ſtirpium facultas intelligi poſſit, conſectanda illa potius fuerint, quæ ab Averrhoë *lib. III. Colliget* proponuntur. Non opus vero eſt hoc loco de hac quidem re plura in medium afferre, quum ſupra jam de facultatibus ſimplicium * medicamentorum in genere agentes, ſatis copioſe de eo diſſeruerimus.

XXXIV. Quanquam vero cognitio plantarum Medica primario & per ſe in virium medicarum notitia conſiſtat, reliqua vero quæ ſtirpibus inſunt, proprie ad Medicum non pertineant; ſecundario tamen in Medico requiritur, uti & faciem & nomina quoque norit illarum ſtirpium, quæ medicum uſum habent. Nomina enim niſi cognoſcat, non poterit ab aliis ſtirpium vires petere, nec alios docere, aut in uſum medicum ſtirpes præſcribere. Ineptiſſimum enim eſt, quod nonnulli exiſtimant, ſibi licere pro arbitrio plantis imponere nomina: Quomodo enim vel diſcas aliquid vel doces, ſi nominum uſum commutes? immo quem in uſum voces effinxeris, quum nec te quisquam intelligat, nec tu alios? Formam quoque ſtirpium dignoſcat medicus oportet, ſi tuto artem facere velit, ne nempe aliud pro alio per imperitiam ſubſtituatur, atque ita propoſito ſuo fruſtretur. Præclare ſcilicet Galenus lib. VI. De ſimpl. facult. *Id genus*, inquit, *hominum* (loquitur autem de iis, qui plantas laudant ſibi non viſas) *ſimillimum præconibus, qui formam ac notas fugitivi mancipii, licet*

ipsi non viderint, præconio tamen publicant. Notas enim ab aliis qui norunt accipiunt, & ceu cantilenam eas proferunt, ut si forte etiam quem præconio indicant, prope assisteret, cognoscere tamen non possent. Et sane avorum memoria gravissime hac in re peccatum est, toto colligendarum dignoscendarumque stirpium negotio aniculis & pharmacopolarum pueris commisso. Quo factum, ut plerarumque stirpium cognitio paulatim inter Medicos evanuerit, donec acri studio à præclaris quibusdam viris res herbaria tum dignosci, tum nominibus suis distingui & recte usurpari iterum cœpit.

XXXV. Qũum nulla autem sit planta in toto mundo, quæ non possit cedere vel in usum humanum, vel in ejus noxam, adeoque ubivis terrarum nascantur, quæ in usum Medicum possint cedere; liquet utique ad perfectionem artis pertinere, omnium plane stirpium, quas fert tellus, vires ac facultates in numerato habere. Et vero magno usui forte hæc cognitio; utpote quum ubivis haberi facile possit, quod insignem potest usum præstare. Quanquam enim non temere admitti queat, quod nonnulli tradunt, ubivis terrarum nasci, quæ sunt sanitati necessaria; quum constet non ubivis terrarum nasci necessaria alimenta, sine quibus tamen vita humana itidem tolerari non potest: attamen certissimum videtur, nusquam non reperiri stirpes permultas quæ plurimum possint prodesse, si cognoscerentur. Si ad perfectionem vero artis necessaria est cognitio facultatum cujuslibet stirpis, requiritur vero in Medico, ut ultimum stirpium & nomina quoque sciat & figuras; manifestum est, Medici omni ex parte perfecti itidem esse, omnium prorsus stirpium nomina & figuras dignoscere.

XXXVI. Verùm enim vero hactenus sane ad eam perfectionem Ars Medica nondum pervenit. Plurimarum enim, immo infinitarum stirpium facultates hactenus quidem nos latent; quin immo illa Artis perfectio humani ingenii viribus nunquam videtur impetranda. Quum autem dignotio à figuris stirpium ut & nominum peritia ad Medicum pertineat non nisi per accidens, utque utiles herbas ab inutilibus dignoscere possit, nec omnium stirpium usus hactenus sit exploratus, sed aliquarum tantum & quidem earum non magno numero; liquet hinc, non omnium quoque stirpium sive nomina sive figuras ut dignoscat, Medici interesse, sed sufficere Artem quidem facturo, ut certus sit de iis, quibus sit usurus: reliquarum autem plantarum Grammaticam illam notitiam, utut ornamento possit esse Medico, reapse tamen ad Medici officium non pertinere. Et vero quum non sit utendum temere medicamentis, nisi de quarum virtute certo nobis constet, illa autem maxime sint explorata, quæ longa ætas jam commendavit, adeoque quorum præconia à Græcorum usque antiquissimis scriptis ad nos pervenerunt; illa utique pauca præstat accurate novisse, simulque & nomi- *na pariter atque figuras earum habere in numerato. Quod si merito dubitaveris, an recte antiquis nominibus, quæ apud nos habentur plantæ, sint nuncupatæ, & ita non certo liqueat, num à nostris illa olim laudata possint exspectari; satius omnino fuerit, hæc nostra cum per experientiam tum per ratiocinationem quid valeant, accurate perscrutari, quam in incerto fluctuare, & quidvis quod nominibus antiquis hodie venit, in certum usum recipere. Vt ita proxime Artem facturo nihil sit necessarium, quam illarum tantum stirpium, quas ipse usurpaturus est, exquisitam, circa facultates cumprimis earum, notitiam habere.

XXXVII.

XXXVII. Eſt autem doctrina illa medica jam à plurimis uſque ſeculis diligenter exculta. Neque enim ulli genti ſaltem aliqua ſtirpium medica cognitio defuit. Verum omnium gentium experientia quid compertum ſit, ſcire non licet, quum omnes monumenta nobis non reliquerint. Quæ Græci tenuerunt, diſcere licet ex *Hippocraticis* aliisque multis antiquis *voluminibus*. Nam & *Cajus Plinius* quæ de herbarum viribus prodidit, veteribus Græcis ſcriptoribus debet. Verum hujus quidem narrationibus minus tuto fidere licere, quod ex variis, nec perinde omnibus probatæ fidei, ſua transſcripſerit, ipſe vero exiguam habuerit ſtirpium peritiam ſupra, indicatum fuit. Longe major laus debetur *Dioſcoridi*, utpote qui, ipſo etiam Galeno teſte, & accuratiſſime omnem, materiam medicam pernoverit, & optima fide ſingula docuerit. Merito tamen etiam in illo deſideres id quod olim Galenus deſideravit, varia ſcilicet eum ad varios affectus commendaſſe, ſed juſto confuſius, nec ſatis diſtinxiſſe varias morborum cauſſas. Scilicet unus idemque affectus à diverſis cauſſis proficiſcitur, itaque eſt quidem ut medicamentum aliquod in affectu quodam valeat, ſi ejus hæc aut illa cauſſa fuerit; ſin alia, damno potius ſit aut certe nihil juvet. Proinde ſimpliciter aliquod medicamentum ad affectus laudare non licet, niſi habita ſimul ratione cauſarum. Quod ipſum à Dioſcoride factum non eſt: ut adeoque imperium medendi artis etiam ille in graviſſimos errores conjecerit. Non unius tamen Dioſcoridis hoc vitium eſt, ſed pene omnium qui de viribus medicamentorum ſunt commentati. Quum variæ vero ſint & interpretationes & editiones librorum Dioſcoridis, uti ex ſuperioribus conſtat, merito præ omnibus palmam hodie debemus editioni Jani Antonii Saraceni, ut qui

poſt

post Ruellium & diligenti cura latine Dioscoridem verterit, & Græcum textum ex plurimis manuscriptis magno studio emendaverit.

XXXIIX. Porro post Dioscoridem de virtutibus plantarum satis eximia etiam prodidit *Galenus libris ultimis De simplicium medicamentorum facultatibus.* At qui Galenum sequuti sunt Græci, præcipue *Aetius*, *Ægineta & Oribasius*, quæ habent de plantarum facultatibus, vix alia quam ex Galeno & Dioscoride desumpta, tantum in compendium redegerunt. Præter illas autem Græcis usitatas plantas nonnullarum aliarum vires ac usum *Arabes* docuerunt illi, *qui post annum Christi octingentesimum ad millesimum ducentesimum pene usque* ut aliam fere omnem doctrinam ita & Medicam artem excoluerunt. Cæterum in Latinum hactenus scripta illorum, quæ huc quidem faciant, conversa pauca prodierunt. Desideratur enim, cujus *De simplicibus* opus maxime Andreas Alpagus commendavit, Ebenbitar. Inter eos qui ad nos pervenerunt præcipuus est *Joannes Serapion*, utpote qui singulari opere conatus est vires simplicium medicamentorum exponere, testimoniis partim ex Dioscoride, Galeno & Ægineta, partim ex Arabibus nonnullis mutatis. Certe id opus inter Arabica hujus argumenti scripta Latine edita maxime lectu dignum est. Exposuit etiam multorum simplicium facultates *Avicenna & Averrhoës*, sed tantum breviter, & ita quidem ut apud Avicennam multa liceat reperire, quibus tuto fidere non possis.

XXXIX. Postquam seculo tertio decimo circiter à nato Servatore Ars Medica ex Arabum potissimum scriptis addisci in Europa cœpit, ab iis qui Latine monumenta conscripserunt, hæc quoque simplicium medica peritia

etsi non pro dignitate, ex parte tamen exculta fuit. Nec tamen quisquam ab anno millesimo ducentesimo pene ad millesimum quingentesimum quicquam edidit hujus argumenti quod laudem mereatur, si excipias *Matthæum Sylvaticum* & *Joannem Genuensem*. Cumprimis tamen Sylvatici Pandectarius pro captu illius temporis satis eximius est. Certe non sine damno Artis Medicæ ille liber minus nunc manibus studiosorum teritur. Haut vulgarem quoque variarum stirpium medicam peritiam in *Consiliis* suis ostendit *Bartholomæus Montagnana*; verum seorsim hujus argumenti nihil edidit.

XL. Avorum autem memoria renata omni meliori eruditione, qui herbariam rem excolere instituerunt, ad medicum quoque usum multa contulerunt. Non omnium tamen æqualis hoc in genere laus est; quod quidam in plurimis plantis depingendis ac describendis gnaviter quidem laboraverint, cæterum vires & facultates non perinde videantur intellexisse. Sunt porro quibus satis creditum est in unum tantum colligere quæ à Græcis sunt tradita; nova reperta & recentes observationes insuper habentes. Primus novis inventis simul & antiquis Medicam hanc rem plurimum juvit *Petrus Andreas Matthiolus*, doctissimis in Dioscoridem commentariis. Permulta etiam nova propriaque experientia observata de plantarum viribus prodiit *Hieronymus Tragus*; fallit tantum interdum, dum à veteribus prodita herbis nostris diversissimis per errorem adscribit, ut recte à Leonhardo Fuchsio est animadversum. Majorem adhuc præceptore suo laudem promeretur *Jacobus Theodorus Tabernæmontanus*, ut qui ipse magistri exemplo de facultatibus plantarum plurima novæ tradiderit. Quo majore nunc jure dolemus primam tantum par-

partem operis amplissimi ab auctore ipso esse absolutam; secunda scilicet & tertia ab alio quodam elaborata, non male quidem, infra tamen illam laudem quam Tabernæmontano posteritas debet. Satis eximia quoque sunt & multa egregia de viribus plantarum continent opera *Remberti Dodonæi, Matthiæ Lobelii & Joachimi Camerarii*; utut Tabernæmontanus præ aliis hisce emineat, & istos reliquos omnes longe superet.

XLI. Præter hos vero Botanicos scriptores multa quæ ad Medicum hunc usum faciunt, petere licet ex iis maxime scriptoribus, qui de simplicibus medicamentis aut re pharmaceutica commentati sunt. Et vero hos imprimis legere est operæ pretium, hujus quidem finis ergo: utpote qui enarrent omnes stirpes vel certe plerasque, quarum in pharmacopoliis usus est, quasque cumprimis cognoscere Medici interest, aliarum omnium stirpium cura seposita. Sunt autem in hoc genere præcipui *Leonhardus Fuchsius* opere *De compositione medicamentorum, Joannes Fernelius libro V. & VI. Therapeutices*, *Bernhardus Dessennius* opere *De componendis medicamentis*, *Antonius Musa* variis libris, quibus examen simplicium & compositum medicamentorum instituit, *Joannes Renodæus in Dispensatorio, Joannes Jacobus Weckerus in Antidotario.*

XLII. Sunt postremo nonnulli, qui non omnium, sed singulatim aliquarum tantum plantarum speciem pertractarunt. Ita *de Opobalsamo Orientali antiquo & hodierno* extat tractatus Norimbergæ à V. C. *Joanne Georgio Volckamero* evulgatus, lectione cumprimis dignus. Huc pertinent quoque scripta illorum, qui de plantis ex India utraque allatis scripserunt. Et *de Americanis* quidem *Nicolaus Monardes*, *de Orientalis autem Indiæ plantis*

Garcias ab Horto & Christophorus à Costa præclaros libros confecerunt: quos latine à se versos edidit & notis illustravit Carolus Clusius, stirpium inquisitor diligentissimus & de omni herbario studio optime meritus. Post illos *de Medicina* itidem *Indorum* non adeo pridem egregios libros consignavit *Jacobus Bontius*. Cujus generis etiam est *Prosperi Alpini de Medicina Ægyptiorum opus*; quod Bontiano illi Parisiensis editionis junctum est. Similiter denique huc referendus est parvus quidem sed egregie & lectu dignus libellus *de Sambuci anatomia Martini Blochvvitii* Oschaliensis. Certe his similibusque aliis scriptoribus si quis dederit operam, simulque in adversariis suis quæ sparsim tradita inveniuntur collegerit, haud multum hujus quidem argumenti desiderabit.

ADDITAMENTA.

III. ✻ *Ut vero de vernaculis appellationibus*. A Grammatica cognitione incipit, quod illa præcedit jure suo tum Philosophicam tum Medicam: *Lobelius* Præfatione in adversaria ea de re sic ait: *Et quia plantarum cognitio duplex, altera nempe de facie exterior, altera virium, quasi interior, illam huic antevertere debere, monet Philosophi opera, imo ipsa natura. Neque enim potest quis ullam certam cognitionem sibi arrogare eorum simplicium quæ nunquam aspexit.*

VII. ✻ *Primum à nescio quo anno 1540. constructum esse.* De anno certum est, eo ita accidisse, sed auctoritate senatus Veneti, suadente & mox dirigente opus Bonafide, qui & eodem anno præfectus horti primus factus est: Danieli vero Barbaro debetur, quod Illustrissimo Senatui sit persuasum; ille enim, *cum Herbarius iste id opus diu ursisset & compellasset senatum plurimumq;*

insti-

institisset, ejus suscepit patrocinium, *æquum laudabileque esse, quod tantopere postularet, magnæque utilitatis futurum*, commonstrans, *tum ei demum concessum est*, *ut theatrum ex terra & lapidibus pro suo arbitrio construi juberet*: prout luculentum habemus ejus rei enarratorem *Petrum Bellonium in libello de neglecta plantarum cultura probl. 20.*

✻ ✻ *Weslingius noster.* Hic successorem habuit Georgium à Turre, Patavinum.

✻ ✻ ✻ *Cæsalpinum.* Cujus tot de universa re medica incomparabiles extant libri: Fuit autem Lucæ illius Ghini, cujus modo facta est mentio, discipulus, & tum quoque successor. Italicis hortis adnumerandus etiam venit Bononiensis, quamvis reliquorum celebritatem hactenus non attigerit. Catalogum tamen ejus, sub nomine Horti Studiosorum Bononiæ consiti Anno MDCLVII. cum novarum plantarum hactenus non sculptarum figuris & historia publicavit *Hyacinthus Ambrosinus*, Simplicium Professor & horti Præfectus, qui etiam promiserat Icones novarum Plantarum in Mutinensium & Lucensium Alpibus collectarum, una cum Indice omnium herbarum qui in Cimone monte reperiuntur, sed horum aliquid an prodierit, non liquet.

IIX. *Claudii de la Brosse.* Imo Guidonis: *Guy de la Brosse Medicin ordinaire du Roy, & designé par sa Majesté pour intendant de ce Gardin*: anno MDCXXVIII. edidit librum sub titulo: *Dessein d' un Jardin Royal pour la culture des plantes Medicinales a Paris*: *ou il est amplement deduit la raison de la necessité, & quel bien il peut oporter au public.* Sunt epistolæ ad Regem, Cardinalem Richelium, aliosque primores Galliæ, & Apologia pro erigendo horto cum catalogo Plantarum usitatarum, quæ semper aut recentes aut siccæ in horto illo haberi debeant, una cum succis earum, aquis destillatis, salibus & essentiis. Additus est hic tractatus majori Guidonis Brossæi libro *De la Nature, vertu & utilité des Plantes.*

✻ ✻ *Joanne Robino.* Viget etiamnum ejus viri memoria in isto suo horto; vidimus enim Lutetiæ adhuc dum vi-

rentes magno numero ſtirpes ejus manu conſitas, potisſimum vero Rarisſimæ Plantæ, Acaciæ Americanæ Robini (nam ejus gerit nomen) plurimas, quæ tum quidem terræ commiſſæ, & quantum conjicio ex ſemine pronatæ, nunc pulchre adoleverunt, ut ſub ipſis umbram capere & deambulare liceat. Curam horti tum gerebat D. Marchandus, vir humanisſimus pariter ac doctisſimus, qui per univerſam Galliam non modo, Hiſpaniam, Italiam, & Germaniæ partem, ſed & Ægyptum, Aſiam, Africam plantarum gratia fuerat peregrinatus, juſſu & auſpiciis ſummi principis Gaſtonis Ducis Aurelianenſis, Ludovici XIII. Fratris, maximi literarum, dum viveret, patroni, quem adhuc in vivis eſſe audio. *Robinus* autem poſt initium ſeculi floruit, tertio nempe & quarto decennio. Scripſit *enchiridion Iſagogicum ad facilem notitiam ſtirpium tam indigenarum, quam exoticarum, quæ colebantur in illo horto*

IX. ✠ *Academia Jenenſis ſecuta eſt*- Auctore potiſſimum & primo dein præfecto Guernero Rolfinkio, cognato meo, botanico abſolutisſimo, cujus herbarium vivum, propria manu confectum & ad ordinem Dodonæi diſpoſitis plantis per claſſes, decem voluminibus ingentibus conſtans, haut levem nobis olim in addiſcendis plantarum nominibus opem tulit, utpote cujus uſum pro paterno in nos affectu Vir amplisſimus liberaliter concesserat. Secutus eſt ipſum clarisſimus Slegelius, eumque diſcedentem, Parens meus, ſed præmatura morte obiens non admodum diu horto præfuit; poſt quem Joh. Theodorus Schenckius ejus curam gesſit, tum Arnoldus Friderici, cui ſucceſſit tandem Auguſtinus Henricus Faſchius, qui magna ſedulitate rei botanicæ incumbens, & ipſam horti Aream emendavit, & multas rariores plantas intulit, iisque de hybernio proſpexit: denique exſtructo magnifico porticu ipſum ornavit, adeoque jure merito optime meritus horti Jenenſis inſtaurator audire meretur.

✠ ✠ *Inſignem porro jam dudum famam meruit ſimilis hortus in Batavis*- Lugdunenſem dicit. Is nunc juſto ſpatio & magna rerum naturalium copia, in ambulacro æſtivo elegantisſimo diſpoſitarum gaudens. Præfecto poſt Sienum fruitur viro doctisſimo

ſimo & elegantiſſimi ingenii Paulo Hermanno, Halo-Saxone, qui ex ipſa India Orientali ad officium illud arceſſitus, rariſſimas plantas pariter atque alia plurima pulcherrima inde ſecum attulit, quibus mire nunc hortus atque ambulacrum iſtud ſuperbiunt, jam ante cultisſima. Ediidiſſe eum audio catalogum plantarum; quod commodo rei botanicæ haut exiguo factum judicamus, cumprimis, quia figuræ plantarum ſint additæ ab auctoribus adhuc prætermiſſarum: certe absque hoc adminiculo hortorum uſus diſcentibus vix poteſt integer conſtare. Sed & Lipſienſis Academia ſuum celebrat hortum, jam inde ab anno præteriti ſeculi octuageſimo, ſub Pauli Ammanni, Botanici curioſisſimi tutela hodie florentiſſimum. Sed de his omnibus hortorum incrementis, ipſaque inauguratione Jenenſis illius, aliorumque legi meretur celebrati ſæpius *Rolfincii liber de vegetabilibus V, 3. 6.* delitiis hortenſibus atque amœnitatibus ita refertus, ut in hortis ipſis verſari & prodeambulare per eorum areas & vireta legentes ſibi videri queant.

✱ ✱ ✱ *Hortus Heſſenſis.* Quanta fuerit plantarum in iſto ubertas, ex *Catalogo*, quem *Joannes Royerus*, primus ejus præfectus olim edidit, licet perſpicere: Nunc præeſt eidem filius Joannis qui quidem inſigni fuit olim & peritia & induſtria, ita ut ad meum usque in hanc Academiam adventum dignitas horto conſtiterit ſua, ſed ut

Omnia fert ætas animum quoque,

ita is nunc ſenio confectus, ſumtibus etiam ex parte horto ſubtractis, plurimum à priori diligentia remiſit: præſertim poſtquam filius ejus unicus quem in ſpem ſucceſſionis egregia itidem imbuerat herbarum ſcientia, in Italia ante aliquot annos fatis ceſſit: ita ut nunc vix ſpes ſit reliqua, hortum iſtum unquam ad priſtinum ſtatum eſſe rediturum. Erat tum temporis haut paucis etiam rarioribus plantis inſtructus Schœningenſis hortus, in quibus caput extollebat præ cæteris Cuajaci arbor juſtæ magnitudinis: verum is nunc cum multis aliis Saltzthalium migravit, nobisque triſte ſui reliquit deſiderium; maxime cum poſt ejus diſceſſum hortus quoque reliquus negligentior haberi ceperit.

X. ✱ ✱ Quæ

X. ✻ *Quæ circa Altorfium reperiuntur, Ludovicus Jungermannus.* Altorfinas plantas accuratius nunc descripsit *Mauritius Hofmannus*, vir rectissimo judicio, & antiqua fide inter doctos hodie præcipuus, & Botanicarum rerum longe peritissimus, *Catalogo* edito *cum earum quas florentissimus ejus hortus profert* rariores plerasque, *tum quas universa vicinia.* Placet autem præ cæteris omnibus hic catalogus quod non synonyma tantum & loca addidit, tabulaque topographica æri insculpta adnexa, indicavit, sed & indice novo per menses singulos quæ ubi invenienda sint, doceat: ita ut quilibet rei herbariæ utcunque initiatus, sponte sua sine magistro aut comite possit omnia invenire; Quin & reliquas res naturales ibi reperiundas describit, ut eo nomine ad præcedens caput referri ex parte queat. Sed & alii novos catalogos edidere: Jenensem *Joh. Theodorus Schenckius*, sed qui nec synonyma nec loca, nec tempus quo extent, adscripsit: confudit quoque hortenses cum sponte nascentibus, ut parum hoc suo labore juvari studiosa juventus queat. Longe rectius se in simili gessit negotio *Joh. Raye, Anglus*, vir stirpium peritia longe maximus, edito primum catalogo Cantabrigam circa nascentium plantarum; At mox longe accuratiorem totius Angliæ: ex quo libro laudata ejus peritia longe clarius emicuit, quam non in patria tantum; sed institutis in longe dissitas per Europam regiones peregrinationibus sibi comparavit. Unde & mox alterum edidit Catalogum plantarum extra Angliam nascentium: ut viri in locis omnibus perreptandis & exquirendis diligentiam satis mirari non possim. Silesiacas plantas dedit nobis una cum Hirschbergensibus diligentissimus rerum naturalium patriæ suæ scrutator, *Caspar Schwenckfeldius*: Middelburgenses *Peletarius*, Marchicas *Elsholtius*, circa Halam Saxonum nascentes *Schefferus*, Amphitheatrales *Panarolus*. Monspeliensem regionem accuratissime descripsit vir itidem notitia herbarum, indigenarum præsertim, nemini secundus *Magnoilus*, cujus singulari benevolentia & nos usi sumus jam ante hos XII. annos, non sine insigni in addiscendis plantarum nominibus utilitate. Vidimus jam tum absolu-

absolutum istum apud ipsum catalogum, quem etiam lucem vidisse inaudivimus, sed desiderium ejus nanciscendi nondum licuit explere, quantocunque etiam illo ex eo tempore teneamur. Nam præter stirpium ibi nascentium enarrationem accuratam, addiderat plurimas in Casparis Bauhini Pinacem vir doctissimus animadversiones, infinitos ejus errores commonstrans, quibus plantarum numerum præter rem auxisse eum contendebat. Est autem hic catalogus omnium qui extant sine dubio numerosissimus: Præ omnibus enim regionibus Gallia Narbonensis plantarum ferax, agnoscente id *Mathia Lobelio* cui ut homini extero fides haberi potest. *In Præfatione* autem *Adversariis præmissa* hæc habet: *Si delitias & divitias plantarum, quæ Narbonensi agro, cis transque Rodanum, Lyguribus & Pyrenæis Alpinis utrinque maritimis contermino virent, cum plerisque septentrionis, vel ipsius Italiæ tractibus quis conferat, hosce saltus & pascua, lumas, aut desita loca putet, Narbonenses autem præfecturas amœnitate & varietate feraci Elisiæ vireta dicat, illis quidem sparsim multa & rara, sed hic tum eadem, tum longe plurima & lætiora etiam in montis & convallis ambitu pusillo, quasi uno orbis compendio, occurrunt.* Sane non sine causa laudavit hæc loca Lobelius: Nos certe intra semestre quod ibi commorati sumus spatium ultra quadringentas antea non visas (non autem rei botanicæ plane rudes accesseramus) præeunte humanissimo Magnolio, collegimus, meminique ex eo non semel audivisse, ultra bis mille diversas in solius Monspelii agro & vicinis montibus reperiri. Qui profecto ingens est numerus, ad quem haut scio an ullus totius orbis locus accedere possit.

* * *Sed & Helmstadiensi nostro agro.* Ego me olim, cum id negotii mihi esset a Serenissimis Principibus meis demandatum, ultra sexcentas plantas observare memini, non excurrens ultra unum Germanicum miliare quod vocant, nec despero ad DCC. produci istum numerum posse, si quando otium & occasio tulerit ceptum jam dudum catalogum plantarum pertexere.

* * * *Et seorsim quædam loca quæ circa Monspelium &*

Sedanum sunt. De illis jam diximus, Sedanum non adivimus: celeberrimi verò sunt & montes Alvernienses, in quibus eminet Mons Dei; ut prope Monspelium Mons Lupi & Mons Cete, ubi & nos varias rarissimas plantas decerpsimus.

XII. ✻ *De ordine nempe observando.* Ita tamen, ne omni ordine neglecto, promiscue omnes prout sese offerunt inserantur, sed aliquis teneatur. Ordo enim memoriæ unicum subsidium est, neque quicquam tam perniciosum est discentibus, quam sine ordine discere: præsertim in re tam diffusa atque est herbarum cognitio. Sane ego aspicere sine indignatione vix possum herbaria illa viva, quæ vulgo confieri à juventute solent sine omni ordine. Danda ergo est opera ut consimiles genere sub sua quævis classe collocentur: neque refert, quod ab aliis alio referantur plantæ auctoribus, in eo enim est, quod dicit auctor, quemvis ordinem servire discentibus posse: prout nempe hunc vel illum quis sibi selegerit, quem sequatur auctorem. Sic Rolfincius Dodonæum erat secutus, mihi Bauhinum præferre visum est. Nunc, cum Morisonius & Rajus litis hujus finem fecere, & certam qua in indagandis plantarum generibus incedamus, monstrarunt viam, illam potius sequendam duxerim. Verum cum isti auctores rari sint, prodesse interim potest *Pauli Ammanni* editus nuper *character plantarum*, si fortè Raji methodus, qui bis tamen jam editus fuit, haberi non possit. Et quidem apprime foret utile Bauhini pinacem refingere, & ex istorum mente collocatis plantis, nomina à Bauhino collecta, vitatis erroribus ab ipso commissis, addere, ita tamen ut in fronte ac prima acie pugnet Rajus & Morisonus. Adjungendus vero omnino erit Magnolii Catalogus, & ipsius animadversiones inserendæ. Interim donec id ab aliquo cordato homine præstetur, Bauhini pinax eligi quoque potest, quamvis longe illis recentioribus, variis de causis sit postbabendus: laudem tamen meretur vel eo nomine quod cæteris voluerit hic præire. De addendis autem reliquorum auctorum nominibus quod dixi, omnino necessarium est: frustra enim sunt, qui sibi persuadent ea deinceps negligi citra artis incommodum posse,

ſe, prout mox pluribus oſtendam. Quo vero & ſumtibus conſulatur, neque charta inanis in magnis voluminibus in ſpem futuræ collectionis relinquenda ſit plantarum collectoribus, ego quidem auctor ſum meæ curæ ſe committentibus, ut ſingulis foliis ſingulas plantas affigant, donec tandem additis ſucceſſive & per vices reliquis in juſta volumina repetitus aſſidue labor poſſit coaleſcere.

✣ ✣ *Quod autem in herbis ſiccis.* Jam antea de his egimus. Ligna, radices, ſemina, fructus, aromata ex utraque India allata item ex Aſia, Africa, cumprimis Arabia, aliter cognoſci nequeunt, cum pauciſſimis liceat adire disſita hæc loca neque ſit operæ pretium ob id unum eò ire. Recte igitur quod herbaria viva ad ſtirpes indigenas, id ejusmodi collectiones exoticorum ad reliquorum officinalium vegetabilium cognitionem conferunt.

XIII. ✣ *Per effigies videlicet ſtirpium ad vivum depictas.* Fuit hic mos antiquiſſimus & non ſolum Pamphilo ante Galenum uſitatus, ut mox pluribus oſtendemus, ſed & jam inde ab Hippocratis temporibus plurimis aliis, ut Cratevæ, qui hujus fuit coævus. Ex *Plinio* diſcimus *Hiſt. Nat. L. XXV. cap. 2.* Verba ejus ſunt hæc: *Græci auctores Medicinæ, Cratevas, Dionyſius, Metrodorus, item Evax Rex Arabum, qui de ſimplicium effectibus ad Neronem ſcripſit, prodidere ſcientiam herbarum ratione blandisſima, ſed qua nihil pene aliud quam rei difficultas intelligatur. Pinxere namque effigies herbarum, atque ita ſubſcripſere effectus. Verum & pictura fallax eſt, & coloribus tam numeroſis, præſertim in æmulatione naturæ, multum degenerat transſcribentium ſors varia. Præterea parum eſt ſingulas earum ætates pingi, cum quadripartitis varietatibus anni faciem mutent. Quare cæteri ſermone eas tradidere; aliqui ne effigie quidem indicata, & nudis plerumque nominibus defuncti, quoniam ſatis videbatur poteſtates vimque demonſtrare quærere volentibus.* Hæc ille. Adſcripſimus autem integrum hic locum, quod ille ipſe eſt cujus deinde fit mentio inciſo 16. hujus capitis, ubi hæc de picturis Plinii difficultas expenditur.

✣ ✣ *Omnium primi in id incumbere ceperunt.* His accenſendus etiam eſt *Adamus Lonicerus*, Phyſicus Francofurtenſis, cujus

cujus duplex opus, utrumque cum figuris, si recte se habet Lindani catalogus, anno seculi præteriti 55. jam extitit, Mirum tamen, si verum. Nam Lonicerus natus est anno MDXXVIII. prout ex effigie ejus operi Germanico præmissa patet, adeoque anno MDLI. quo secundum Lindanum primum opus prodiit, non nisi 23. annorum fuit, & tamen opus illud Dioscoridis æmulum est, additamque insuper habet artem destillandi, quæ omnia vix cadunt in virum juvenem.

✻ ✻ ✻ *Editio Italica.* Videtur ad Venetam respicere, quæ figuras longe elegantissimas exhibet, singulis integrum folium occupantibus. Prodiit ex officina Valgrisiana anno MDLXVI. item MDLXXXIII. in folio.

XIV. ✻ *Plantas passim occurrentes & maxima ex parte vulgares.* In Belgio: multæ enim in Germania nascentes non reperiuntur: multæ quoque in Dodonæo occurrunt, non æque obviæ sed ex hortis collectæ; ut fieri solet in adornando opere integro.

✻ ✻ *Hæc Thuanus.* Post hos omnes demum prodiit vastissimum opus Johannis Bauhini, Casparis fratris, quod *Historiam Plantarum* inscripsit, in quo universam rerum vegetabilium historiam tradidit, ad exemplum Historiæ animalis Aldrovandi. Et vero hoc opere, fatendum est, omnes qui eum præcesserant, superatos: tanta enim fuit viri industria & indefessum studium, ut Juvenis Helvetiam, Italiam, Galliam, Germaniæ partem, aliasque regiones peragraret, plantarum cognoscendarum gratia; Senex autem factus, omnes evolveret auctores. Hinc tantam sibi acquisivit peritiam, ut licet non omnino omnes, plerasque tamen etiam peregrinas, enarret. Id tamen in eo opere desideres, quod icones, quas addit plerumque nimis exiguæ, minus tersæ nec dignitati operis sint respondentes, imperfectæ etiam haud raro, imo & transpositæ, aliisque vitiis laborent, quæ lectores possint turbare. Usus est initio adminiculo Generi sui, Henrici Cherleri, doctissimi viri, quo fato functo non multo post soceri obitum, editionis curam in se suscepit Chabræus, medicus Genevensis: sumtus autem si non omnes, magnam tamen partem suppeditarunt Proceres Ebrodunenses, sub quorum

rum auspiciis prodiit opus, cujus amplitudo omnes typographos deterruerat. Et quidem hoc ipsum in causa esse apparet, quod & pauciores quam par erat, & minus splendidæ figuræ sint additæ. Sed operæ fortassis erit pretium de tanti libri origine & incrementis quædam ipsius auctoris verba adducere, ex præfatione in librum IV. descriptionis fontis Bollensis, cujus ad caput præteritum mentionem fecimus; præsertim cum & Lugdunensis illius historiæ fatum ibi habeatur & ipsius auctoris vita magnam partem inde cognosci queat. Talia sunt: *Triginta quatuor nunc præterierunt anni, quod peregrinationes meas juveniles & labores indefessos maxime circa studium botanicum utilitati publicæ devovere, & publici juris facere decrevi. Ac proinde pro historia stirpium universali quam tum meditabar, descriptiones, synonyma, & observationes circa easdem varias per Alpes primum Helveticas aliasque plures, dein per Germaniam, tandem etiam per Galliam, præcipue tamen Narbonensem, Italiamque congessi. Has meas lucubrationes & adversaria paulo post, ut & plantas ipsas, magno illi GESNERO, optimo meo præceptori (ipso hoc flagitante) communicavi lubens. Ex hismet postmodum Eicones non paucæ historiæ Matthioli à præcelebri medico D. CAMERARIO editæ accesserunt. Nec pauca nobis debet LOBELIUS. At vero qui historiam illam Lugdunensem consarcinavit, omnia nostra habuit. Sed me hercle eadem hæc, aliaq; plurima parum considerate congessit, tum divulsis eorundem generum speciebus, tum iisdem earundem stirpium tam iconibus, quam descriptionibus sæpius imprudenter inculcatis. Nec certe potuit aliter, ut qui vel stirpium & plantarum fuerit imperitus, vel doctas doctissimi DALECHAMPII meditationes neutiquam perspectas habuerit, quas promiscue cum nostris aliorumque scriptis confudit. Et etiam nunc historiam illam confusam potius quam ordine digestam, & sine judicio (dicam fere) sine lectoris Φιλοβοτάνȣ utilitate. Mihi quidem tum generalis illa historia fuerat demandata, ut qui ad illam vel ultro me accinxeram: nec infeliciter etiam cœpta, ut multis viris clarissimis notum est, & ex GESNERI editis epistolis patet. Interim dum hæc fiunt, intempestivis (proh dolor) bellorum Gallicorum fluctibus exerceor, peneque dixerim obruor, ut non solum tranquillioris vitæ studio,*

dio, relicto Lugduno, sed & circa historiam conatu ipso, Genevam primum, postmodum etiam ad almam patriam mihi fuerit redeundum. Tum studia mea Botanica pressa, neutiquam tamen oppressa delituere. Nam & praxi Genevæ grassante peste districtus, & Professioni paulo post Basileæ præfui, ubi tamen magnam ἀντιβαλλομένων & συνωνύμων *meorum partem conscripsi: In his etiam dum occupor, ecce novo irradior Phœbo. Illustris nempe Princeps* FRIDERICUS DUX WIRTEMBERGENSIS, *&c. honorifico stipendio ad se Mompelgardum evocat; Ubi hortum principis & studium botanicum ipsum aliquantisper quidem intermissum, neutiquam tamen penitus omissum, ex professo recolere cepi, quantum quidem per pragmaticam & occupatissimam aulicam vitam licuit. Primum itaque magnum illud opus meum, cui titulus* Consensus & dissensus authorum circa plantas *magno labore concinnavi, non posthabito interim instituto de Historia generali edenda, adjectis synonymis aliisque, ad stirpium cognitionem exactam plurimum facientibus. Hæc autem omnia tam crebris peregrinationibus, praxiq; medica adeo fuerunt interrupta, ut ad hanc usq; diem non sine magna laborum meorum jactura fuerint retardata atque protracta. Tandem vero, ingravescente ætate, & utilitate publica illud suadente postulanteque, serio cogito de operibus meis Botanicis edendis, hocque eo facilius atque citius futurum nunc spero, cum divina providentia Gener mihi nunc contigerit* JOH. HENRICUS CHERLERUS, *Phil. & Med. Basil. & in omni genere literarum, præcipue vero etiam in studio botanico ob varias peregrinationes per Gallias & Italiam apprime versatus. Hujus itaque fidem diligentiamque adversariis & observationibus meis adhibere, eique committere decrevi, nec dubito, junctis operibus tantum effecturos nos, ut Generalis mea Plantarum historia cum Consensu & Dissensu circa plantas earumque synonymis &c. supremam manum consequi, & brevi tandem in publicum prodire queat &c.* Hæc ibi Johannes Bauhinus bona fide ita enarrat. Nos vero antequam de iis qui figuris illustrare plantarum historiam instituere, cessemus dicere, etiam Morisoni recentissimi operis meminisse oporteret: Sed ejus institutum ad Philosophicam notitiam stirpium maxime respicit, adeoque infra commodius recensebitur. Utinam vero aliquando consumma-

retur

retur atque prodiret in publicum id quod Parisiis apud supra laudatum horti Regii præfectum D. Marchand Ludovici XIV. maximi Regis jussu cœptum vidimus vere Regium opus, figurarum ad vivum æri incisarum, quibus singulæ plantæ tam nitide tamque accurate exhibeantur, ut nihil absolutius unquam orbis adspicere queat. Sed paucæ tum erant excusæ, & jam tum à rei literariæ cura, animum Regis abduxerat ad belli studium insatiabilis acquirendi libido, ita ut sumtibus in alia omnia conversis, vix liceat deinceps quicquam ea in re inde expectare: O utinam aliquando, armis & Marte relictis cum Musis rediret in gratiam magnanimus æque ac potentissimus Monarcha & metu ac terrore soluto, cupiat ut ante, à vicinis populis amari potius ac suspici quam metui ac esse exosus: rediret fortassis in eorum pectora prisca veneratio, qua delicium Generis humani tum audiebat, haberetque etiam botanica res quod post tot artium ac scientiarum augmentum à Ludovico sibi accessisse posset gloriari.

XV. ✱ *Cretenses stirpes præcipuè spectantur.* De plantis Cretensibus longe absolutius edidit opus sive *Joannes Baptista*, ut ego eum vocari memini, sive, ut aliis appellatur *Jacobus Zanoni*, Bononiensis Pharmacopæus, sed ex eorum numero, qui supra vulgus sapiunt; nam & λιθοταμεῖον apud ipsum spectatur instructissimum, in quod magnum numerum Lapidum omnis generis congessit: rarissimum oculis spectaculum, quod hominis industriam & elegans ingenium prodit. Operæ foret pretium & illud nobis descriptum dare.

✱ ✱ *Ex Leonhardi Rauvvolfii Augustani Itinerario.* Rauwolfii illius Collectionem Herbarum, quam in Peregrinationibus suis fecerat, in Pedemontano solo, Nitzæ, in Provincia circa Massiliam, in Syria, ad montem Libanum, Antilibanum, per Arabiam, juxta Euphratem, in Chaldæa, Assyria, Armenia, Mesopotamia (ita enim ordine seqvuntur) annis MDLXXIII,-LXXIV,-LXXV. quatuor vastis tomis, in quibus omnes plantæ siccatæ nitidissime repositæ, apud celeberrimum virum Isaacum Vossium Hagæ Comitis anno MDCLX. fuisse

fuiſſe, ibique à ſe viſam nos aſſerit Nobiliſſimus vir Henricus Meibomius, Collega noſter honorandus. Fuiſſe autem hæc præſtantiſſima volumina in Electorali Bavarica bibliotheca asſervata, ex ipſo Vosſio intellexit, qui ſimul Paralipomena Botanica quædam ope obſervationum Rauwolfianarum ſcribere, in animo habuit, modo Didymum Alexandrinum de plantis Ægyptiis, MStum Venetiis extantem accepiſſet. Nondum id præſtitit vir doctisſimus, forte quia voto apud Venetos excidit: interim meretur, quantum conjicimus, totum opus, deſcriptis per Chalcographum plantarum figuris edi, non parum enim lucis inde affulſurum rei herbariæ veterum, ex iis colligere licebit quæ deinceps in auctore noſtro ſequuntur, & nos iis adjecturi ſumus.

✻ ✻ *Quam tamen à filio ejus cœptam eſſe.* Singulari factum eſſe fato videtur, quod & Johannes & Caſparus Bauhini, fratres eodem impetu, ſuo quisque loco, & pari induſtria in rem herbariam excolendam ferrentur, atque adeo grande opus molirentur ambo, pari etiam fere ſucceſſu. Etſi enim Johannis opus lucem tandem integrum adſpexit, non tamen ſine maximis id factum difficultatibus, immortuo operi & ipſo auctore, & Genero ejus Cherlero, coadjutore. Caſparum vero itidem in adornanda editione occupatum rapuit ſupremus dies, ſed operis ejus non niſi exigua pars, prima ſcilicet, à filio ſuperſtite evulgata eſt, quo agit de Graminibus, frumentis, & reliquis, quorum nomina libro primo Pinacis enarrantur: ad cujus ductum totum illud opus fuiſſe compoſitum apparet. Edita eſt Baſileæ 1658.

✻ ✻ ✻ *Verum illud opus hactenus lucem non vidit.* Vidit jam: ſed longe infra expectationem eſſe apparuit & vere non magni momenti. Sed abunde compenſavit hunc defectum *Hortus Malabaricus* nuper editus, opus magnificentiſſimum, & quod ſplendore & elegantia iconum omnibus palmam reddere dubiam posſit. De Hiſtoria naturali Braſiliæ, non tantum illa quæ ſub Marggrafii extant nomine, ſed & magnam reliquorum partem quam ſibi vendicavit Johannes de Laet, Marggrafii eſſe, frater ejus Chriſtianus

nus, amicus noster olim nobis asservare solitus est. Pertinet vero ad hæc quoque non solum ejusdem de Laet descriptio Americæ, ubi satis magnus Americanarum stirpium & fructuum ibi nascentium numerus habetur; sed & itineraria eorum qui per eam mundi partem peregrinati sunt, quorum pauci â plantis describendis abstinuerunt manum. Spectant etiam ad hanc classem rariorum plantarum *Lobelii* supra laudati & *Petri Ponæ Adversaria*, utpote in quibus itidem multæ rariores plantæ vix alibi rectius inveniendæ describuntur, illarum præsertim quæ in Gallia Narbonensi proveniunt, fida pictoris manu scriptoris accuratum sequente ingenium: fuit autem in nominibus plantis repetiundis Lobelius apprime ingeniosus ac felix. Denique sunt & recentissimi nonnulli scriptores: uti *Johannes Breyne* Dantiscanus, ex Myriopola factus insignis botanicus. Edidit prodromum, & descriptiones rariorum plantarum nitidissimis figuris, quousque humana industria eniti potest: sed vix ullibi prostant venales, &, præterea ingens quo venduntur & enorme pretium (pro singulis enim centenariis plantarum decem imperiales ab emtore exigit auctor) potest unumquemque ab emtione non injuria absterrere, præsertim cum utilitas rariorum ejusmodi plantarum, præterquam quod nosse juvat, sit prorsus nulla.

XVIII. ✲ *Tyroni verò rei herbariæ suffecerit.* De Bauhini opere supra diximus ad sectionem XIV. Quod vero ad Tyrones, primum omnium danda est opera, ut officinales plantas & nomina noscant, quo in officinis appellantur, ita tamen, ut simul quænam species ibi extent singulorum generum, habeant perspectum: Deinde in reliquis consultius hodie erit sequi Bauhinos, Morisonum & Rajum, ut qui accuratius longe circa plantarum digestiones in genera & species versati sunt. Cum enim priores paucas tantum species cognoverint, brevi etiam ac simplici appellatione sæpe sunt usi: illa vero nunc, ubi plures unius generis innotuere, sufficere amplius non potest, sed confundit ac turbat.

XIX. ✲ *Haut male tamen ---* Rectè id quidem, & factum ita à plerisque est, mereturque consuli hic *Spigelii Isagoge* plantarum

tarum, *Cap. XV. & sequentibus*. Malim tamen ego hac in re statuere cum Morisonio, esse statim ad specificas differentias respiciendum, ut in tali nominis notitia simul eruditionis & doctrinæ aliquid contineatur. Vide quæ ad sequentem sectionem trigesimam adnotamus. Certe hoc pacto Adamum olim in nominandis animalibus, quum Creator illa ad ipsum adduceret, ut perspiceret quod nomen imponeret singulis, se gessisse, Sacrarum rerum & Physicarum auctores concordi scribunt sententia: & quamvis Morisoni methodus omnem essentiam non exhauriat, juvabit tamen, vel particulam ejus simul cum nomine delibasse.

XXI. * Ad hanc nominum à veteribus excogitatorum certiorem cognitionem sine dubio plurimum posset etiam prodesse incomparabilis Critici *Cl. Salmasii* liber, quem à Dnn. Lantini & Marei (De la mare) Consiliorum Parlamenti Burgundici beneficentia nos expectare jussit eorum publice data fides, cujus etiam jam præfationem Divione impressam edidere ante hos 19. annos, titulo: *Cl. Salmasii Præfatio in librum De Homonymis Hyles iatricæ, addito ejusdem de Plinio judicio:* in quo opere ostenduntur infiniti illi errores circa nomina rerum naturalium etiam antiquis commissi, & qui factum sit, quod unum idemque variis sæpe plantis inditum nomen fuerit, & versa vice uni plantæ varia item nomina. Utrum vero tam utilis liber, Magni illius viri industria citra dubium accuratissimè conscriptus, præfationem secutus atque editus sit, non constat: si factum non est, injuria publico invidetur, cum periculum sit, ne quando per infortunium nobis pereat: Sed forte in turbulenta ista Reformatorum ejectione petulantia militis jam absumptus est: quid enim non perpetrarent, quibus omnia permissa?

* *Ulysses Aldrovandus*. Vidimus Bononiæ in ejus Museo, ut jam ante quoque notavimus, pictarum plantarum ingentia volumina, summa diligentia adornata, ex quibus satis licet colligere, quantam in his collocaverit industriam vir stupendi laboris atque ingenio maximus. Suspicor autem, scripta illa Botanica in Palatio Cardinalis Vicelegati Bononiensis, ubi ista omnia

omnia asservantur, adhuc superesse, & inter trecenta illa volumina MSta, quæ ibi extant, alicubi latere: sed vix lucem videntur esse visura.

XXII. * *Quarto denique, cum veteres illi in remotis regionibus vixerint.* Hæc profecto ratio omnium est præcipua. Nam vel in ipsa Germania, Gallia aut Italia quanta sit differentia soli, indeque nascentium stirpium, nemo ignorat, nisi qui ultra patriæ limites pedem nunquam protulit: Idque adeò me movit dudum ut existimarem, frustra nos in istis laborare, nisi Græciam ipsam Asiamve, cum minorem, tum magnam etiam majoris sic dictæ partem, Arabiam cumprimis, & denique Ægyptum adire, omniaque ibi prostantia curate pervestigare liceat: Monstrant certe id quam sit proficuum, *Rauvvolfii* Itinerarium, *Petri Bellonii* observationes, aliaque Scripta eorum, quibus regiones illas pervadere licitum fuit. Verum hoc optare quam sperare proclivius est, ni forte victricia Magni Leopoldi, Venetorumque invictissimorum arma nobis viam sternant; conculcato Turcarum imperio, qui nec talia curant, nec facilem aliis aditum ad ea concedunt: Quod ut faxit supremum numen, ardentissimis ab ipso votis contendendum est:

* * *Quod ubi factum, fieri non potest, ut quicquam nisi verisimiliter.* Quod veteres plantarum suarum imperfectas, imo haut raro etiam plane nullas descriptiones dedere, sed verbo tantum eas innuere consueverunt, id factum semper non est ex aliqua negligentia aut levitate animi, aut quod crederent satis esse in vulgus eas notas, ut non indigeant descriptione prout cuidam posset forte videri, sed quia icones singularum addiderant. Ita enim in more positum ipsis fuisse jam inde ab antiquissimis temporibus, ex luculento illo Plinii testimonio antea â nobis allato satis videtur esse certum. Cum igitur figuræ essent ab ipsis additæ, non opus erat prolixa descriptione, sed ea, tanquam supervacanea, omissa, statim ad effectus enarrandos accedebant. Apparet igitur, unicum huic rei remedium in figuris antiquis genuinis esse quærendum, quia in re quid sperandum nobis sit, mox ad sectionem XXVI, declarabimus.

XXV. ✠ *Et Caji Plinii-sic satis comtos præbuere.* Qui compendium quærunt, iis sufficere possit quæ anno MDCLXIX. Lugduni Batavorum prodiit nitidissima editio, tribus tomis, cum selectis doctorum virorum commentariis; inter quos & Dalechampii & Salmasii notæ habentur quædam. Nihil in ista posset forte desiderari, si recto cum judicio omnia essent ex commentatoribus excerpta: etsi tam vastus labor, & prope immensus vix absolutam curam admittat.

XXVI. ✠ *Inspectis antiquis codicibus MStis qui figuras plantarum habent adpictas.* Respexisse auctorem ad ipsum illud â nobis supra celebratum, & ab incomparabili Lambecio descriptum Dioscorideum, in aperto est. In asserto autem isto ita eum falli non puto, ut minus dixisse quam par erat mihi videatur, dum tantum *aliquo modo* nos ejusmodi figuris inspectis juvari posse, existimavit. Quod enim veretur à manu imperita sæpe depictas illas esse, id ex conjectura ita putavit, cum non antiquos satis crederet, sed forte sequioris ævi: Nam antiquiores Romanos Græcosque artis pingendi fuisse peritissimos, nullique nostrorum artificum cedere quenquam veteris ævi, ipsum minime latuit. Manifestum vero est ex supra à nobis ex Lambecio allatis in medium, ad quam ætatem Codex ille Cæsareus sit referendus. Liceat igitur mihi, dum de cæteris Regis Galliæ aliisque nihil habeo quod dicam, saltim de isto esse securum: nam præter argumentum à Chronologia, ipsoque tempore quo vixit Anicia, depromtum, satis pro vetustate codicis feliciter militat ipsa figurarum excellentia, quas non imperita manu, sed summa cura, scitissime & accuratissime esse delineatas, clarissimo viro attestanti est credendum. Nullum igitur est dubium, genuinas esse istas figuras, & itidem ex antiquissimo Dioscoridis exemplo descriptas: sive jam ipse Dioscorides à primordio statim adpinxerit, sive deinceps ab aliquo sint adjectæ: utrumque enim fieri potuit. Et vero istuc ut credam illo fere inducor, quod antiquo more ita erat receptum, & nonnunquam in describendis plantis parcus admodum sit Dioscorides, atque concisus. Neque obstat, quod inventi sint co-

dices,

dices, in quibus adpictæ non erant, itidem antiqui; sine dubio enim, cum describerentur, sumtus vitandi causa omissæ fuerunt plerumque picturæ. Quale quid etiam ipsi Cratævæ libro evenisse ex Dioscoride colligo, qui in principio *Cratævam herbas nonnullas non satis designatas reliquisse* conqueritur, cum contrarium ex Plinio constet: Ergo figuras periisse cum Dioscorides viveret necessum est. Forte autem ejusmodi exemplar in quibus servatæ erant Dioscorideæ, ad ævum Julianæ Aniciæ fuit superstes: quod si modo tale aliquod exstitit, multo facilius accidere potuit, quam quod ejus auspiciis exaratum ad nostra usque duravit tempora, quippe cum â Dioscoride ad Aniciam vix quingenti intercedant anni, mille autem & ducenti ex quo illa vixit, præterfluxerint. Quod si non ab ipso Dioscoride derivatæ icones istæ sunt, certe ab aliquo fuisse additas licebit asserere, rei herbariæ non imperito, & cui a Dioscoride descriptæ stirpes fuerunt probe cognitæ: Neque enim poterant illis temporibus, ubi nulla barbaries literarum studia adhuc fœdaverat, facile ignorari, præsertim in Græcia, neque deesse poterat Aniciæ commoditas omnis ejus generis codices conquirendi & optimum ac probatissimum, quem sequatur Pictoris manus, seligere: ni forte ex vivo naturæ exemplo delineari maluit, indicantibus τοῖς βοτανικωτάτοις aulæ Cæsareæ medicis. Insignis sane foret stultitia, & res tam illustri fœmina, Imperatoria stirpe oriunda, prudenti alias ut constat, & frugali, prorsus indigna, tanta profusione & vere Regiis impensis adornare opus imperfectum, & in falsis imaginibus pingendis tantum temporis, laboris, sumtuum inaniter comsumere: summam enim & extremam diligentiam etiam in reliquis fuisse adhibitam, nos docet Lambecius, qui uniuscujusque plantæ descriptioni suam ê regione respondere figuram artificiosissime ad vivum depictam asserit, & contextui Dioscoridis insuper præfixas esse varias appellationes singularum plantarum, quibus non solum â Græcis & Romanis, verum etiam à Persis, Ægyptiis, Hetruscis, Hispanis, Gallis, Dacis, aliisque olim sint vocatæ: Adjecta porro fragmenta Cratævæ, excellentissimi illius Botanici, Hippocrati laudati; æque ac Ga-

leni: ut quid de iisdem plantis, alter ante Dioſcoridem, alter vero poſt eundem tradiderit, cognoſcatur. Ex quibus omnibus, ut hæc tandem concludam, plus commodi ex unico hoc MSto, ſi ederetur in lucem, ſperandum eſſe liquet, quam omnibus diſceptationibus. Hermolai, Matthioli, Maranthæ, & quicquid tandem eſt Botanicorum, qui in enodandis iſtis difficultatibus deſudarunt.

XXVII. ✻ *Ob aliquam ſimilitudinem.* Diximus de eo jam noſtram ſententiam ad eandem theſin XIX. unde ſi placet, repetenda eſt.

XXX. ✻ *Joannes Coſtæus.* Hunc auctorem aliorum verbis alienisque coloribus liceat depingere. Ita igitur de eo *Hermannus Grube*, vir dum viveret non indoctus, fidusque eorum quæ noverat, Doctor, in præfatione tractatus de Malo Citrio: *Ad exemplum Theophraſti perelegantem & commendabilem præprimis rerum naturalium cultoribus de univerſa ſtirpium natura, librum tradidit poſteritati Coſtæus.* Et paulo poſt: *Ejus ſanè notæ ſunt, quos mihi quidem legere hactenus contigit de hoc argumento*, (legerat autem Ruellium & Marantham & quæ habet Scaliger in libro de ſubtilitate) *ut facile palmam omnibus præripiat Coſtæus: qui cum & elegans ſit, & in paucorum manibus, nullus dubito quin gratiam initurus ſit magnam à naturalis ſcientiæ ſtudioſis qui ſit operam navaturus huic denuo in lucem edendo.*

XXX. ✻ ✻ *Quæ tota eſt Philoſophica.* Huc fortaſſis haut immerito partem etiam aliquam conatus aliorum referas Botanicorum, præ cæteris vero *Caſparis* & *Joannis Bauhini.* Utriusque enim maximus & pene immenſus labor ad eundem ſcopum collimat, nempe ut in ordinem redigant genus omne plantarum. Hic certe in hiſtoria ſua plantarum, ille in Pinace id potiſſimum egerunt; & quidem in multis non infeliciter. Omnes vero tandem in genere hoc longe ſuperarunt *Robertus Moriſonius Scotus*, Medicus & Botanices profeſſor Oxonienſis, & qui eum in plurimis ſecutus eſt *Joannes Rajus Anglus*, Regiæ ſocietatis membrum longe digniſſimum. Primus in magnifico opere concinnando laboravit Moriſonius, in quo, cum usque

adhuc esset dubitatum, unde differentiæ plantarum specificæ potissimum petendæ sint, aliis alia hic suggerentibus, plerisque sine discrimine, modo ab his modo ab illis plantarum partibus; à foliorum, radicum, florum, virtutum similitudine sumta occasione qua sub hoc vel illo genere eas collocarent, prout cuique se hoc vel illud primo intuitu offerebat; ille novo conatu, nec infelici successu â seminibus, capsulis seminalibus & flore eam in omnibus plantis esse desumendam cœpit ostendere, edito primum *Prodromo* operis, ubi *De Umbelliferis*, in exemplum agit: quem paucis abhinc annis grande opus, *Historiæ Oxoniensis* titulo secutum est, egregium, & omnibus ad philosophicam plantarum notitiam adspirantibus lectu maxime necessarium: dolendum saltim, fato præventum, ultimam partem ipsum edere non potuisse, ita ut XXIV. ultimæ sectiones desiderentur. His enim adhuc edendis cum strenue insudaret, infausto prorsus casu Londini Rheda excusus, alliso ad saxum capite, cranium confregit, tam misere, ut post bihorium mors ipsum nihil tale cogitantem occuparet. Non tamen desperandum: Vidimus enim ipsi jam ante hos undecim annos apud ipsum auctorem, ruri tum degentem, opus cum omnibus figuris prope ad umbilicum perductum: atque adeo nulli dubitamus, inventum iri qui tanti auctoris nomini ac famæ consultum eat, & reliquas illas sectiones publici juris etiam faciat. Interim notandum est, de hac nova plantas digerendi ratione non hunc Morisonum primum cogitasse, sed ante ipsum *Fallopium*, *Cæsalpinum*, alios inculcasse id dudum: à seminibus tanquam fine ultimo arcessendam esse veram stirpium differentiam. Diserte etiam *Fabius Columna* id scriptum reliquit, cujus videre est operæ pretium *Minus cognitarum Stirpium ἔκφρασιν parte II. cap. 27.* Quamvis autem primi auctoris gloriam sustinere is non possit, laudem tamen meretur non vulgarem, quod illi excogitarunt eum esse executum. Immensi enim laboris hoc est, maximæque industriæ: & quamvis non in omnibus æque vegetabilibus forte ad semina respici queat, cum multa nullo semine gaudeant, ut fungorum omne genus, nec exigua muscorum portio, in ple-

plerisque tamen pulchre procedit. Interim tamen insigniter falluntur & fallunt qui usque adeo istud opus suscipiunt & extollunt, ut omnes veterum conatus & scripta de plantis præ isto pro nihilo habeant, & æternis tenebris damnanda putent. Est enim, quod iste quidem præstitit, exigua tantum pars philosophicæ cognitionis, ad τὸ ὅτι pertinens, prout ex sectione hujus capitis XXVIII. est discere: cum, qui eum præcesserunt in reliquis etiam non segniter laboraverint: Theophrastus profecto quæ olim literis consignavit, talia fuere, quæ neque a Morisono, neque â quoquam alio nostrorum hominum possunt expectari: indicio sunt, quæ ad nos pervenerunt, non ubique tam obscura, ut negligi debeant, prout recte auctor noster judicavit: Non dicam, de reliquis hoc ipso §. XXX. laudatis. Longe vero absurdius etiam, & perniciosius est illud, quod nonnulli censent, nominum usque adhuc usitatorum varietatem posse deinceps negligi, solius Morisoni noviter inditis retentis, eaque de causa tantum non omnium aliorum libros juventutem jubent è manibus deponere, existimantes, omnes in impositione nominum nimium quantum errasse: Non enim adeo magna hæc peccata sunt, nec multum refert, quo nomine plantam appellites, neque requiritur, quod isti videntur supponere, ut quævis nomina ipsam rerum essentiam statim præ se ferant: alias ex animalibus Leo non amplius Leo, sed Animal quadrupes robustissimum rugiens foret appellandus; Canis vero sagax & latrans; ex metallis Aurum non amplius Aurum, sed Metallum nobilissimum, flavum, mollissimum, ductile maxime & incorruptibile, & sic in cæteris: talia enim sunt Morisoni nomina. Hoc autem asserere, ridiculum foret, multoque plus confusionis quam utilitatis afferret. Nempe confundunt isti Grammaticam & Philosophicam cognitionem, immemores nomina ad rerum essentias minime pertinere, & differentias specificas ac definitiones quidem ex intima rerum essentia esse eruendas, nomenclaturam vero â quovis etiam accidenti peti posse. Deinde quando sic adversus reliquos rigidam sententiam ferunt, & prorsus abjectos illos esse cupi-

unt persuasum, non cogitant, cum ex botanicis nostri ævi, tum ex veteribus quoq; plantarum facultates esse addiscendas: Fieri autem hoc non potest, nisi quibus nominibus à singulis sint appellatæ, & quam quisq; plantam intelligat, accurate cognitum habeatur. Quicunque igitur non nudæ contemplationis ergo plantarum sibi notitiam acquirit, sed ad medicinam faciendam, haut paulo magis juvabitur, si vetera nomina, quam si novam Morisoni Philosophiam teneat. Ex quo apparet, insignem quidem operam eum præstitisse Philosophis, non item & Medicis, quibus viam ad scientiam non reddidit breviorem, sed longiorem: accessit enim nunc ad antiquas suarum denominationum novus exercitus, post cujus apparatum non dimittendæ sunt veteranæ illæ copiæ, sed cum ipso conjungendæ: hoc est omnium reliquorum auctorum nomina ad hæc addenda, simulque notanda sunt tum ut ipsos si quis legat, possit intelligere, tum etiam ut ipsum alii. Nam Pharmacopoei exempli causa, nunquam relictis usitatis in officina nominibus, nova ista ut addiscant, poterunt cogi, neque si facerent, res foret ullius utilitatis. Hæc de Morisonio, ejusque novis nominibus dicenda fuerunt. De altero, *Johanne Rajo* erimus breviores, quod Morisoni premens vestigia, eadem insistit via, sed liberali & ingenua confessione ex quibus profecerit, addens. Nominat vero in his primo loco Cæsalpinum, secundo vero Joachimi Jungii Lubecensis Isagogen Phytoscopicam, dein cæteros, ut appareat quibus initiis creverit id opus; non neglectis Bauhinis, in quibus carpendis alii toti pene occupati sunt, in laudandis parcissimi. Id quod injuria fieri censendum est, tantam enim isti diligentiam adhibuere, ut si sine ea fuisset, non potuissent recentiores isti fortassis præstare quod nunc eos præstitisse constat: quicquid etiam de erroribus istorum fiat, quos in tanta rerum confusione evitare, non erat omnino in potestate hominum. Emisit autem Rajus præter jam supra celebratos catalogos tandem *Methodum plantarum novam*, qua de iis sub certas Classes redigendis egit, characteristicis certisque notis conspicuas, qui liber bis prodiit, anno scilicet seculi. 65. & 82. Eum

nuper admodum Historia plantarum secuta est, nullis quidem figuris, descriptionibus autem elegantibus & perspicuis ornatissima; cujus tamen alterum volumen itidem adhuc expectamus. Qvantum autem apparet, perfectius erit Raji quam ipsius Morisoni opus, ut propter omissas figuras minoris pretii, atque adeo multorum usibus magis accommodum.

Aliam, nec minus difficilem Philosophicæ Plantarum cognitionis partem excolendam sibi sumserunt uno eodemque tempore, diversissimis licet in locis, *Nehemius Grevv*, Anglus, & *Marcellus Malpighius*, Italus: Hi enim in partes plantarum, radices, truncos, fructus, semina, accuratius contemplandas oculorum mentisque aciem direxere. Et ista quidem uti altioris erant indaginis, ita in id vitris opticis adjuti, perspicacissima hac ratione, miraq; felicitate ea detexere, quæ hactenus omnia latuerant secula: Ostenderunt enim, non in animalibus tantum, sed & stirpibus esse venas cum humorales tum aereas fistulasque vitales, per quas circulatio fiat, & vel afferatur alimentum, vel effœtum iterum recurrat, aliaque pulcherrima: accedentes quam proxime ad ipsius Theophrasti diligentiam, cujus in cœptum opus haut parum novis istis inventis illustratum est. Referendus ad Philosophicam Plantarum notitiam quoq; venit sæpe jam laudati *Guerneri Rolfincii* elegans libellus qui *De Vegetabilibus in genere* inscribitur: in quo breviter tangit omnia quæ ad eam disciplinam pertinent, & tanquam in compendio exhibet: Uti & Spigelii omnibus celebrata Isagoge plantarum quod ad partem primam; nam ultima est Medica. Ut ex ea tanquam in exemplo discere liceat illud vulgatum: ubi desinit Philosophus ibi Medicam artem sua invenire initia.

Pertinet tandem ad Philosophiam plantarum ex parte etiam earundem cultura, verum ad medicum parum illa attinet. Lubet tamen, quoniam ita fert nunc occasio, aliquot ejus cultores recensere. Post illa quæ in Theophrasto cum commentatore ejus Scaligero legenda occurrunt, si ea excipiam, quæ in scriptoribus rei rusticæ forte hinc inde fuerant interspersa, nemo veterum videtur in eo argumento laborasse. Ex recentio-

centioribus autem & omnium primus forte & optime scripsit *Petrus Laurembergius in Horticultura*, ubi generatim egit de modo colendi hortos: elegantissimus supra modum libellus est, & Plautino nitore lectori sese commendans, cujus Laurembergius erat maxime præter cæteros studiosus: Huic accessit deinde alter, nomine *Apparatus plantarum*, ubi plantis depictis, culturam singularum subjungit breviter: perpulchro ac utili, nec iis temporibus cuiquam adhuc tentato instituto; sed imperfectum reliquit, morte præventus ut opinor: Verum & infinitum est istud opus, nec unius hominis. Hoc deinde ex nostratibus aliqui vernacula lingua imitati sunt, sed impari eventu: etsi omnes qui eum secuti sunt, bonam suorum partem ab ipsius primo illo præsertim libro sint mutuati. Est à Laurembergio fortassis secundus *Joannes Baptista Ferrarius Senensis Jesuita*, qui *Floræ culturam* edidit Latine, stylo itidem exquisitissimo usus, quem Italus quidam, præstantia operis inductus ad interpretandum opus, felicissime sua lingua est æmulatus. Ejusdem habemus *Hortos Hesperidum*, ubi docet culturam ac varietatem omnem malorum Citreorum Aureorumque, pari elegantia sermonis & figurarum, in quibus pingendis celeberrimos totius Italiæ pictores ad nutum habuit: Alia vero insuper, præter ea quæ ad culturam attinent varia, ad philosophicam eruditionem referenda ejus libris continentur. Sequitur recentior *Elsholzius* noster, Medicus Electoralis Brandenburgicus Doctissimus, qui præter ea quæ propria experientia comperta habuit, quicquid in Laurembergio aliisque extat, fideliter operi suo inseruit & ita reliquorum industriam omnem velut absorpsit. Lingua materna compositus est liber, ut & imperitis Latinæ legi possit, tantoque magis expetitur, quod qui Elsholzium habeat, omnes simul alios possidere videatur. Sed ne ita verum illud omnino esse judicetur, effecit nuper *Abrahamus Muntingius*, Grœningensis Botanicus insignis, qui idem illud argumentum eleganti, justoque volumine illustravit, additis nitidissimis multarum itidem herbarum rariorum iconibus: In eo non probo, quod idiomate Batavico

uti maluit quam Latino, cujus ſe non ignarum eſſe, luculentum dederat & præſtantiſſimum modo teſtimonium, edito libro de *vera Herba Britannica*, perdoctum & ad veterum elegantiam compoſitum. Satius certe fuiſſet univerſo eruditorum numero, quam paucis amicis ſuis & popularibus ſolis voluiſſe prodeſſe. Præter anteſignanos iſtos ſunt Dii minorum gentium plures, ex quibus meretur fortaſſis adhuc nominari præter *Hortulanum Gallicum*, qui tamen non adeo magni momenti, *Georgii Viſcheri* Blumengarten, & *Petri Gabrielis*, hominis non inelegantis *Hortulanus univerſalis*: Uti & *Wolffgangi Georgii Dümleri* Noribergenſis, de arborum cultura liber, omnia Germanica: Nonnulla etiam non contemnenda extant in *Royeri deſcriptione Horti Heſſenſis*. Aliqua ex parte poſſet etiam prodeſſe *Joh. Jacobi Agricolæ Theatrum œconomiæ univerſale*, Schauplatz des allgemeinen Haußhaltens, maxime quia in hortis quid agendum, per ſingula menſium ſpatia diſtributo labore oſtendit. Sed de his, extra pomœria evagantes, forſan plus ſatis diximus:

XXXIII. * *Satis copioſe de eo diſſeruerimus.* Nobis cum excidiſſet tum temporis *Hermanni Grube*, *Phyſici Haderslebienſis Commentarius De Modo ſimplicium medicamentorum facultates cognoſcendi*: eum hic poſtliminio adjungere, è re eſſe duximus: præſtans enim hoc ſcriptum eſt & doctum, unicumque fere quod habemus ejus generis abſolutum: quove oſtenditur non tantum quid per rationem, ſed & quid per experientiam inveſtigandum ſit; quomodo per odores præcipue & ſapores innoteſcant pleræque medicamentorum vires: quare velim ſtudioſa noſtra juventus id ſcripti ſibi commendatum habeat poſt Montanum, cæteroſque ſupra à nobis dilaudatos. Et cum per ſapores pleraque explorentur, etiam *Laurentii Grilli liber de ſapore dulci & amaro*, *nec non Nehemiæ Grevv* Anglica lingua publicatus de *Saporum cauſis & differentiis* iis adjungendus eſt; prior tamen ille non niſi illis qui magis ſollicite inquirere cupiunt, & jam ultra prima artis principia progreſſus fecere: eſt enim philoſophicus, nec medico utilis niſi quà fundamenta aſſertionum inde poſſunt peti ad alia arti propiora ſuperſtruenda.

XXXVI. *

XXXVI. * *Quodsi merito dubitaveris*- Imo vero non hoc solum nos potest à nimia fiducia in veterum medicamentis collocanda abstrahere, sed & quod sæpe, etiamsi nullus in nomine error committatur, tamen non respondeat semper effectus. Neque sane id fieri potest in tanta soli cœlique non diversitate dicam sed adversitate: Quantum enim hæc duo immutent virtutes & facultates plantarum, non nisi rerum imperitissimos potest latere. Allium apud nos quam sit ingrato odore, quantaque acrimonia, notum est: at in Græcia tam suave tam grati saporis omnisque contra acrimoniæ omnisq; foetoris expers, ut in maximis deliciis crudum quoque omnibus habeatur, oculatus nuperrime testis *Joh. Sponius* & fide dignissimus in Itinerario retulit; Quis credat jam illam plantam, licet eandem, apud nos ejusdem esse cum Græca illa efficaciæ? Porro in Gallia Terebinthus arbor crescit copiose, sed nulla ex cortice terebinthina potest elici: Lentisci eadem est ratio, quam vidimus ipsi Terebintho mixtam in provincia Narbonensi, sed nihil Mastiches, nisi in sola Chio insula colligi, nec in reliquis quidem Ægei maris, omnes uno ore affirmant auctores, peregrinatores, incolæ. Qvin aperte *Fernelius Meth. Med. Lib. VI. c. 4.* Origanum, Hyssopum, & Satureiam advectas ê Cappadocia aut Creta, iis duplo acriores deprehendisse se testatur quas Gallia sua proferat. Est igitur apprime necessarium, non semper stare veterum testimoniis, sed in loco ubi facienda ars est, sedulo explorare omnia: nec officinis usitatus solum, sed & reliquas plantas non ignorare, plurimum non modo profuerit medico, sed & ex re ægrotorum erit quammaxime. Quin imo vel hac de causa incumbat medicus plantarum suæ urbis notitiæ, ne, si quæ vetula commendet indigenam, & sæpe non usitatam alias plantam, exquiraturque sententia ejus, per ignorantiam in ruborem detur, & id videatur nescire quod vulgus novit: neque enim sine aliqua ignominiæ aut turpitudinis nota, præsentibus forte ibi malevolis, ut sunt nunc pessimi seculi mores & in calumniam proni, jam inde facile abscedet.

XXXVII. *Quæ Græci tenuerunt, discere licet ex Hippocra-*

ticis aliisque multis. Quinam Græcorum antiquorum Medicam plantarum tradiderint doctrinam, ex parte nos docet *Galenus, proœmio Lib. VI. de ſimpl. Med. Facult.* ubi præter Dioſcoridem & *Pamphili* mentionem facit & *Xenocratis*, & *Crateva*, & *Nigri*, & *Heraclidis*, *Tarentini*, & *Mantiæ* & *Andreæ*; dicitque alios inſuper fuiſſe innumeros. Nos paulo altius rem arceſſemus. Primus & antiquiſſimus omnium ſine dubio fuit, non quidem ſcriptor ſed inventor, *Chiron Centaurus*, quem τὴν ἰατρικὴν διὰ βοτανῶν, ſive medicinam herbariam inveniſſe, & Machaonis ipſiusque Æsculapii fuiſſe præceptorem, cum Plinius Lib. VII. cap. 25. tum Euſtachius ad locum Homeri Iliad λ & auctor Introductionis, ſive Medici teſtantur: Qui dum ab eo dicit eruditos Heroes, Æsculapium intelligit, Achillem, Herculem, Jaſonem, aliosque Argonautica expediti ne in Colchidem claros, ut quidem notavit eruditiſſimus *Lambecius Comm. de Bibl. Cæſ. ſæpius citati. II, c, 7.* Scripſit autem de herbis primus omnium quos memoria novit, Orphæus, & poſt eum Muſæus ac Heſiodus: verum qualis fuerit eorum doctrina, non conſtat. Hos ſecuti Pythagoras & Democritus, qui præceptor fuit Metrodori Chii, cujus epitomen ῥιζοτομουμένων L. XX. c. 20. Plinius citat. Metrodorum vero Hippocratis doctorem fuiſſe notat Suidas. Hippocratis ipſius tempore floruit Cratevas (κρατεύας) dictus ὁ ῥιζοτόμος, cujus librum etiam Dioſcorides laudat ſtatim in principio ſui operis, & Neandri ſcholiaſtes vetus, qui illud ſcriptum nominat ῥιζοτομικὸν: unde forte auctori nomen hæſit. Ad hunc extat Hippocratis epiſtola, non quidem in Foëſiano opere, ſed inter epiſtolas ἑλληνικὰς ἀμοιβαίας ſive Græcanicas mutuas Aureliæ Allobrogum, i. e. Genevæ editas, anno MDCIX. in folio, ex qua Hippocratem magni eum feciſſe apparet: *Præſtantiſſimum* enim *Herbarium* appellat. Integer tamen ejus liber interiit: fragmenta tantum quæ habentur in incomparabili illo MSto Dioſcoridis Auguſtiſſimæ bibliothecæ Cæſareæ, de quo ſupra ubertim egimus, nobis ſervata ſunt. Poſt Cratevam neminem antiquiſſimi illius ſeculi ſcriptorem de virtutibus

planta-

plantarum habemus, quod iis solis operam navare tum non solebant: Galeno id prodente citato loco, ubi: *Porro* inquit *plerumque medicamentorum usum veteres in curandis tractatibus prodiderunt, ut & juniorum Medicorum prope omnes. Nam & ab Hippocrate dicta sunt multa, & ab Euriphonte & Dieuche, & Diocle, & Praxagora & Herophilo.* Mox etiam his addit *Rufum Ephesium,* qui tamen & de herbis seorsim versibus hexametris quatuor libros composuit. Idem de *Chrysippo Cnidio* forte credendum, Plinio potissimum celebrato: qui itidem de plantis distincte aliquid tradidisse non videtur, nisi quod Brassicæ privatim volumen integrum dicaverit, per singula hominis membra digestum, teste eodem *Plinio L. XX. c. 9.* Postea vero complures fuere, sed sequentibus omnes temporibus, longoque intervallo discreti à Crateva, neque de solis plantis sed materia medica universa plerique fuerunt solliciti. Vetussimus eorum forte *Mantias* fuit, ejusque discipulus *Heraclides Tarentinus*, quorum ætatem colligere licet ex loco Galeni qui extat *VII. de Comp. med. sec. loc.* ubi dicit *ante Antonium Musam* (Augusti Cæsaris medicum) *vixisse Andromachum & ante ipsum etiam Musam & Menecratem, longo vero tempore hos præcessisse Heraclidem & ejus præceptorem Mantiam.* Fuit autem Mantias Herophili sectator, fortassis non ita diu post ipsum vivens, uti Heraclides empiricus, quod cum Galenus hic loci, tum Celsus in procemio attestantur. Parum autem isti duo de herbarum virtutibus reliquere, potius medicamentorum compositioni operam dantes: Peritissimos tamen rei herbariæ fuisse, vel ex eo licet, quod in illa citra hanc præstare eximii quid non licet. Eodem tempore fortasſis vixit *Jolas Bithynus*, conjungit enim his *Dioscorides: Jolas Bithynus*, inquies *& Heraclides Tarentinus prorsum omissa herbarum tractatione, rem ipsam leviter & paucis attigere; quin nec metallicorum aromatumve omnium meminerunt.* Post illos proxime *Andreas* collocandus venit, de quo dicit idem Anazerbensis *accuratius eum quam cæteros hac in parte versatum videri:* At longe aliud de eo est *Galeni* judicium, qui loco supra citato, procemio nempe *Lib. XVII. de Simpl.* dicit eum *Præsti-*

giaturam

giaturam ac mendacium in artem invexisse: alibi vero eum *imperitissimum, temerarium, & ab Hippocratis prudentia valde remotum appellat.* Notabilis est prior ille locus, cum ex eo appareat, nulla ante Andream superstitione, nullis malis artibus herbariam (inter Græcos videlicet) fuisse inquinatam, sed ab ipso primum ea illata: hujus igitur ob præstigias ab imperito vulgo cognomentum τοῦ θαυμαστοῦ inditum ejusq; esse Ἰατροσόφιον Ἀνδρέου τοῦ θαυμαστοῦ περὶ ὕλης ἰατρικῆς κατὰ ἀλφαβήτου στοιχεῖα, *Jatrosophium de materia medica ordine alphabetico*, cujus in bibliotheca quadam Constantinopolitana fit mentio, non sine causa existimat *Doctissimus Lambecius, Bibl. Cæs. c. l.* Porro *de facile parabilibus remediis* scripsisse quendam *Apollonium* quoque, Galenus inter Scriptores Simplicium memorat, qui tamen quisnam sit, aut quando vixerit, scire non licet: Sine dubio tamen is est, quem Serapionem Empiricum secutum fuisse *Celsus in Proœmio* memorat, & cujus citatur à scholiaste Nicandri aliud scriptum περὶ βοτανῶν. Hi vero omnes sunt paulo antiquiores: nec ipsorum scripta ad nos pervenere. Quod item contigit sequentibus, licet sint Recentiores, nec diu ante Dioscoridem floruerint: *Julius Bassus* nimirum. *Niceratus, Petronius Niger* & *Diodotus:* quos ut *in vulgatis & unicuique notis præter rem accuratos, in facultatibus vero enarrandis breves*, rejicit Dioscorides ac vituperat: *minime enim eorum vim ad experientiæ normam examinasse, sed inania in assignandis causis verba, ea in re funditasse.* Quod ad *Nigrum*, ex parte ὁμόψηφον habet Galenum, qui licet alioqui eum laudat, *præter Dioscoridem neminem æque de omnibus simplicibus scripsisse, eique cætera bene dicta esse* ajens, addit tamen: *extra rationes quas supra causas affert.* Est autem is *Sextius Niger*, quem licet Romanum, Græce tamen scripsisse *Plinius* testatur, diligentissimumque medicinæ auctorem nuncupat. Superest *Pamphilus*, scriptor herbariæ rei; *Grammaticus*, ut eum Galenus appellat: *Alexandrinus* nimirum ille, Critici Aristarchi, qui seculo ante Æram Christianam secundo sub Ægypti rege Ptolomœo Philadelpho floruit, discipulus: sed qui male audit Galeno, multis de causis. Ait enim, *eum ne per somnium quidem vidisse herbas, quarum figuras aggre-*

L.XXXII. 3.

Procem. VI. simp. M. F.

aggreditur describere, nec vires earum esse expertum, sed iis qui ante ipsum scripsere, fidem habuisse citra ullam explorationem: incantationes quoque & libationes atque thymiamata quæ in colligendis illis adhibebantur, adscribens, aliasque ejusmodi præstigiaturas nugaces: nonnulla quoque exscripsisse *ex libro quopiam eorum, qui Mercurio Ægyptio inscribuntur.* Dignus est locus qui inspiciatur ipse, non enim ex postremis est eorum, ex quibus Ægyptia illa tam laudata nonnullis hodie sapientia (nam Ægyptiaca hæc esse, non est dubitandum) & quid de libris Hermeticis senserit Galenus, vir magni judicii, & in cujus sententia tuto acquiescere licet appareat, præsertim si conferatur quod de Xenocrate paulo ante, & origine librorum qui ex Ægyptia lingua traducti credebantur, idem narraverat. Est nempe is Xenocrates ille ipse qui de animalibus scripserat, quo de superiore capite egimus. Sed de antiquis istis scriptoribus satis.

XLI. *De simplicibus medicamentis, aut re Pharmaceutica commentati sunt.* Miror excidisse hic auctori *Hofmannum* suum, cujus eximium opus de medicamentis officinalibus inter prima venit commemorandum, eo etiam nomine, quod est veluti perpetuus in reliquos commentarius, quo ad rationis trutinam accurate omnia examinantur. Insigni igitur cum utilitate, provectioribus imprimis, legi potest. Neque hic tacendæ sunt *Simonis Pauli* laudes, qui tamen de solis Europæ plantis egit in *Botanico suo quadripartito.* Peregregia profecto, & ab aliis plane intacta plurima de virtutibus plantarum ibi reperiuntur: tanto pluris æstimanda, quod modum utendi fideliter addit; adeoque multa egregia composita quoque medicamenta propalavit, quæ proprio usu est expertus. Id quod non in Dioscoride tantum, sed & aliis plerisque sæpe frustra quæras, solent enim contenti esse docuisse quo in morbo conducant: quomodo sint usurpandæ, lectori hariolandum relinquentes.

XLII. *Latine à se versos edidit & notis illustravit C. Clusius.* Omnia ista in opere exoticarum rerum reperire est. Cæterum *De Purgantibus vegetabilibus* commentatus est rursum libro singulari celebratus nobis sæpissime *Rolfincius*; solet autem fere Gram-

maticarum & Philosophicarum rerum subinde aliquid immiscere, non sine insigni legentium utilitate. De Orientali Opobalsamo consulendi quoque sunt *Francisci Perlæ Medici Romani*, & *Baldi Baldi Florentini* scripta controversa, Romæ edita anno MDCXLI. nata occasione ex Opobalsamo in Theriacæ confectione ibidem addito. De Balsamo Judaico extat Pr. Alpini dissertatio libro de Plantis Ægypti adjuncta. Referendi vero huc etiam veniunt varii tractatus *de Chocolata, herba Thee & Caffé* quorum nuperrime, ex quo eorum usus invaluit, plurimi prodiere: ex quibus *Pechlini Dialogum & Neandri Tabacologiam* tanquam præcipuos inter superioris capitis additamenta commendavimus. *Simonis Pauli* vero *de usu & abusu Tabaci & Herbæ Thee* non ignotum etiam vulgo est: vel eo maxime nomine quod optimum virum infelix conjectura fefellit, qua Myrtum Brabanticam Theam esse credidit: Sed de herba Thee agentibus non est silentio prætereundum, eam antea non ignotam quidem nomine, sed usu rariore vix perspectam, tam celebrem reddidisse nuper adeo Batavum quendam, obscurum alias hominem, ut nemo jam sit eorum qui ad seculi genium mores componere student, qui eam amplius ignoret; neque ægris duntaxat, sed & recte valentibus assiduo & tantum non quotidiano usu commendatissima habeatur. Is enim cum in arte facienda non satis exercitatus, iisque destitutus solidis fundamentis, quæ in medico erudito requiri solent, Hamburgum venisset; quo praxin haut ita lucrosam nonnihil sublevaret, simul instructa officina, potum ubique collaudatum desiderantibus publice vendidit. Exinde Maximo Principi commendatus tam felici audacia novam ipsi sententiam probavit, ut gravissimis podagricis doloribus haut mediocriter levatus, medicum honoribus & præmiis ingentibus auctum, suis adscriberet: potum vero salutarem aulicis primum suis, mox & aliis, atque exteris adeo commendatissimum suo exemplo redderet, jamque vulgo jactatum proverbium:

Regis ad exemplum totus componitur orbis

vere dici in ea re queat; ex quo non in podagra solum, *sed* & omni-

omnibus illis morbis, in quibus seri acrimonia peccat, haustum istum conducere, mox in eandem sententiam conspirante mirabili consensu toto medicorum choro, fuit persuasum. Hic igitur tanti medicamenti auctor, cum tandem præcipiti fato infelici morte periret, in eum sic lusit festivum & latina elegantia cultissimum ingenium:

Epigramma

In mortem Dni. Bontecoe.

ARte viri tanti viderat mors atra parari
Quotidie regno plurima damna suo.
Hinc irata fremit: Non possum tollere morbis
Qui morbos medica quoslibet arte fugat.
Ergo per insidias vindictam quærit, eumque
Dejectum gradibus præcipitemque necat.
Livor iners gaudet: sed Principis aula cadentem,
Plangit & innocui tristia fata viri,
Mors vincit tacitis insistens gressibus & quem
Non poterat morbis tollere, fraude rapit.
O spes fallaces hominum! quam lubrica sors est!
Quid tutum est si nec quâlibet ire licet.

Quæ nos animi gratia in hunc sensum vertimus:

DEr schwarze Tod sah wie ihm täglich ward entzogen
So manch gewisser raub durch dieses Mannes Hand.
Wie? scheumt' er ganz ergrimt, hält keine Krankheit stand
Für dieses grosser Kunst, so muß er seyn betrogen!
Drauf sucht' er sich durch list zu rächen,
Und sezt ihm auf der trepp' ein Bein
ihm mit gewalt den hals zu brechen.
Der blasse neid
ist drob erfreut,
Des Prinzen aber Hoff hült sich in trauer ein,
und klagt den unglückseelgen Mann
dem, weil er ihn nicht ehrlich fällen kan.

Der tod schleicht heimlich nach, und wider alten glauben
durch einen Meuchelmord das leben sucht zu rauben.
Ach sterbliche! Wie schlipfrich ist eur pfad!
Es ist um euch geschehen,
Wenn keiner mehr die freyheit hat,
wohin er will, zu gehen!

Et sic etiam quæ de plantis fuere adjicienda, perscripta sunt: Est autem hoc caput, (ut jam ab aliis notatum) idem illud quod integrum suo libro, cui titulum fecit: *Nova & accurata methodus cognoscendi simplicia vegetabilia juxta triplicem cognitionem,* inseruit *Johannes Ludovicus Hanemannus*, Kiloniensis Academiæ Professor, paucis tantum verbis nonnunquam mutatis vel transpositis; Quin imo integrum istum librum ex hac Conringiana eruditione conflavit, additis paucis de suo, & interjectis, prout videre est si conferantur quæ habentur pag. 9. & 10. cum inciso hujus capitis II, III, IV. pagina 14. cum V. pag. 19. cum X. pagina 24. cum XI. 27. & seqq. cum XIII, XIV, XV, XVI. & sic deinceps: oblitus eorum quæ ipse scripserat pagina 117. ubi inquit: *Studia vilescunt in Allemannia propter inopiam Mæcenatum, qui studia promovere debent, & bibliopolarum avaritiam, tum propter PLAGIUM LITERARIUM.* Et voluit quidem in additamento ad dissertationem de usu & abusu inebriaminum ea de re sese excusare: sed id præstitit admodum frigide, dum ait: *Quæ Conringio debentur illa in dicto tractatu introductionis thesibus XLII. à pag. 168. ad pag. 205. includuntur, faciuntq; cap. X. juxta editionem Helmstadii Anno 54. publicatam, jamq; paucis ante diebus cum meo exemplari contuli. Fateor, si illinc omnia essent exscripta, & non in MS. extitissent quod carebat omni nomine, maximum plagii crimen esset: at quod jam plagium sit nego, neq; illius criminis me reum agnosco, neque quis me reum esse mortalium convincet.* Verum enim vero, etsi non sit negandum Anno seculi XLIV. ex ore auctoris publice disserentis magnam partem hujus dissertationis ab auditoribus esse exceptam, idque MStum apud me extet, non tamen omnia quæ transscripsit Hannemannus, ita ut exhibet, in eo leguntur, sed desunt multa & præcipue totum illud quod

de

de editione Theophrasti Heinsiana in opere ipso habetur: ultima enim auctoris manus in eo aliqua, ut ubique, mutavit, aliqua addidit, ut non sit quod hoc nomine sese expurget Hannemannus: Mirum vero etiam, eum negare plagii se reum esse, quoniam ex MSto non ex typis expresso volumine exscripserit. An non igitur est aliorum compilasse scrinia si quis ex scripto aliquid surripiat? Nam quod addit, fuisse absque omni nomine, id vero si vel maxime habuisset illud Manuscriptum Hannemannus, nondum à plagii crimine illum excusat, & saltem fuisset ipsi metuendum, tam eruditum tam elegans scriptum præter eum etiam alii ne possiderent. Verum ea nunc adducere, non est opus: quoniam, ita ut suæ Methodo (quam dudum publicæ luci concreditam) perperam novam vocavit, ea inseruit, in manuscripto nullo reperiantur: recteque facit bonus vir, quod aliorum se soletur consortio, dum addit: *Quid multis? peccatur hic intra & extra muros Iliacos.* Non jam dicam, multa mendose & perperam in libro ejus expressa, totque insignes errores potius typothetæ quam suæ culpæ imputabo: neque enim iniquo in eum animo hæc scribo, quum nunquam mihi quicquam cum ipso fuerit negotii: sed ut suum cuique reddatur, & quæ autoris sunt, ei restituantur, ista pro officii mei ratione & in ipsius manes pietate per occasionem commonenda mihi duxi.

CAPUT XI.
DE
PHARMACEVTICA VETERVM ET NOVA CHEMICORUM DOCTRINA, VT ET VTRIVSQVE PRAESTANTISSIMIS SCRIPTORIBVS.

THESIS I.

De simplicibus medicamentis hactenus egimus: operæ pretium nunc est de compositis, eorumque legitima

præparatione deinceps dicamus. Quum enim simplicibus omnia Medicus præstare nequeat, quod unum simplex non omnibus qualitatibus polleat, quibus ad morbum pellendum tamen opus est, aut vero interdum etiam ejus vis sit fortior, ut sine correctione adhiberi non possit; necessario ad composita identidem confugiendum, iisque utendum est. Neque vero audiendi sunt illi, qui compositis plane non esse utendum pertendunt. Quamvis enim compositis non temere utendum sit, adeoque illorum inscitum morem probare non possimus, qui finem sese obtenturos desperant, nisi ex multis compositis novam misturam constituant; nihilominus tamen & experientia & ratio ipsa suadet, nonnunquam ad composita necessario deveniendum esse. Enim vero, ceu paulo ante dicebamus, unum simplex medicamentum huic vel illi morbo averruncando sæpe insufficiens est, nec diversis qualitatibus præditum. Qualitates vero præterea simplices interdum multum noxii habent, interdum vires ejus nimis vehementes & acres sunt, interdum nimis languidæ, interdum etiam alterari, augeri vel etiam imminui debent. Ut ita omnibus his de caussis necessitas compositorum satis inclarescat.

II. Ad doctrinam autem hanc pharmaceuticam comparandam tria requiruntur. Primo ut tum simplicium tum compositorum medicamentorum peritiam Medicus habeat; secundo ut eorundem naturam teneat; & tertio demum ut ipsum caleat præparandi modum, tam antiquum illum & vulgarem, quam novum sive Chemicum. Modi vero præparandi scientia in eo proprie collocatur, ut scias, quid quælibet præparatio & compositio sit, & quicquid sive addere sive demere medicamentis possit. Ita v. g. opus est Medico ut norit, quid præstare possit circa varia simplici-

um

um corpora ſive vegetabilia ſive metallica ſive animalia fuerint, coctio, quid combuſtio, quid infuſio, quid elixatio, quid aſſatio, quid diſtillatio, & quæ id generis alia ſunt. Horum ſi imperitus fuerit, φαρμακευτικῆς ignarus eſt. Præterea vero in Medico etiam requiritur, ut teneat Chemicis uſitatas præparationes, quo pacto ſcilicet fiat deſtillatio, quo ſublimatio, quo circulatio &c. quantum etiam unaquæque harum operationum circa medicamentum aliquod præſtare poſſit. Neque enim tantum præparationes noviſſe ſufficit, ſed omnino etiam tenendum eſt, quid illæ ipſæ efficere poſſint & præſtare. Idque eſt quod in Chemicis vulgo merito deſideramus; ut qui modum quidem quo præparationes ſecundum artem illam inſtitui debeant, norint, interim tamen neque doceant neque etiam ſciant, quid hujusmodi quælibet operatio circa ſingula medicamenta præſtare queat. Quod ſi vero hoc etiam noveris, tum demum juſtam artis Chemicæ cognitionem datur aſſequi. Par eſt ratio vulgaris medicamentorum præparandorum. Scilicet ad artem hanc pharmaceuticam integre addiſcendam neceſſum eſt ſcire, quid ſingula ſimplicia per præparationem poſſint pati: utpote quum coctio atque infuſio idem circa omnia ſimplicia præſtare nequeat, vel etiam æquali modo id ipſum agere; alia nempe per coctionem deteriora fiunt, alia ad meliorem uſum præparantur. Horum itaque omnium Medico exacta notitia habenda eſt, licet ipſe manus non adhibeat præparetque medicamenta. Præparatio etenim ad pharmaceuticam pertinet, quæ arti Medicæ miniſtrat potius quam ut eam abſolvat. Neque enim hoc loco de publicorum pharmacopœorum inſtituto, quove conſilio illi admiſſi ſint, verbum addemus, quum jam *capite primo theſi III.* de eo dixerimus.

III. Por-

III. Porro denique Medico ſcire etiam opus eſt rationem medicamenta componendi, & in quibuſnam morbis compoſitio illa ſit adhibenda. Sive enim ipſe aliquid componere velit, ſive pharmacopœis novam compoſitionem præſcribere, in neutro recte ſe geret, niſi iſtius rei juſtam peritiam habeat. Ubi non poſſumus quin doctiſſimum Langium *lib. I. Epiſt. 76.* ita ſcribentem audiamus. *Noſtri doctorculi,* inquit, *Pharmacopœi nulla ratione, nulla denique indicationum methodo, coacervatis ſcrupulatim omnium electuariorum, quæ obſcurum illud Luminare majus continet, pulviſculis, ad oſtentationem pharmaca cujuſvis generis componunt; unde remediorum bonitas & præſtantia, non ab artificio compoſitionis & medicamentorum viribus, ſed ſaltim à numero ſimplicium æſtimatur: & quo quis plura, ut arena ſine calce cohærentia, in unum pharmacum vel decoctum congeſſeris, tanto ſibi ipſi doctior eſſe videtur; quum protritum illud teſtetur adagium, eos graviter delinquere, ego vero dico deſipere, qui pluribus aliquid expediunt, quod paucioribus tranſigi poſſet.*

IV. Compoſita autem medicamenta alia ſunt vetera, quæ apud antiquiſſimos Medicos reperiuntur, alia nova. Utrorumque cognitio duplici modo haberi poteſt, partim per rationem, partim per experientiam. Per rationem quidem, primo ſi omnium ſimplicium ingredientium naturam teneas; deinde ſi juſtum præparationis compoſitionisque modum cognoſcas. Medicamenta enim ſicuti ſuam vim ex natura ſimplicium quam maxime accipiunt, quam tamen præparatio & compoſitio plerumque immutant; ita ab omnibus his denominationem ſuam nanciſcuntur. Per experientiam vero idem fieri poterit, vel propriam vel alienam. Nimirum quæ plurimo uſu ſunt probata, potiſſimum

mum adhibenda esse supra diximus. Utroque autem modo circa medicamenta composita versari debemus. Neque enim soli rationi, neque etiam temere soli experientiæ (utut huic primas deberi superius docuerimus) fidendum, sed utraque simul attendenda sunt.

V. Notitiam itaque compositionis & præparationis medicamentorum sibi comparaturus adire debet optimos magistros, qui in eo genere cum laude laboraverunt. Ex veteribus quidem nullos habemus, qui hanc artem litteris exposuerint: nisi quod apud Galenum aliosque Græcos sparsim hinc inde nonnulla reperiantur. Verum recentiores hac in re satis diligenter occupati fuerunt: non tamen omnes æque feliciter. Inter quos primo loco memorandus venit sæpius laudatus *Fuchsius*, conscripto de componendis medicamentis opere: quod tamen prolixum magis est quam exactum. At *Fernelius* hanc ipsam artem usque adeo præclare est persequutus, ut omnibus aliis unum illum præferendum esse censeamus. Pari etiam subtilitate doctissima quædam apud *Cæsalpinum* tradita habentur in duobus libris sane ingeniosis *de medicamentorum facultatibus*; quibus hoc negotium accurate pertractavit, egregie simul ostendens, quas mutationes per infusionem, destillationem, & decoctionem medicamenta patiantur. Quibus adjungere possumus tum *Sennertum* nostrum, qui tam institutionibus quam in libro de consensu & dissensu &c. sic satis curiose eam rem exposuit: tum *Artem Medicam Liddelii* nostri: tum denique ea quæ in Pharmacopœa sua Dogmaticorum Restituta disseruit *Quercetanus*. Extat etiam liber non indoctus *de Fabrica Receptarum Marci Banzeri*.

VI. Quandoquidem vero duobus modis medicamenta præparantur, veteri scilicet & novo Chemico; etiam

de posteriori præparandi ratione qui non scripserint, dicendum est. Vbi statim observandum, totam hanc doctrinam hactenus solide in artem non esse redactam; quæ vero de iis ab optimis auctoribus sunt tradita, reliquis esse præferenda. Habent quidem de hac præparandi ratione quædam etiam *Fernelius*, *Cæsalpinus* & *Sennertus*; pauca tamen. Late vero de omni illa arte disseritur in Hermetica Medicina. Quibus adjungi potest opus *Andreæ Libavii*. Breviter & artificiose omnem illum Chemicum præparandi modum tradidit *Antonius Guntherus Billichius*, Archiater Oldenburgensis, partim parvo quidem sed pereximio libello *de Natura & Constitutione Spagyrices emendatæ*, partim præclaro opere *Observationum ac Paradoxorum Chemiatricorum*. Præter hos omnino commendandus est *Angelus Sala*, qui omnium optime de hac ipsa re variis libris disseruit, atque præ aliis candide & sine fuco exposuit ea quæ ad experientiam Chemicam spectant. Quanquam enim primi ejus libri, quos sub adventum suum in Germaniam conscripsit, multum jactantiæ habeant; posteriores tamen lectu sunt longe dignissimi. Ut quod de Maimonide inter Judæos Josephus Scaliger dicebat, idem de Sala asseverare liceat: primum eum inter Chemicos nugari desiisse. Adjungenda his præterea sunt *Josephi Quercetani* scripta, cumprimis pharmacopœa ejus Dogmaticorum restituta: in quibus tamen multa proterve, ruditer & inani jactantia conscripta reperiuntur. Præter hos vero complures alii extant libri, in quibus non tota ars exponitur, sed de singulorum tantum medicamentorum præparatione agitur. Qualis liber est *Osvvaldi Crollii*, quem *Basilicam Chymicam* inscripsit: in quo quod præparationem medicamentorum attinet, fide dignum se gessit; in virium vero explicatione plurima fuit mentitus.

Cumprimis autem legi meretur editio illa, quæ cum commentario Ioannis Hartmanni prodiit. Elegans vero & doctissimum compendium hujus generis habemus *Joannis Beguini, Tyrocinii Chymici* titulo: quod insignibus notis partim *Christophorus Glukradius*, partim *Jeremias Barthius*, à Joanne Georgio Pellhoffero junctim nuper editi, illustraverunt. Ex quibus Gluckradiana illa sunt nihil aliud, quam quæ in arcanis observationibus suis habuit Hartmannus. Quem tamen Hartmannum tanto intervallo Sala superavit, quanto Luna reliquas stellas. Quibus omnibus merito adjungenda sunt nupera scripta *Joannis Rudolphi Glauberi* sub titulo *Novi Furni Philosophici;* ut qui tanto compendio omnes istas præparationes instituere doceat, quanto nemo
* hactenus videtur circa illam artem versatus. Quibus quem-
** que de suo quid addere licet. Quamvis autem non contemnenda hæc sit ars, immo sic satis eximia; majoris tamen momenti est doctrinam medicamenta componendi cognitam habere. Quin & in his ipsis medicamentorum etiam chemicorum virtutibus dignoscendis, experientia cum ratione conjungi debet.

VII. Proximum jam est etiam de illis scriptoribus differamus, qui usitata composita medicamenta exposuerunt. Quamvis enim veteres non adeo magni præparationes atque compositiones videantur fecisse, mentem tamen postmodum mutarunt. Propterea etiam nonnulla composita invenerunt: quæ postea longo usu & experientia comprobata in officinas pharmaceuticas assumpta sunt: quorum utique cognitionem nobis cumprimis familiarem reddere debemus. Cujusmodi composita medicamenta & *Hippocrates & Galenus* annotaverunt. Præcipue vero id videre est ex *Galeni* περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ τόπους καὶ κατὰ γένη

operibus, in quibus multa nobilia medicamenta composita partim ab Empiricis partim ab aliis doctissimis Medicis inventa, recitantur. Idem & *Cornelius Celsus* fecit. Similiter *Scribonii Largi* liber totus in recensendis istiusmodi medicamentis compositis & per experientiam probatis occupatus est. *Marcelli* quoque *Empirici* liber circa composita enarranda versatur. Similia etiam passim apud *Aëtium*, *Paulum ex Ægina ortum*, *Alexandrum Trallianum* aliosque Græcos reperiuntur.

IIX. Imprimis autem in magno usu & pretio Antidoti fuerunt: ex quibus Theriaca & Mithridatium primas jure merito obtinent, quæque pene unica ex veteribus illis decantatis medicamentis hodieque adhuc in usu sunt. Et quidem ut de Theriaca prius dicamus, in præparatione ejus Galenus per fuit curiosus. Vnde liber illius περὶ Ἀντιδότων cum summo fructu legi potest. Reperitur etiam alius quidam liber de Theriaca, falso quidem Galeno adscriptus, satis tamen doctus. Præter hæc vero etiam perlegi merentur *Nicandri Theriaca* & *Alexipharmaca*, & *Joannis Baptistæ Sylvatici* Mediolanensis *de compositione & usu theriacæ Andromachi* insignis tractatus, ut qui omnium inter recentiores optime de nobilissima ista confectione scripserit. Sequimur autem in præparatione theriacæ descriptionem Andromachi Cretensis, doctissimi pariter & elegantissimi Neronis Imperatoris Medici. Quandoquidem autem simplicia, quibus Andromachus in compositione ista usus est, ex parte hodie ignorantur, ex parte vero reperiri non possunt; mirum non est, nostras theriacas eundem usum cum Andromachi theriaca non obtinere. Notum sane est, quantum dispensatio illa theriacæ Romæ ante paucos annos Barbarinorum cura instituta propter opobalsamum tur-

* turbaverit plerosque Italiæ pharmacopœos. Cumprimis autem animadvertendum venit, in vera theriacæ confectione quinque desiderari. Primo quibusnam simplicibus usus fuerit Andromachus, quæ apud Galenum l. c. enumerantur. Secundo num simplicia quibus is usus est talium sint virium nec ne. Tertio quodnam verum sit succedaneum. Quarto quo pondere medicamenta illa debeant adhiberi. Et quinto denique confectionem ipsam: quæ simplicium medicamentorum miscendorum operam requirit singularem. Par pene ratio est Mithridatii: cujus veram ac propriam descriptionem Galenus l. c. nobit dedit. Democrates enim in pondere ac quantitate sæpe aberravit. Legi vero cumprimis meretur quem patrum memoria de Mi-
** thridatio isto commentarium confecit Nicol. Mutonus. Conati autem multi quidem sunt Mithridatem imitantes similes compositiones conficere: sed qui quod volebant assequuti non fuerunt. Nos merito sequimur vulgarem & passim usitatam officinis nostris Mithridatii conficiendi rationem.

IX. Quamvis vero ex veteri ævo adeo pauca adhuc in usu sint composita, num tamen illud ipsum perinde recte fiat, haud facile dixerimus. Ratio certe probat, si quis in vires medicamentorum veterum inquirat, illa ad hæc nostra commode reduci posse. Cæterum caussa, quare ita antiqua medicamenta in desuetudinem venerint, nostro judicio nulla alia est, quam quod ante quadringentos annos, quum primum Ars Medica in Occidentali orbe doceri & disci cœpit, pleraque veterum tam Græcorum quam Latinorum scripta sepulta fuerint planeque ignorata. Itaque mirum non est medicamenta etiam ipsa usurpata non fuisse. Ex adverso quæ apud Arabas usitata fuerunt, etiam ab illius temporis

Medicis in usum sunt cooptata. Cujusmodi vero illa medicamenta fuerint, videre est ex variis antidotariis sive dispensatoriis: qualia reliquerunt *Avicenna*, *Rhases*, *Abenzoar*, *Serapion*, *Mesue*: ex quo hodieque quam plurima vulgo solemus mutuari. Quibus temporibus etiam apud Græcos nonnulli similiter Antidotaria conscribere cœperunt: quorum præcipui fuerunt *Actuarius & Nicolaus Myrepsus Alexandrinus*; cujus Antidotarium omnium veterum est celeberrimum, ex quo epitomen postmodum fecit *Nicolaus Præpositus Salernitanus Medicus*. *Myrepsi* vero illud opus omnium optime luci dedit Leonhardus Fuchsius, ex Græco in Latinum à sese versum: in quo plurima medicamenta habentur, ut eo tuto recurrere liceat, si qua difficultas in compositione oriatur.

X. Quum igitur ars nostra ista ætate ex Arabum scriptis petita sit, hinc ipsorum medicamenta quoque invaluerunt. Ideo etiam doctissimi quique Practici, qui post annum millesimum ducentesimum ad millesimum quingentesimum usque floruerunt, peculiaria eaque varia medicamenta usurparunt, qualia apud veteres & Græcos & Latinos nunquam in usu fuerunt. Nec tamen tanto temporis intervallo ex his pene quisquam in usum pharmacopoliorum aliquid conscripsit, Tantum duo libri apud Latino-barbaros istos nati sunt, titulo *Luminaris majoris & minoris*; quos *ex Serapione & Pandectario cumprimis collegit Joannes Jacobus Manlius de Bosco Alexandrinus*. Laudanda autem sunt hæc antidotaria propter veterum lectionem. Quibus addi potest *opus rarius Matthæi Sylvatici Pandectarum Medicinæ*.

XI. Cæterum avorum memoria, à seculo nimirum sexto decimo, ut reliquæ medicinæ partes ita etiam pharmaceu-

maceutica ars magnam mutationem passa est. Nonnulli enim majori cum judicio novos libros Pharmaceuticos condere ceperunt. Cumprimis autem hanc rem restituere primus omnium est aggressus *Valerius Cordus*, magnæ doctrinæ & excellentis ingenii juvenis, *dispensatorio in usum pharmacopolii Reip. Norimbergensis* tanta felicitate conscripto, ut omnes Europæi æterna cum hominis laude industriam ejus sequuti sint. Quin usque adeo illud opusculum passim probatum fuit, ut per Italiam quoque & Galliam in permultas pharmaceuticas officinas fuerit receptum. Animadverterunt tamen nonnulli, quod in eo corrigi posset. Et quidem legi merentur, quas in illud scripsit notas *Petrus Coudenbergius* doctissimus Medicus & pharmacopola Antwerpiensis. Idem deinde etiam emendaverunt atque auxerunt *Matthiolus & Lobelius*. In eodem argumento, sed minori cum successu laboravit *Leonhardus Fuchsius & Bernhardus Dessennius*. Similiter insignem laudem meretur *Hieronymus Mercurialis*, scripto de compositione medicamentorum, ut & *Gabriel Falloppius*. Legendum etiam est Examen omnis generis fere compositorum ab *Antonio Musa Brassavola* institutum. Eodem pertinet *Jacobi Ferrarii Idea Theriacæ & Mithridatii*, ex pragmatia Antonii Bertioli & Flamminii Evoli concinnata. Idem, & quidem magno labore, conatus est doctissimus Medicus *Victor Trincavellius*, sed qui operi immortuus, imperfectum illud reliquit.

XII. A quam multis porro seorsim Dispensatoria quæ vocant, publicata sunt, quibus itidem ratio componendi medicamenta illa vulgaria satis accurate proponitur. Imitati autem sunt nonnulli Valerium Cordum, cumprimis quædam Medicorum collegia. Ita per Italiam quam maxime

xime hodie utuntur *Antidotario Florentino & Bononiensi, per Ulyssem Aldrovandum* potissimum emendato; quod utrumque magni est nominis. In Germania circa hanc rem cumprimis laboravit *Collegium Medicum Augustanum*, promovente præcipue id opus præ aliis Adolpho Occone, & post eum Raymundo Minderero. Atque hoc est illud opus, quod vulgo Pharmacopœa Augustana vocatur; quæ jam octies semperque auctius edita, obscuravit pene famam dispensatorii antiqui Norimbergensis sive Valerii Cordi. Quanquam enim Norimbergenses dispensatorium suum majori opera recudi curaverint, prævaluit tamen Augustani auctoritas, ita ut pleræque universæ Germaniæ officinæ pharmaceuticæ normam illis quam maxime sequantur. In hoc dispensatorium Augustanum edidit nuper doctas & sic satis accuratas *Animadversiones Joannes Zvvelfferus:* nisi quod nonnulla ad vivum resecare & laudatissimis quibusdam viris nimium insultare videatur. In Batavia Lugduni non ita pridem *Valerii Cordi*, sed *longe auctius*, plurimis nobilissimis medicamentis annexis, dispensatorium prodiit, quod suam meretur laudem. Inter Gallos libellum ejusmodi titulo *AmbrosiopϾ* conscripsit *Nicolaus Abrahamus Frambesarius* Veromantuus. Cui tamen *Joannis Fernelii Dispensatorium*, quod in Therapeuticis ejus reperitur, non dubitamus anteferre; utpote quod magno judicio ab illo conscriptum sit, licet rationes non addiderit: quas tamen postmodum adjunxit, multis etiam emendatis doctissimis scholiis *Guilielmus Plantius* Cenomanus. Prolixius id ipsum egit *Franciscus Seguierius*, commentariis itidem longe doctissimis. Ibidem nonnemo librum edidit titulo *Apollinis*, sed qui exspectationi non respondet. Non adeo pridem porro Medici Parisienses exiguum quidem sed tam

limato

limato judicio confectum dispensatorium evulgarunt, ut satis mirari nequeamus. Ubi silentio neutiquam prætereunda est *Pharmacopœa Anutii Foësii*, quæ ut reliqua omnia ejus viri monumenta magna laude confecta est. In Germania *Caspar Bauhinus duos optimos libros de medicamentorum compositione* scripsit. Quibus addi quoque possunt *Fuchsii libri*. Operæ pretium etiam est adjungere insignem *Pharmacopœam Dogmaticorum Restitutam Quercetani*, quanquam genium chemicorum habeat. Cum fructu quoque legi potest *Antidotarium geminum Weckeri*. A nonnullis etiam multum commendari solet *Quintus Apollinaris*, qui tamen nobis nunquam sese probare potuit. Lon-
** ge melius est *Dispensatorium Georgii Melichii*, pharmacopolæ medicamentorum componendorum peritissimi, in qua multa certe præclara continentur. Non possumus non etiam commendare *Dispensatorium Tobiæ Dorncreilii*. Egregia quoque est *Pharmacopœa Curtii Marinelli* à Collegio Medicorum Venetorum comprobata. Galli præterea habent Dispensatorium *Joannis Renodæi*, operosum potius quam doctum. Vulgo hodie in Gallia in magno usu esse solet *Pharmacopœa Bricii Bauderonii*, quæ quidem multa habet præclara, tanti tamen facienda non est, quanti existimatur. In his enumeratis libris jam continentur plera-
*** que medicamenta, quæ hodie passim in usu sunt. Majoris vero momenti est, scire doctrinam medicamenta componendi: quandoquidem rationem & experientiam heic afferre debemus in cognoscendis medicamentorum virtutibus. In his autem dispensatoriis plerisque medicamenta vulgato tantum usu parata proponi solent. Chemica itaque aliunde haurienda sunt. Ad quorum notitiam præcipue faciunt *Basilica Crollii* & *Hadriani à Mynsicht Thesaurus Medico-Chemicus.*

micus. Reperiuntur quidem præter hos longe adhuc plures pharmaceutici ſcriptores, verum quorum tantus eſt numerus, ut omnes recenſeri non poſſint: ſufficit præcipuorum meminiſſe.

XIII. Priuſquam tamen hoc argumentum deſeramus, monendum adhuc venit, *Hieronymum Cardanum* peculiari tractatu oſtendere voluiſſe, *compoſitis potius medicamentis utendum eſſe:* contra vero *Arnoldum Villanovanum præferre ſimplicia.* Quo vero quid de hac controverſia ſentiendum ſit pateat; ut plurimum quidem compoſita uſurpanda eſſe, *primo* inde probatur, quoniam ſimplicia tam commode præberi non poſſint. *Deinde* experientia docet, à quam multis jam ſeculis in uſu fuiſſe compoſita. *Tertio* etiam notandum venit, non omnia medicamenta debito modo componi, ſed varios errores hac parte committi.

XIV. Nonnulli enim *primo* in eo peccant, quod quædam in nimis exigua quantitate miſceant. Accedit *ſecundo*, quod multa medicamenta inter ſeſe commiſceantur, quæ ſæpe viribus contraria ſunt, ita ut unum alterum impediat, neque addendum ſit, niſi correctionis tantum gratia. *Tertio* etiam in eo peccatur, quod medicamenta variarum virium diverſisq; indicationibus reſpondentia uno tempore commiſceantur, quum longe ſatius eſſet diſtinctis temporibus modo hoc modo illud præbere atque ita per vices indicantibus ſatisfacere. *Quarto* porro in eo quoque peccatum committitur, quod multa medicamenta unum idemque valentia citra neceſſitatem ſæpe commiſceantur, quum longe convenientius unum & alterum majori tantum quantitate aſſumptum, idem poſſit præſtare. *Quintus* denique error eſt, quod uno eodemq; tempore ſæpe illa decoquantur, quæ diverſæ admodum ſunt naturæ, ita ut alia levi decoctione, alia majori indigeant.

XV. Quibus ad hunc modum ſeſe habentibus utique etiam atque etiam cavere Medicum decet, ne qua parte impingat. Itaque ipſi *primo* accurate notandum eſt, quantum valeat præparatio medicamentorum, ut quid pulvis, quid infuſio circa lignum, circa lapidem &c. præſtare poſſint, noverit. *Deinde* naturam etiam medicamenti alicujus ſimplicis, antequam vel præparetur vel componatur, noviſſe debet. Ita v. g. cochleariam non ferre coctionem patet. Radices etiam cichorii conditæ eandem vim non habent, quæ ante iſtam præparationem in iſtis fuit. Multa enim per ſacchari admiſtionem ſuam virtutem amittunt. Præterea & *tertio* quoque obſervandum, quod medicamentum unum idemque aliquo modo & noxium & utile eſſe poſſit: idque duplici modo. Vel enim ſi gradu aliquo juſtam temperamenti rationem excedat, amiſſo illo gradu quo noxium eſſe poterat, redditur utile. Quomodo ignis unus idemque pro diverſitate graduum nunc noxius eſt nunc utilis Vel etiam quando variis ſubſtantiis unum idemque conſtans aliis noxiis, aliis utilibus; remotis nonnullis, quod reliquum eſt redditur omni ex parte utile. Ita e. g. ſi qua farinæ cinis aut lapilli fuerint commiſti, illique removeantur, tota farinæ deinde maſſa redditur utilis, quæ antea propter nonnulla plane heterogenea admiſta nulla ex parte utilis eſſe poterat. Boni *denique* Medici etiam eſt, medicamentis tale vehiculum adhibere, quod ſimul ſit medicamentoſum. Ita v. g. decocta illa maxime penetrant, quæ cum hydromelite parantur.

* XVI. Neque ſilentio involvendum eſt, quibusdam medicamentis præter naturales vires, alias adhuc eaſque ſupernaturales ſolere adſcribi. Quanquam autem Magicæ hæ remediorum virtutes explodendæ ſint, intereſt tamen etiam Medici ſcire quomodo ea ſoleant adhiberi. Conſtat au-

tem magicam medicinam per se nihil valere, nisi virtute Dæmonum. Quicquid enim virium habent, à Diabolo est. Et vero nihil præstant, nisi accedat persvasio. Quam primum vero illis diffisus fueris, nullius sunt usus nihilque valent. Unde apparet à natura tales vires ipsis minime esse. Ignis enim e. gr. urit, & medicamentum aliquod naturale purgans operatur, sive tu credas sive non. Contra vero magica medicamenta nihil efficiunt, si absit persuasio tua: plane sicuti in sacris Baptismus absque fide nihil proderit. Ejusmodi vero magica apud veteres Ægyptios cumprimis in magno usu fuerunt. Quorum ingens numerus etiam apud *Plinium* reperitur. Quemadmodum hoc *lib. de Hermet. medic. cap. XI.* luculenter juxta ac diffuse ostenditur. Similia autem remedia apud *Marcellum Empiricum* etiam laudantur, ut & *Aetium* & *Alexandrum Trallianum.* Ejusdem notæ autem etiam sunt *Amuleta: de quorum natura* doctissima *disputatio* extat *Thomæ Erasti.* Tales vanitates magicas quoque medicamentorum exponit libellus ille, qui ex veteri ævo sub nomine *Kyranidis* nuper demum editus fuit. Ejusdem commatis plane sunt libri, qui nomine *Alberti Magni De secretis mulierum & De virtutibus herbarum, lapidum & animalium quorundam,* perperam tamen circumferuntur; utpote in quibus nihil præter magica contineantur.

XVII. Ex recentioribus talia produxit præ multis aliis celebris ille Magus, *Paracelsus.* Ex cujus asseclis plurimi etiam similia remedia non erubuerunt laudare. Quos inter non postremus est *Bernhardus G. Penotus:* qui Deo mendacia & fraudes ejus ulciscente, in nosocomio extrema in paupertate obiit: ceu notatum est *lib. c. cap. XXIII.* Ejusmodi magnus famosus & agyrta fuit quoque *Alexander Suchtenius, Leonhardus Turnheuserus* Basiliensis, ex aurifabro

Che-

Chemicus & insignis impostor. Magicis etiam artibus infamis fuit ejusdem scholæ sectator Polonus quidam *Michael Sendivogius:* ut alios complures taceam.

XIIX. Huc pertinet Unguentum etiam Armarium uti & Pulvis Armarius, quæ appellantur: curatio item per Transplantationem, & similia complura alia, quorum ingentem copiam apud recentiores reperire licet. Neque vero alterius generis est libellus de unguento armario, seu magnetica vulneris curatione *Rudolphi Göclenii* Marpurgensis, aut *Joannis Ernesti Burgravii* Neostadiensis Palatini *De Biolychnio & Achille πανόπλῳ redivivo* opuscula, quæ pessimus ille nebulo in lucem edere non erubuit: eo nomine a nobis *lib. De calido innato cap. XV.* juste reprehensus. Similia (pauca tamen) in *Secretis Weckeri* reperiuntur: nonnulla item in Naturali Magia (qui liber nomine tamen illo indignus est) *Joannis Baptistæ Portæ* Neapolitani. His similibusque pessimis remediis licet minime utamur, sed toto pectore ab iis abhorreamus, propterea tamen nota esse debent, ut recte de eis judicare, & alios ne tantis peccatis Deum offendant, admonere possimus.

ADDITAMENTA.

II. ✻ *Quam novum, sive chemicum* - Chemicum studium ad medicum qua medicum si non unice, saltem primo loco & præcipue eo pertinet nomine, quà est pars pharmaceuticæ. Certe insigniter falluntur qui omnem tam Physiologiæ quam etiam Pathologiæ explicationem unice ex Chemicis principiis petendam existimant; Ut enim nonnulla quæ ad humorum spectant naturam ex his satis feliciter queant explicari; neque hæc tamen omnia, neque operationes viscerum ullo modo per ea

ſola expediri, omnino certum eſt. Neque poſſum diſſimulare, multos hodiernorum qui in infido hoc oceano nimium procedere auſi ſunt, turpiter ſe dediſſe; quamcunque etiam prima ſpecie præ ſe tulerint veriſimilitudinem novitate ipſa placentia ipſorum dogmata. Nihil enim agunt qui ſoli Analogiæ hic innituntur, niſi monſtraverint etiam reapſe in ſanguine eadem quæ in chemicis ſcriniis latere, eodemque modo & eadem menſura concurrere. Quicquid vero iſtorum fecerint, non tamen comparanda eſt hæc utilitas cum illa quæ in medicamentorum præparatione & Pharmacia occurrit; ſive enodanda ſit natura ſimplicium & ex his compoſitorum, ſive jam nova ſint concinnanda, ſive in officina exiſtentia corrigenda. Equidem naturam & compoſitionem medicamentorum ſine arte chemica velle intelligere, idem eſt ac in denſiſſima ſylva ad Lunæ lumen è longinquo ambulantes velle diſcernere.

✲ ✲ *Idque eſt quod in Chemicis vulgo meritò deſideramus.* Vulgo ait, ut excludat eruditos medicos. Nempe illis temporibus apud ſeculum prius neutiquam exculta ſummis ingeniis erat hæc ars, ſed ab imperitis naturalis philoſophiæ hominibus exercebatur. Eſt autem impoſſibile ut niſi hac probe imbutum afferas animum, & naturæ rerum naturalium gnarus accedas, in chemia recte ſentias: aberrant enim toto cœlo, qui per chemiam rerum naturam inveſtigari primum putant: non minus quam qui facultates viſcerum naturales: in nulla enim diſciplina effectiva ſubjecti natura indagatur, ſed ejus notitia afferri debet & ſupponitur, etſi inter operandum plura adhuc indies ad ejus naturam pertinentia detegantur: prout illi qui artium naturam intelligunt, facile mecum & clariſsime perſpicient. Sane quod ignoratur quid præparationes & operationes efficere posſint, non aliunde quam ex naturæ rerum naturalium ignorantia & inſcitia illa fluit: Hinc tot vani proceſſus, tot fallaces præparationes olim perſcriptæ leguntur: nec alio magis impoſuerunt imperitis fumivenduli, quam quia quid ſingulorum natura ferat ignorabatur. Nunc autem alia plane rerum eſt facies, ubi quid ex ſingulis parari, & quid unusquisque ope-

randi

randi modus afferre immutationis possit, tantum non ad unguem est cognitum. Primum enim Angeli Salæ & Billichii, deinde Boylii aliorumque mox nominandorum curis est factum, quod magnam illius scientiæ de qua neglecta hic auctor conqueritur, partem sic satis habemus hodie excultam, etsi bene multa adhuc restent, secus ac putant nonnulli, quæ licet prima fronte applausum mereri videantur, tamen si detracto cortice, & verborum quibus incrustantur pomposis titulis, curatius introspicias, nil nisi ludibria mentis & rerum Umbræ inveniantur.

V. * *Ex veteribus quidem nullos habemus.* Qui post Hippocratem de compositione medicamentorum scripserint, discimus ex Galeno: nam permulti eum præcesserant ex quibus haut pauca est ipse mutuatus. In his est *Mantias & Tarentinus* quorum postremus *Heraclides* etsi inter scriptores rei medicæ, id est simplicium medicamentorum Dioscoridi memoretur, magis tamen in compositione eorum laboravit. Ubi enim *Dioscorides* ait: *Eum prorsus omissa herbarum tractatione rem ipsam leviter & paucis attigisse*; Galenus aperte eum *de Præparatione ac probatione medicamentorum testatur scripsisse.* Id quod uberius multo ostendit alibi, ubi refert *eum ad imitationem Mantiæ præceptoris multa volumina de compositione medicamentorum conscripsisse*: Ipsum Galeni locum si quis desiderat, sic habet: *Compositiones medicamentorum complurium laudabilium primus omnium quod noverim, Mantias Herophileus scripsit, cujus discipulus factus Heraclides Tarentinus, in Pharmacorum usu videtur illum imitatus-- Post quos alii sane quidam non paucis voluminibus*, (in Græcis est: ἐν πλείοσι βιβλίοις)*sicut Mantias & Heraclides: Sunt etiam qui uno aut altero tantum ea conscripserint, quemadmodum Cappadox Heras.* Plures qui cupit cognoscere, conferat ejusdem Galeni alium locum qui extat *VI. de Compos. Med.* κατὰ τόπȣς in principio: ubi & Menecratis & Andromachi & Musæ & Asclepiadum & denique Critonis cujusdam meminit, omnium in hoc artis genere excolendo occupatorum, cujus loci partem & nos paulo ante citavimus, ubi de simplicium scriptoribus nobis erat sermo. Sed horum

Procem. L. I.
Procem. L. VI. de Med. S. F.
II. Comp. med. K. V. cap. I.

horum omnium ſcriptorum nihil nobis ſuperat illis exceptis quæ ſparſim Galenus in ſuis operibus ſervavit.

✲ ✲ *Marci Banzeri.* Separanda hæc ſunt: Alia eſt ars componendi medicamenta, alia præſcribendi formulas. Illa enim in compoſitis, quæ in officinis perpetuo extant, verſatur, hæc fere in decompoſitis, ex illis & ſimplicibus extemporanea opera parandis, ubi multa occurrunt quæ nec in Pharmacopoeo requiruntur, nec a medico ignorari debent. De hac agit Banzerus minime, vero de illa; qua de re nos plura poſt hæc addemus. Cæterum Banzeri in locum ſuccedat perelegans & doctisſimus libellus *Jacobi Sylvii*, *De medicamentorum ſimplicium delectu, præparationibus & miſtionis modo*, *Lugduni* exſcriptus MDLV: In hoc & Pharmacopœum & univerſam officinam inſtruit, dignusque eſt qui in vernaculam translatus iis aſſidue legatur. Oſtendit vero & plurimos errores ſodalibus ſuis Pharmacopoeis *Joannes Zovelferus* in *animadverſionibus ad Auguſtanam Pharmacopœam:* quem tamen nimium ſibi interdum ſumentem, & ultra quam ſua peritia ſeſe extenderet procedentem juſtis novis animadverſionibus repreſſit fœcundum & elegans *Lucæ Schrœkii junioris* ingenium, cum in *Pharmacopœa ſua Auguſtana reſtituta*, tum ejusdem ſuſcepta denuo adverſus alios Defenſione, quæ lectori omnino cum Zwelferi notis conjungenda ſunt. Nihil de utriusque opere amplius addo, cum in omnium manibus ſint iſta, adeoque ubivis nota.

Notior ut non ſit Caribus jam Delia.--

VI. ✲ *Qanto nemo hactenus.* Modo reſponderet ſemper eventus, neque communi iſto chemicorum empiricorum Glauberus laboraret vitio, ut plura jactitet jam queat præſtare: quod ita eſſe non clariſſimus tantum Ludovici monuit, ſed & ipſa hinc Glauberi auctoritas hodie apud plerosque valde eſt elevata, quemadmodum & furni ejus eſſe in pretio cito deſiere.

✲ ✲ *Quamvis autem non contemnenda hæc ſit ars.* Utrumque conjungi debet, cum hæc omnia dirigere oporteat medicum. Quin imò ars componendi medicamenta, ſine chemicarum rerum peritia mutila eſt, neque poteſt citra eam acquiri;

quiri: Enim vero, quod tot in componendis medicamentis inanes hodie labores ſumtusque poſſumus reſcindere, quod tam graves errores monſtrarunt Zvvelferus aliique, id chemiæ unice debetur. Hinc etiam merito omnes hoc tempore artis cultores acquirendi peritiam chemicam occaſionem quærunt ſollicite: Peccatur tamen ex altera parte, dum huic ſoli dant operam, doctrinam de componendis medicamentis veterem inſuper habentes, rati ſcilicet eam ad Pharmacopœos potius attinere: ſane hoc pacto deinde accidit, ut iſtis hominibus, quibus imperare ubique deberent, haut raro ob illam inſcitiam ſuam ludibrio ſint, auctoritatisve, qua ſuper eos eminere fas eſſet, apud vafros & ad licentiam pronos detrimentum patiantur. Quod jam porro auctores artis chemicæ ſpectat, poſt hanc Noſtri enumerationem haut leviter excoli illa cepta eſt: ita ut numerus eorum plurimum nunc excreverit. Primo autem forte in loco atque in acie ſtare mereretur *Joannes Michaelis, Lipſienſis ille celeberrimus Chemicus*, ſed nihil ipſe publice ſcripſit, etſi medicamenta ejus per totam Germaniam diſperſa, ſubinde à plurimis hic illic publicentur. Ex ejus tamen ſchola fere prodiit, quicquid illuſtris illa academia celebrat Doctorum in eo virorum: ejusque etiam fuit diſcipulus *Barnerus*, vir ingenio magnus, & peritia artis inſignis, qui tamen itidem in hoc genere nihil edidit. Ut autem Lipſienſis illa ſchola plurimos egregios viros dedit, ita non minore cum fructu Jenæ laboravit *Guernerus Rolfincius* noſter, cujus chemica ſcripta jam aliquoties laudavimus: Sane iſti duo viri, quicquid deinceps in Germania chemicorum eruditorum emicuit, videntur nobis peperiſſe. Ex utriusque autem diſcipulis bini maxime celebres evaſere, palmamque cæteris dubiam reddidere omnibus. Lipſiæ ſcilicet Ethmüllerus, cujus chemia poſt ejus mortem nuper à quodam lucri captatore publicata eſt: nefario tamen auſu, cum non ſit dubium multa ſi vixiſſet, celeberrimum auctorem fuiſſe emendaturum, expuncturum, immutaturum, quæ non ſine ipſius ignominia nunc publice leguntur. Deinde ibidem *Joannes Bohnius* etiamnum vivit, qui non pauca jam huc pertinentia publico communicavit, ſed à

quo longe majora adhuc expectamus, cum ab assiduo labore nihil audiamus eum remittere. Ex altera parte itidem binos habemus insignes viros, quorum pari ratione alter jam fatis cessit, beato Ethmullero nunc in æternitate socius, *Daniel Ludovici*, cujus *Pharmacia* auro contra chara habenda est, cum in illo libro nihil falsi, nihil fucati reperiatur, sed sincera & quousque eniti humana experientia potuit, vera omnia, ita ut post Angelum Salam & Billichium ingeniosiorem Chemicum magisque peritum seculum non viderit. Id tantum in eo desideres, (imo desideratur à plurimis) quod nonnihil obscurior, nec à quoquam intelligi queat. Quod partim ob dicendi genus auctori consuetum, partim ob immensam rerum copiam, (cum in tam exigua mole nihil prope simplicium, nihil compositorum medicamentorum omissum sit, quod unquam sive antiquis sive recentioribus venerit in usum, modo adhuc prostet in officinis) ita evenit: De his enim omnibus judicium ferre vir vere expertissimus non dubitavit, solidum vero illud, doctum, & ut antea dixi, sincerum, ut non possit operæ poenitere quam in extricandis obscuris illis quis posuerit: Altera vice jam iste liber est editus, accurante amico ejus summo & olim collega qui nunc nobis celebrandus venit: auctior autem hæc cum novis animadversionibus tum auctoris vita. Et nunc ad virum illum insignem *Georgium Wolfgangum Wedelium* venimus, cujus *Pharmacia in artis formam redacta, itemque nuperrime publicata acroamatica*, quantum planiore & apertiore dicendi genere præ Ludoviciana illa est consignata, tanto commodius majorique cum fructu Tyronibus legitur. Et quidem, dicendum quod res est, seposito omni affectu, quo veterem amicum & de nobis jam olim præclare meritum amplectimur: cum omnes, qui ante ipsum id operis fuerunt aggressi, ipsumque præceptorem Rolfincium longe superasse. Conjunxit autem hæc biga virorum pari instituto ac successu veterem illam novamque hanc Pharmaceutices partem, ut quæ sibi invicem debebantur, sed iniquo divortio sejuncta erant, hisce paranymphis tam egregiis juncta, redirent in gratiam, & amico connubio in unum coalescerent. Post istos Antesigna-

ſignanos memorandi porro ſunt alii minorum gentium dii, qui non tam artis rationem in mente habuiſſe videntur, quam circa ſingularia hæſerunt, & ut nunc vocantur Barbaris, proceſſus. Sunt autem plures: Galli potiſſimum. Anno nempe LXVII. currentis ævi publicatus eſt Pariſiis *Cours de chymie de P. Thibaut, dit Le Lorrain.* Fuit autem Deſtillatoris Regii titulo honoratus, & ut apparet ex libri inſcriptione, Lotharingus. Non multo poſt ibidem comparuit *Traité de la Chymie de N. Le Febure,* qui ſibi titulum fecit, *Apoticaire ordinaire du Roy, diſtillateur chymique de ſa Majeſté & de Monſeigneur de Metz duc de Verneuil.* Anno *LXXIII.* ſequuta eſt, *Chriſtophori Glaſeri Chemia, ſive Traité de la chymie,* ipſo jam mortuo aucta & emendata; erat autem Glaſerus natione Germanus; ſeu proprie loquendo Helvetius, Baſileenſis ſcilicet primum Fouqueti chemicus, dein inſtructo Pharmacopolio, privatim chemiam docuit: mox publico ſtipendio in Horto Regio illum exercens. Denique anno LXXXIII. adeoque decennio poſt prodiit *Cours de chymie de Nicolas Lemery.* Quibus omnibus ac ſingulis ſua debetur laus: major etiam futura, ſi tritum illud ſibi quoque dictum meminiſſent.

Ne ſutor ultra crepitam!

& Pharmacopœorum partes implevisſe contenti, ſubinde philoſophos agere non voluiſſent, rerumque cauſas exponere. Etſi enim nonnunquam ſic ſatis bene, ſæpius tamen male in aliena meſſe falcem exercent. Verum id in Gallis (Glaſerus enim ſibi temperavit magis) condonari poſſet, quibus audax & fertile ingenium cohibere difficile eſt: modo non turbas darent, & ipſam artem longam ſuis inventis ulterius producerent. In Germania Francofurti edidit ante quinquennium bina huc pertinentia ſcripta *Joh. Helfricus Jungkenius*, ita tamen ut magna utriusque pars etiam ad Pharmaciam Galenicam faciat. Utrumque pompoſo ſuperbit titulo: Primum quidem *Medici Præſenti ſeculo accommodati per veram philoſophiam Spagiricam &c. &c.* Alterum, *Chemicæ experimentalis curioſæ ex principiis mathematicis demonſtratæ.* Quemadmodum vero inſcriptionum verba inter ſe conciliare difficile eſt, ita multo difficilius, quod prima hæc li-

brorum frons promittit, in sequentibus paginis invenire. Sunt enim collectiones variorum potius remediorum, nec semper optimorum, sed promiscue omnium: & quamvis propria experientia à se adornatam chemicam polliceatur in præfatione, maxima tamen pars ex aliorum industria est, unde etiam Germanica, Italica & Latina inter se ita sunt commixta, ut non nisi harum omnium linguarum perito legi omnia possint. Ad utrumque pharmaceutices genus magnam quoque partem referenda est *Christiani Marggrafii Materia medica contracta Lugduni secundum edita anno seculi LXXXI:* uti potius ad Chemiam attinent, quæ ipso inscio & invito cum aliorum quoque medicamenta chemica parandi modis evulgavit ingratus quidam discipulus. Id quod, uti summa injuria est factum, ita merito non ipse modo optimus vir id tulit ægerrime, sed & omnes boni sine dubio factum hoc improbum abominantur: crimen enim non leve & furto simillimum est, in aliorum labores sibi arrogare divulgandi potestatem. Præter hæc vero in Belgio nuper prodiit quoque *Chemia Jacobi Le Mort*, itidem Pharmacopoei, quam paulo ante obitum, qui hoc anno nobis eripuit optimum & longe expertissimum chemicum, ipse *Marggrafius* noster acerrime impugnavit, edito libello cui titulum fecit *Jacobi Le Mort Pseudochymici & Ratiocinatoris Dupondiarii ignorantia circa chemiam & scientiam naturalem.* Sed jam satis de chemicis scriptoribus dictum est.

IIX. ✠ *Propter Opobalsamum.* Est illa ipsa controversia, de qua modo diximus ad finem proximi capitis, *Baldi* & *Perlæ* tractatus fuisse conscriptos, qui reliquis Pharmacopoeis & medicis Romanam illam compositionem oppugnantibus egregiè obviam ivere. His addendum *Opobalsamum examinatum, defensum, judicatum, absolutum & laudatum Petri Castelli* ut & *Ejusdem Opobalsamum triumphans*, utrumque in 4. editum, alterum Messanæ, Basileæ alterum. De cætero reticendum hic non est, nobilissimis istis compositionibus à nostratibus quoque nonnullis moveri hodie controversiam: Quorum quidem alii inconcinnam & inconditam esse compositionem clamitant, quæ cum pauca alexipharmaca recipiat, mole tamen sua laboret;

alii

alii etiam inutilem, & non adeo magnarum virium esse: quicquid præstet, id opio deberi, circa quod ne sudorem quidem posset movere: in malignis autem morbis non multum adeo hodie vel istam, vel reliqua etiam alexipharmaca afferre auxilii: Quæ omnia merentur sigillatim expendi. Est autem non admodum difficilis ad hæc omnia, & in promtu responsio. Quod igitur ad prima attinet, quibus post Quercetanum Chemicum, cui Galenica ut vocant, id est vetera, erant admodum exosa, Zwelferus contra insignem compositionem insurrexit, ex parte iis jam satisfecit in *Pharmacopœia Augustana restituta Lucas Schrœkius*: verum iis addi & alia possunt. Primum enim, etsi longa satis sit & ampla eorum simplicium clasfis quæ Theriacam ingrediuntur, ea tamen esse pugnantia & se invicem destruentia, difficilius forte ostendi potest, quam nonnulli credunt: deinde si essent, nihil inde superflui liceret arguere aut mali. Concurrentibus enim his inter se & fermentantibus, non cujusvis speciatim virtus expetitur, sed tertia universalior inde exurgens, cujus rei exempla tota die in componendis etiam recentissimis & Chemicis occurrunt. Et sane prodiit egregie suam hic ignorantiam Zwelferus, cum quod illud non intellexit, tum quod calida inde eliminare audet, & nominatim piperis genera. Alexipharmaca enim virtus in eo maxima constituenda est, ut vel obtundat & reprimat fermentationem antidotum, id quod opium, Chalcitis & reliqua constringentia egregie præstant; vel malignitati occurrant: quæ cum in coagulatione sanguinis maximam partem consistat, illa calidissima, acriave & resolventia, maximam Theriacæ partem constituentia, utique erant summe necessaria. Ex quibus simul patet, quam vehementer errent qui quicquid præstat, id opio deberi putant, cum discutiens, resolvens & sudorifera illa facultas (quicquid etiam de opii diaphoretica vi glorientur) ad ea primario pertineat. Quod si ipsis non sufficit, adeant incomparabilis Welschii in Walei methodum medendi notas, haut longe à principio, atque audiant, illos qui sine opio confectam Theriacam sudorem movere negarunt, insigniter falli. De malignis morbis distinguendum videtur

detur! Qui enim perniciosissimi sunt & vehementissimi, ut Pestis illique confinia mala, illi etiam maxima requirunt remedia; Quæ ergo potentius resolvunt & sudorem impensius ac celeriter movent, sine dubio Theriacalibus compositionibus sunt præferenda. In reliquis non æque vehementibus morbis omnino faciunt officium: in dysenteria quam sit efficax remedium Theriaca, non solum Ludovici & Wedelius haud ita pridem, sed & ante hoc octennium Helmstadium nostrum comprobatum dedere, ubi generoso hoc remedio recenter tum confecto ingentem ægrotantium numerum esse servatum, vulgo notum est: In omnibus autem prorsus nihil agere, nemo nisi audaculus veterum derisor dixerit, cui respondere inutile esse existimamus. Equidem tot seculorum experientiam negare, stultitiæ proximum puto, præsertim cum ratio ipsa eam suffulciat & tueatur. Scripsit vero etiam de Theriaca & Mithridatio egregie *Johannes Henricus Meibomius*, ubi plura in rem præsentem legi possunt.

✻ ✻ *Conati autem multi sunt, Mithridatium imitantes-* Orvietanum, & similes compositiones intelligit; quarum haut paucas habemus: Electuarium de Ovo, Matthioli Antidotum, Diascordium Fracastorii, Sylvianum, & quas Zwelferus ipse aliique recentes excogitarunt. Sunt autem & aliæ ejusmodi salutares compositiones, non ejus generis: uti cordiales cumprimis, ut vulgo quidem audiunt. In quibus eminet *Confectio Alkermes*, de qua præter ea quæ in dispensatoriis habentur, bini eruditi extant scriptores, *Laurentius* nimirum *Eichstadius*, & *Joannes Strobelbergerus*, quorum ille Stetini 1634. hic verò Jenæ 1620. dissertationes suas in lucem emiserunt.

XII. ✻ *Animadversiones Joann. Zvvelferus.* De iis ad thesin quintam nos jam egimus, ubi inveniet lector quod huc transferri potest.

✻ ✻ *Georgii Melichii:* Augustani itidem, sed qui Venetiis vixit Pharmacopola ad signum Struthionis. Prodiit denuo hoc ejus dispensatorium anno MDCXXIX. *cum animadversionibus Alberti Stecchini*, successoris ejus: sane quam doctis,

Italice

Italice. Meretur vero hic etiam post ista commendari *Pharmacopœi Londinensis* aliquoties intra paucos annos iterata editione prostans: Multo vero magis fortassis *Dispensatorium Romanum* Italice itidem conscriptum, notisque admodum doctis & elegantibus exornatum à *Petro Castello*, medico illo famigeratissimo, de quo multa alia habemus, doctissima, minus vulgo nota, & cujus est etiam Optimus Medicus, qui cum aliis huic operi parte altera accedet: Uti & porro etiam *Discorso della differenza tragli semplici Freschi & Secchi*, Romæ editus, 1629. *De Vesuvii incendio liber*, aliaque bene multa, omnia doctrina uberrima referta. Denique agmen claudat *vastum opus*, & quale in hoc genere vix aliud unquam extitit, Francofurti ante aliquot annos à *Joh. Daniel Horstio*, practico veterano publicatum, in quod videtur omnia congessisse, quæ potuit invenire: opus igitur hoc maxime necessarium est iis qui absolutam rerum pharmaceuticarum notitiam student sibi comparare, etsi prolixitate pene deterreat lectorem.

* * * *Majoris vero momenti est scire doctrinam medicamenta componendi.* De cujus auctoribus actum fuit inciso quinto hujus capitis, & sexto: ad quæ addidimus quæ inde repeti possunt: Chemica vero, etsi recte dicat hactenus auctor, aliunde esse haurienda, iterum tamen monemus, absque his Pharmaceuticam veterum illam sibi non satis constare, & injuria hæc sejungi ac prorsus præter rem: quare in permultis operibus etiam conjuncta iterum videntur, ut in ipsa *Pharmacopœia Augustana Zwelferi*, & *Schrœderiana* etiam, sed quæ uti referta est stolidissimis Paracelsi aliorumque jejunorum Philosophorum principiis, ita processibus ut vocant Chemicis ibi expositis non semper adeo multum est fidendum: sunt enim in his cum multa inepta ac falsa, tum manca quoque & imperfecta plurima, prout occurrebant auctori citra examen judiciosum inserta: injuria ergo tyronum manibus hic liber tam sedulo ac diligenter versatur: verum in defectu melioris excuti iisdem nondum facile poterit.

XIII. * *Villanovanum præferre simplicia.* Quod ad hanc con-

controverſiam attinet, mihi non eſt dubium, utrumque non recte ſenſiſſe. Eſt enim ubi ſimplicia; eſt etiam ubi compoſita rectius adhibentur: utrumque ſcilicet ſuo loco. Indubitatum enim & primum principium hic eſto medicum: *Quod poteſt fieri per pauca, & per ſimplicia, id non fiat per plura, ſive compoſita,* quoniam Entia non ſunt multiplicanda præter necesſitatem. Secundo loco ſit: *Quod rectius fieri per compoſita videtur, faciendum; & ubi ſimplicium vires non ſufficiunt, non eſſe ambigendum de illorum uſu:* ipſa dictitat hæc recta ratio: cavendi tamen errores in ſequente XIV. deſignati: ubi tamen iterum hæc ſiunt notanda:

XIV. * Non ſemper eſſe rejiciendam contrariorum mixtionem cum ſæpe reſultet inde tertium, prorſus â prioribus diverſum nec inutile. Exemplo ſit arcanum Tartari & Tartarus Vitriolatus & Spiritus Nitri in conchas effuſus. Nimirum non ſemper deſtructis contrariorum qualitatibus prioribus, effœtum quid fit & omni uſui ineptum.

* * Nec ſemper in eo peccari, quod diverſis indicationibus reſpondentia miſceantur. Si enim ſe invicem poſſunt ferre, neque detriverit unum alterius efficaciam, quid ni conjungas? cum fieri posſit per pauca quod alias pluribus eſſet obtinendum. Ipſe *Galenus* hoc non improbat, cujus evolvere præter alia in id licebit *Meth. Med. VIII, c. 9.* Non tamen fruſtra hic auctor inſtitutum illud videtur taxare: Cum enim anomali quid habeat illa mixtura, ſaltem non ſine ratione & ſufficiente cauſa id faciendum, alias curatio evadet empirica. Quod factum vidimus cum in Sylvianis illis miſturis, tum in aliis quoque haut ſemel, ubi acidis ſpirituoſa, calida frigidis, cœlum terris miſta non nunquam eſt cernere.

XV. *Decocta illa maxime penetrant, quæ cum hydromelite parantur.* Ex iſtis omnibus patet, neminem ad præſcribendas formulas properare oportere, ante plenariam cum ſimplicium, tum artis ipſius præſcribendi cognitionem. Cum enim duo ad medicamenta requirantur, Materia & Forma, patet illa ſpectare ad materiam tantum: Forma autem eſt conſiſtentia medicamenti, quæ ex variis illis commiſtis reſurgit. Quæ ambo cum ſint ne-

ceſſaria

cessaria cognitu ad compositum quodcunque recte constituendum, demiror esse qui formularum conscribendarum artem insuper habeant, aut peculiarem nullam esse putent. Cum tamen in omnibus artibus nihil aliud addiscatur, quam isthuc ipsum; Quo pacto forma sit in materiam introducenda: ita ut materiæ exacta cognitio neutiquam sufficiat, sed in præcognitis sit habenda. Neque enim verum est, quod isti fortasſis putant, eandem esse conficiendi & præscribendi scientiam: Etsi enim hæc esse sine illa nequeat, potest tamen illa citra hujus notitiam teneri: cum ad Pharmacopoeum spectet, hæc vero ad medicum. Omnino igitur & ista tradenda venit seorsim, ut jamtum ad cap. VIII. annotavimus. Et vero non desunt nobis auctores plurimi, qui eam scriptis illustrarunt, ex recentioribus saltem. Veteres enim Græci atque Arabes priores, cum suis manibus componerent medicamenta, (qui mos antiquus in quibusdam nunc locis incipit sensim reduci) seorsim his instrui non habeant opus, cum ipso usu id liceret discere. Præter *Petrum Morellum* nempe, omnium notissimum, huc facit unice etiam *Marci Banzeri professoris Wittebergensis perdoctus liber*, quem supra expungendum atque huc referendum censuimus. Utile quoque est perelegans, exiguum licet *de Materia Medica opusculum Joannis Tilemanni*: etsi id non tam artem ipsam quam exempla & materiam suppeditet. Porro etiam prostat *Joannis Prævotii de compositione medicamentorum opus posthumum*, apprime huc faciens: Item doctissimi viri *Joannis Theodori Schenckii Syntagma componendi & præscribendi medicamenta*, satis prolixum, in quo egregie practicum recentem instruit. Post quem denuo laudanda *Christiani Marggrafii Materia medica contracta* cujus altera pars hoc unum præcipue docet; & quidem pereleganter, constructis tabulis in rem utilisſimis. Quem docendi modum felicius deinde imitatus est *celeberrimus noster Wedelius*, itidem editis tabulis, quas justo deinde commentario illustravit, & tam aperte rem omnem dixit, ut nihil eo in genere luculentius desiderari queat.

XVI. *Neque silentio involvendum est*. Non dubito fore plerosque, qui huc usque ubi pervenerint, hæc de Magicis me-

dicamentis ab auctore asserta tanquam inania & absurda damnent, atque illico altum exclament:

Risum teneatis Amici.

Quod hoc seculo ad Atheismum plusquam omnia fuerunt elapsa, supra modum proclivi, neque mirum est, neque quenquam debet turbare. Provenit enim id quidem non aliunde quam ex immani superbia, qua omnia ante se in re literaria gesta hodie contemnunt nostri, pauca illa & exigua particula scientiæ quæ veteribus nunc accessit, adeo inflati, ut plus se valere judicio atque prudentia credant quam reliquos omnes antiquos magistros. Itaque torquent, negant, invertunt quicquid unquam occurrit novæ isti suæ sapientiæ adversum: subinde inculcantes illud

Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

Immemores interim, in utrumque hic partem peccari posse, nec minus ineptos esse, qui nihil, quam qui omnia credunt. In hoc ultimo sæpe jam peccari, & maxime quidem ab illis qui sibi videntur supra cæteros sapere, non indiget multa probatione: quod ut pateat, rogo atque obtestor omnes, quibus rei literariæ facies hodierna non plane ignota est, ut examinando eant per singulas disciplinas, atque exquirant paulisper, Quid in Theologia, quid in Medicina, in Philosophia naturali, in Morali tandem ac Metaphysicis non sit negatum, aut vocatum in dubium. Adeo invaluit probe illud infelix Cartesii dogma: De omnibus esse dubitandum, ut nihil sanctum, nihil inviolatum maneat. Hæc igitur labes, cum propria sit huic seculo, non inquam, est mirum etiam de Magia tam perperam ac frigide nonnullos hodie sentire: Verum quo jure id faciant, judicabunt posteri, & hodie viventes prudentiores, quique simul id norunt, artem Analyticam hoc tempore simul ita negligi, ut ea pene sola, instrumentum licet sit & vere nervus τῶν φρενῶν, prope intercidisse videri queat.

At at! hoc illud est: hinc illæ lacrimæ!

Si enim fidem historicam & argumenta repugnantium rectius intelligerent, aliter sentirent. Non possum quin provocem ad exempla, & *Gabrielis Naudæi* summi cæteroquin viri librum, cui

titu-

titulum fecit: *Apologie des Grands hommes accusez de Magie* in scenam producam: in quo & ipse celeberrimos Magos omni suspicione liberare ausus est: Cujus argumenta si quis perpendat, quam plerumque sint frigida & sine omni robore, deprehendet. Non enim tantum audacter negat plurima plusquam levi suspicione inductus, sed & vim infert ipsissimis auctorum verbis, & ea rapit in alienum sensum. In reliquis plerisque pugnat probabilibus & apparentibus, cum tot seculorum fide certa veris argumentis expugnanda essent: nec multo aliter se gerit, quam Borrichius circa Ægyptiam Philosophiam. Nam ubi solidiora ipsum destituunt, illis audacter utitur: & quia talia amat hoc seculum præ demonstrativis & analyticis, quæ risui & contemtui sunt, obtinet quod cupit, & vel imparibus armis prosternit veritatem. Inter alios etiam Paracelsum ex numero isto eximit & famosissimum nebulonem Faustum: de quibus tamen mihi tam certa suppetunt testimonia, alterius quidem in propriis scriptis, alterius vero ex fidissima relatione, ut si quis dubitet, eum me posse convincere omnino existimem, modo rationis sit capax, nec in Magiæ ludat vocabulo. Sed frustra sum: quid enim cum ejusmodi hominibus agas, qui tam vehementer mentem habent opinionibus suis præoccupatam, (vocant id vero ab omni præjudicio se liberare) ut citius negent etiam apertissima, quam quicquam ab illis remittant, & quibus hoc unum sufficit dicere, quod dicit Naudæus, ubi nihil aliud habet quod objiciat.

At nusquam totos inter qui talia jactant,
Apparet ullus qui re miracula tanta
Comprobet. —

Quasi vero quod ipsi non viderunt, id omne falsum, inane, & mera persuasio fuerit, sintque ipsi soli oculati, reliqui cæcutiant instar noctuæ ad splendorem solis. Nolo plura inaniter & frustra apud eos profundere: evolvant auctores ipsi quos hic Noster commemorat, & certò sciant, illum, illum, si quenquam alium in auctoribus De Dæmonomania, omnique doctrina de spiritibus ita fuisse versatum, quantum nemo homo unquam fuit, ne-

que vidiſſe hoc tam naſutum ſeculum ipſi in hoc etiam genere parem. Hinc ſæpe optabat otium & corporis vires, quantum ad componentum librum de ſpiritibus ſat eſſet. Quo in opere, niſi iſta eum defeciſſent, forte habuiſſet in quo contradicendi lubidinem genius noſtrorum ſtudiorum potuiſſet exercere.

CAPUT XII.
DE
CHIRURGICA EJUSDEMQUE SCRIPTORIBUS.

THESIS I.

DOctrina de medicamentaria omni in univerſum re expedita, ad Chirurgicam tranſeundum eſt: quam per ſummam injuriam ſequioris ævi temporibus à Medicina ſejunctam ✲ eſſe, *capite primo* clarum fecimus. Antiquiſſimis ſane temporibus longe aliter de ea judicatum fuiſſe, *præfat. in libros Chirurgicos Thomæ Fieni* à nobis editos notavimus. Quin apud Homerum Chirurgus κατ᾽ ἐξοχὴν ἰατρὸς appellatus fuit. Ideoque non eſt ut hoc loco prolixiores ſimus. Tantum de ſcriptoribus unum & alterum ſubnectemus.

II. Ex veteribus autem primo loco hic nominanda ſunt *Hippocratica ſcripta, quæ ſectione ſexta operum editionis Foëſianæ continentur.* Quæ omnia utpote Hippocrate maxime digna, commentariis Galenus explicavit. Præter hos ✲ ex antiquo ævo qui hanc doctrinam ſcriptis tradiderit, neminem habemus. Quapropter etiam ad recentiores nos ſtatim nunc conferimus. Duo autem cumprimis ante hos centum præter propter annos in Italia magnum nomen inde impetraverunt. Alter eſt *Joannes de Vigo Genuenſis*, cujus Pra-

Practica Chirurgica copiosa ac præclara superest. Alter *Jacobus Berengarius Carpus*, qui præter alia etiam *De cranii fractura* aureum tractatum reliquit; quem ante hos viginti quinque annos in Batavis emendatius recudi fecimus. Extat porro *Chirurgia* magna *Vesalii* in septem libros digesta, verum quantum liquet, ipso incomparabili viro minus digna. *Variorum* porro *eorumque optimorum habitorum chirurgicorum scripta*, (præter illos sequioris ætatis lingua barbaros qui itidem uno volumine prodierunt Venetiis anno 1499.) primum diligentissimi viri *Conradi Gesneri*, inde iterum *Israëlis Spachii cura uno volumine evulgata sunt*; quod utrumque præclarum opus est & multos egregios libellos continet: nisi quod neutrum Joannem de Vigo habeat, qui tum temporis tamen in pretio fuit: id quod miramur. Discipulum vero Vigo habuit *Marianum Sanctum Barolitanum*: cujus nova de lapide vesicæ per incisionem extrahendo ratio extat, de qua alias dicendum. Quorum vestigiis feliciter institerunt deinceps *Angelus Bolognius Bononiensis* opere de cura ulcerum exteriorum edito clarus, & *Michael Angelus Blondus*, una cum *Bartholomæo Maggio Bononiensi*, eruditione in re medica nulli chirurgorum secundo, & *Alfonso Ferrio Neapolitano*; qui omnes
** de schlopetorum & bombardarum vulnerum curatione scripserunt. Non multo post eximiam laudem hac de re consequuti quoque sunt *Gabriel Falloppius*, *Caspar Tagliacotius*, *Julius Cæsar Arantius*, *uterque Bononiensis*, *Cæsar Magatus Scandianensis*, & *Joannes Andreas à Cruce Venetus*. Quibus tamen longe anteferendus est *Hieronymus Fabrici-*
*** *us ab Aquapendente*; cujus duo præclara Chirurgica scripta in manibus sunt, in quibus magno ingenio judicioque conscriptis multa circa curandi rationem traduntur, quæ ali-

 bi

bi frustra quæsiveris. At omnium industriam superavit *Marcus Aurelius Severinus*, cujus præter alia varia & docta scripta cumprimis laudem merentur libri *De efficaci medicina*, *De recondita abscessuum natura*, & nuper demum evulgata *Trimembris Chirurgia*. *4.

III. In Gallia avorum memoria nonnulli etiam chirurgicæ rei peritia floruerunt. Inter quos præcipuum nomen commeriti sunt *Joannes Tagaultius Ambianus*, *Vidus Vidius Florentinus*, *Bartholomæus Cabrolius*, & *Franciscus Roussetus*. Quibus tamen ut & reliquis omnibus facile palmam præripuit *Ambrosius Paræus*, cujus grande opus dignum est, ut ab omnibus cognoscatur.

IV. Germaniæ etiam non defuerunt præclari Chirurgi: in quibus præcipue tamen excelluit *Guilielmus Fabricius Hildanus*, Practicus felicissimus: quo in excogitandis instrumentis chirurgicis dijudicandisque medicamentis illi rei aptis nullus peritior fuit aut felicior. Observationes certe ejus chirurgicæ adeo sunt egregiæ, ut cum cæteris omnibus ejus argumenti scriptis merito certare possint. Habemus tamen etiam alios Germanicos Chirurgos: è quibus quoque est *Felix Würtz Basiliensis*: etsi in quam multis sit lapsus propptereaque ab Hildano reprehendi meruerit. Ex parte ad Chirurgiam etiam spectat parvus ille sed elegantissimus libellus *De medicina militari* viri solertissimi *Raymundi Mindereri*, supra jam nobis laudatus. His annumerandus est *Thomas Fienus*, Philosophus & Medicus longe doctissimus; cujus *De cauteriis* elegantissimi libri jam pridem, & alii præterea *De præcipuis artis chirurgicæ controversiis* à nobis publicati sunt: præmissa *præfatione*, quæ chirurgicum hoc argumentum persequitur. Commendari denique meretur *Matthias Ludovicus Glandorpius* Coloniensis, Reip.

Reip. Bremensis Medicus; cujus varia perdoctaque opuscula chirurgica lucem jam viderunt: qualia sunt *De polypo narium, affectu gravissimo, Speculum chirurgicum, Methodus medendæ paronychiæ,* ut & ejusdem *Gazophylacium polyplusium fonticulorum & setonum reseratum.* Desiderantur adhuc ejus Observationes Chirurgicæ, quas tamen ad editionem eum jam paratas habuisse constat.

V. Horum similiumque optimorum scriptorum notitiam habere debent illi, qui elegantiam aliquam medicinæ assequi volunt. Atque utinam vulgo etiam Chirurgi essent doctiores, neque statim ad ferrum & ignem in quovis partium periculosiore affectu confugerent. In quam rem cum alii, tum *doctissimus Langius* multa habet in Epistolis suis, quæ hodieque etiam in illos qui vulgo se Chirurgos profitentur, quum carnificibus longe sint similiores, quam optime conveniunt. In quos recte illud detorqueri potest, quod de adulatoribus olim quidam dixit: præstare incidere in corvos, quam vitam & corpus hujus farinæ chirurgis imperitisque Medicis committere, qui in vivos adeo crudeliter grassantur.

ADDITAMENTA.

I. * *Ad Chirurgicam transeundum est: Quam per summam injuriam-* Triplicem esse Therapeutices partem, sive curandi modum, & quasi remediorum fontem, Pharmaceuticum, Chirurgicum & Diæteticum, quibus æque omnibus ad depellendos morbos & sæpe quidem eosdem utimur, & vulgo notum est, & in Institutionibus latius explicatur. Singula inde petenda remedia non promiscue, sed suo quodq; loco esse adhibendum, ex se quilibet vel indoctus judicat: At quando hoc, vel illud vel istud locum habet, id nemo nisi perfectus medicus potest judicare. Pertinet

tinet enim ad methodum medendi, adeoque patet quam sit perniciosum humano generi, quod in quocunque, quamvis externo etiam malo Chirurgi inconsulto medico operationem quam volunt eligunt. Id enim est irrumpere in campum alienum, & quam non didicerunt artem exercere. Sane isti homines, si medicum respicias, non in alio sunt loco quam Pharmacopoei: Ministri nimirum ex ipsius nutu quibus erat pendendum, neque operandum nisi quando, & quomodo is imperat: essetque officium magistratus, reducere hanc legem, illisque interdicere, ne quid audeant antequam cum perito medico rem omnem communicaverint. Est nempe duplex chirurgiæ consideratio: Una quæ pertinet ad methodum medendi, altera qua instrumentorum artis & remediorum venit in numerum. Nam quæ operatio cui malo exstirpando vel mitigando conveniens sit maxime, id sane ad methodum referendum est. Ipsæ autem operationes sunt instrumentorum loco, non prius permittendæ, quam expensis probe omnibus ad illius leges & præscripta. Estque hoc pacto Ars χειρουργικὴ sub medica arte, tanquam ipsius ministra collocata, haut secus ac Pharmaceutica; & quod est Pharmacopœus in re medicamentaria, id est, Chirurgus in re Chirurgica. Igitur utraque hæc eadem injuria se subtraxit medicinæ, ejusque se subducit imperio. Quod mirum est (ut hoc obiter jam moneamus) in Chirurgica auctorem tam aperte agnovisse, non item Pharmaceutica: cum hæc longe & facilius & majori cum Medici dignitate posset ad ipsum redire. Cæterum quod supra diximus de diversa consideratione Chirurgiæ, quantum ad operationes ipsas, & ad earum selectionem atque usum, id nonnulli præstantes chirurgi animadverterunt probe, & potest esse exemplo eorum maximus Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, qui duplici methodo opereque seorsim tradidit Chirurgiam: uno, quo agit de operationibus, qui chirurgum instruit; altero, quo morbos manuum ope curabiles à capitis incipiens partibus, per universum corpus eundo, persequitur: atque hic liber unice pertinet ad medicum, ad chirurgum vero nihil attinet, qui si modo recte novit operari, de reliquis sollicitus esse non deberet. Concludamus hæc verbis

bis *Simonis Pauli*; Is *in programmate de officio Medicorum Pharmacopœorum & Chirurgorum* sic nostra confirmat: *Chirurgi, cæteroquin solertis Chironis ad famam pergentis partes sunt, Mariscas & Polypum excidere, aut truncare artus; sed non nisi Medicus jusserit, ipsoque præsente & arbitro.* Idem de cæteris esto judicium: nam hæc in exemplum duntaxat dicta putanda sunt.

II. ✲ *Præter hos ex antiquo ævo, qui hanc doctrinam scriptis tradiderit, neminem habemus.* Extant quidem plurimi, sed ἀνέκδοτοι si credimus *Johanni Sponio*, artis & antiquitatis peritia celeberrimo, in Augusta illa Magni Ducis Hetruriæ bibliotheca inter MSta ad S. Laurentii ædem asservata. De quibus non pigebit verba ipsamet adscribere ex *Itinerario*, quo per Italiam, Dalmatiam, Græciam & Asiam sibi visa notavit: sic autem ubi de Florentiæ admirandis sermonem instituit idiomate sibi nativo loquitur. *Je vous parleray d' un aûtre manuscrit, qui regarde mon metier, qui est l' unique qu'on sçache de tontes les bibliotheques de l' Europe. C' est un gros volume Grec, qui comprend la Chirurgie des Anciens, comme d' Hippocrate, de Galien, d' Asclepiade, de Bithyne, d' Apollonius, d' Archigenes de Nymphodorus, d' Heliodore, de Diocles, de Rufus Ephesius & d' Apollodorus Cytiensis, dans l' ouvrage duquel il y a des figures, penites sur le parchemin, pour la maniere de remettre les dislocations. Ce dernier aussi bien quu' Asclepiade, Apollonius & Diocles, sont citez diverses fois par Pline, & Galien parle souventes fois de Archigenes. Mais nous ne voyons pas de leurs ouvrages entiers, & Bithynus, Nymphodorus & Heliodore ne nous sont presque pas connus de nom.* Quod Latine sic reddimus: *Aliud Manuscriptum commemorabo, quod pertinet ad artem quam profiteor, & quod omnium per universam Europam bibliothecarum, quantum quidem novimus, unicum extat. Est vastum volumen Græcum, continens Chirurgiam Antiquorum, Hippocratis, Galeni, Asclepiadis, Bithyni, Apollonii, Archigenis, Nymphodori, Heliodori, Dioclis, Ruffi Ephesii, & Apollodori Cytiensis, in cujus opere figuræ cernuntur chartæ Pergamenæ inscriptæ ad modum reponendi luxatas partes attinentes Hujus ultimi, pariter ac Asclepiadis, Apollonii, & Dioclis aliquoties in Plinii operibus fit mentio. Archigenis etiam apud Galenum non infre-*

quens est nomen: verum integra ipsorum opera nullibi reperiuntur. Bithyni autem Nymphodori & Heliodori vix nomina nobis etiam nota sunt. Sane ista omnia si ita haberent uti Clarissimus *Sponius* narrat, fraudi foret haut exiguæ rei chirurgicæ, æternis tenebris tam eximium opus damnari, in quo fieri non posset, quin multa præclara admodum, summæque utilitatis monita legerentur: multo enim plura fuisse recte observata antiquis illis, cum inter medicorum filios chirurgiæ studium floreret, quam nostris temporibus ab indoctis plerumque operatoribus & rei anatomicæ imperitis fieri potest, rationi conveniens est, & res ipsa loquitur. Verum enim vero fefellisse videtur optimum virum cursoria & festinata perlustratio. Cum enim in his inserendis animus esset, opportune occurrit sagacissimi antiquitatum medicarum indagatoris, Collegæ conjunctissimi, *Meibomii* peritia, cui diutius Florentiæ subsistenti bibliotheca illa Magni Ducis ad invidiam frui concessum fuisse noveram. Is igitur de hoc codice consultus tale mihi responsum misit:

Liber ille, quem ex antiquis chirurgis collegit quidam Medicus, *Nicetas*, nescio cujus ævi, notissimus mihi est, illoque in Magni Ducis Laurentiana Bibliotheca, Scamno LXXIV. extante, licuit mihi uti, quamdiu Florentiæ fui, & pluscula ex illo describere. Non tamen Florentiæ solum, ut Sponius credit, sed etiam in Regis Galliarum Bibliotheca eadem collectio extat. Nec omnia, quæ in eo codice habentur, inedita sunt, nec ejusdem momenti, multo minus Autores eorum sunt incogniti. Deprehendi in eo quosdam libellos integros: de aliis non nisi tenuia quædam fragmenta. De Hippocratis, Galeni, Oribasii, P. Æginetæ, Ruffi Ephesii, Palladii, aliunde notis scriptis & jam editis nihil moneo. De Bithyno, Nymphodoro, & Heliodoro tantum dicam aliquid, quoniam Sponius illorum nomina pene incognita existimat. De Bithyno forte non male dixerit, eum aliis omnibus ne nomine quidem cognitum esse, quoniam ex Sponii cerebro nuperrime prodiit. Quæ enim ibi habentur fragmenta, sunt Asclepiadis ex Bithynia, seu Prusiensis, cujus toties mentio fit apud Plinium & Galenum, ex

quo

quo ille duos facit, alterum Asclepiadem, Bithynum alterum: quo eodem jure alium Rufum, alium Ephesium facere potuisset. Et vero Heliodorus quoque ex Ægineta & Oribasio, qui ejus Chirurgica laudant: Nymphodorus quoque ex Celso & Galeno & eodem Oribasio, propter Glossocomum quoque, potuisset esse cognitus. Jam tum etiam Heliodorum, cujus de fracturis Capita XI. in hac collectione extant, vertit & edidit Vidus Vidius.

✻ ✻ *Omnes de sclopetorum & Bombardarum vulneribus scripsere.* Adde: & omnes in isto Gesneri volumine continentur, cum aliis valde præclaris: Cumprimis elegans est ipsius Gesneri enumeratio alphabetica virorum chirurgia & scriptis chirurgicis illustrium, & liber de Fasciis Galeni, propter additas figuras quæ rem alias obscuram optime declarant.

✻ ✻ ✻ *Hieronymi Fabricii* tres sunt editiones, quarum ultima est auctior.

✻ ✻ ✻ ✻ *Marcus Aurelius Severinus* Ejusdem habemus etiam synopseos Chirurgicæ libb. VI, qui tamen potius capitum quam librorum merentur nomen, adeo sunt breves: Opusculum inservire tyronibus aptum, si expleret expectationem: sed tale est ut pene dubitem ab ipso Severino esse evulgatum. Longe sane est in eo genere præstantior clarissimi viri & longioris vitæ dignissimi *Joh. van Horne Microtechne*, ut possimus post eam Severini (si modo ejus est) libro facile carere.

III. ✻ *Ab omnibus cognoscatur.* Non est hic silentio prætereundus *Leonhardus Botallus*, qui varia scripsit huc spectantia: Cum autem ejus opera omnia ante hos XXV. annos à modo laudato *Joh. van Horne* junctim sint edita non est necesse ea sigillatim hic recensere. Præclarus tamen præ cæteris esse videtur tractatus de vulneribus Sclopetorum, Hic non tacendum, videtur, quod à viro quodam docto accepimus. Nempe illum ipsum Botallum esse, qui morem tam frequentis Venæsectionis in Galliam primus introduxit, ex illoque tempore populares ejus ipsi indulsisse: Quod & nunc faciunt, quantum quidem nulla

 per

per universum alia natio solet. Utrum de necessitate id faciant nec ne, non est jam opportunum exquirere.

IV. ✠ *Habuisse constat:* Addi his meretur *Joannis* cumprimis *Sculteti* Armamentarium Chirurgicum, aliquoties jam excusum & accessionibus auctum, propter tabulas quas habet numerosas, juventuti utiles, sed cum in omnium jam sit manibus, ei commendando tempus frustra impenderem. Superest etiam ex Germanicis *Gualteri Hermanni Ryff*, medici Argentoratensis Chirurgia magna, quam Lindanus in De Scriptis Medicis omittit: forte, quod Germanice conscriptam, non vidit. Est verè amplus liber, non quidem omnibus numeris absolutus, sed qui egregia non pauca continet, ut erat ille vir doctus, & cujus lectio nostris hominibus Latinæ linguæ ignaris plurimum posset prodesse. In Belgio aliquot abhinc annis in lucem prodiere *Pauli Barbette* Amstelodamensis medici *Opera Chirurgico anatomica*, in quibus, (libro non magno) multa ad medicamenta præsertim spectantia, reperiuntur; quæ non licet diligentem medicum ignorare. Secuti hæc sunt *Observationes* binorum Chirurgorum itidem Amstelodamensium: *Henrici Roonhuysen* & *Jobi van Meekeren* patrio primum sermone exaratæ, nunc ni fallor Latine interpretatæ, in quibus non contemnenda etiam inveniuntur. Tandem iterum *Rolfincii* mei hic mentio facienda est, qui uti erat cum viveret, Chirurgus manu & ingenio præstantissimus, & felicissimus, ita eandem artem etiam scriptis illustraverat. Vidi ejus opus absolutum & ad editionem paratum, manibusque plurimum versavi, cum essem una. Verum ex peregrinatione redux cum interim ê vita excesisset venerabilis senex, frustra quæsivimus, furtiva manu sine dubio ablatum: Nec dubito alicubi adhuc latere: forte prodibit aliquando sub alieno nomine, & utilitati publicæ restituetur. Præter hæc plurima nunc in Germanica Lingua vulgata sunt edita his proxime elapsis annis: sed cum non magni videantur esse momenti, ea referre hic piget. Addimus potius quas supra memorare negleximus, *Petri Marchetti*, *Professoris Patavini* observationes Chirurgicas, lectu apprime dignas, & in iis finimus.

CAPUT XIII.
DE
DIÆTETICA EJUSQUE OPTIMIS SCRIPTORIBUS.

THESIS I.

* Restat ut de Diætetica agamus: illa Artis parte, quæ sanitatem exacte conservare docet. Quod ipsum, quum in recta victus ratione sive legitimo sex rerum non-naturalium usum consistat, adeoque hæc omnia & singula ad exactam sanitatis conservationem requirantur; de omnibus etiam istis hoc loco disserendum est.

II. Et quidem non solum quid sex illæ res sint, quamve naturam habeant, diætetico sciendum est; sed præterea etiam & cumprimis quidem, quomodo & in quantum ad sanitatem faciant vel eidem obsint, accurate ipsi est cognoscendum. Quod ipsum experientiam quam maxime addiscitur, quum ratione investigari vix possit. Ut enim de solo alimento ex. gr. agamus, quanta naturarum discrepantia heic deprehenditur, quum sæpe ab uno eademque cibo alii bene alii male se habeant? Quod quum Medico accurate definire non liceat, utique non simpliciter aut commodum aut incommodum ægroto aliquem cibum judicare poterit, quandoquidem sæpius contingere videmus, ut quis ab hujus vel illius cibi usu per ἰδιοσυγκρασίαν abhorreat. Quomodo alios à lacte, alios à caseo, alios à butyro, alios ab aliis cibis abhorrere cernimus. Quamobrem qui universales istiusmodi regulas ægroto temere præscribunt, non leviter sæpenumero peccant. Attendendum igitur semper est, quid usus

tum in genere tum in ſpecie doceat: eaque de re ægroti ipſi interrogandi ſunt, quid uſu didicerint corpori ſuo vel prodeſſe vel nocere. Ideoque non male Tiberius Cæſar dicere ſolitus eſt: eum qui triginta annos jam vixerit, in victus ratione ad ſanitatis conſervationem Medico non egere; qvum unusquisque quid ſibi conveniat nec ne, facile obſervare poſſit: illud negligentes merito ſocordiæ accuſans. Præter experientiam tamen nonnihil etiam per rationem colligere poſſumus, quid conducat nec ne. Ut proinde Dioclem Caryſtium, omnia in victus ratione per ſolam experientiam cognoſci poſſe, aſſerentem, jure perſtrinxerit Galenus noſter.

III. Cæterum qvum experientia duplex ſit, ut toties dictum, propria & aliena; per illam autem difficilis atque periculoſa ſit indagatio, per hanc omnia addiſci non poſſint: utique quanto labore hic ſit opus, patet. Alienæ tamen, modo qui dicunt fide ſint digni, tutiſſime fidere atque inniti hac quidem in re poſſumus. Quapropter etiam de propria experientia nihil dicemus: illos potius recenſituri, qui ſuo uſu juvare nos poſſunt. Aliena autem hæc experientia non tantum à Medicis ſcriptoribus, ſed nonnunquam à vulgo & idiotis petenda eſt; ut qui interdum præ iſtis circa hanc rem plura fuerint experti. Itaque notandum, quid hic vel ille circa hunc vel iſtum cibum obſervaverit: ſimiliter quid illi, qui vel vino generoſo Rhenano, Francico &c. uſi ſunt, vel cereviſiam Serveſtanam, Gardelebianam, Goslarienſem &c. biberunt, circa ſingula peculiariter deprehenderint. Idque eo magis faciendum, quo pauciora in hoc argumento ſcriptis ſunt prodita, plus etiam paſſim ſcriptores de rebus ſibi ignotis proloqui ſolent. Hoc ſane modo Itali de cereviſia multa verba facere ſolent, quam tamen

for-

fortaſſis nunquam guſtarunt: riſu proinde eorum nunnulli quam cenſura digniores.

IV. Scriptorum porro qui integram Diæteticam excolendam ſibi ſumpſerint, pauciſſimi admodum inveniuntur, præter iſtos qui inſtitutiones ſcripſerunt. Ex his autem eumprimis illam pertractarunt *Hofmannus* & *Sennertus*. Idem etiam non leviter egit *Liddelius*; ita tamen ut utroque ſit inferior. Unus tamen *Hieronymus Cardanus* opere *De ſanitate tuenda* à diſcipulorum ſuorum quodam evulgato univerſum hoc argumentum ſatis egregie perſeqvutus fuit, ita tamen, ut in re alimentaria potiſſimum ſit occupatus.

V. At vero per partes ea quæ Diæteticam pertinent, quamplurimi expoſuerunt. Utque de *Aëre* incipiamus, de eo *Hippocrates* egit libro *De aëre aq. & loc.* Quanquam in omnibus neutiquam ipſi ſit aſſentiendum. ✻ Quod enim omnem mutationem corporis noſtri ab aëre dependere exiſtimat, alienum eſt à veritate; utpote qvum mutationem iſtam ab alimentis potiſſimum fieri, lib. *De Habitu corp. German.* contra Hippocratem luculente oſtenderimus, interim liber ille Hippocraticus doctus & elegans eſt. In quem commentarius extat viri longe doctiſſimi *Ludovici Septalii.* Cujus *Cautionum & animadverſionum Medicarum* libellus itidem inſignis eſt, & multa quæ ad praxin faciunt, continet. Præterea ex veteri & ævo de Aëre nihil extat. Neque recentiores in hoc argumento aliquid præſtiterunt, quod laudem mereatur. Tentavit quidem aliquid hujus generis in hac Academia *Joannes Wolfius*, verum operi immortuus non perfecit. Huc tamen omnino referenda ſunt etiam illa, quæ de mutationibus temporum morbisque inde provenientibus *ſectione tertia Aphoriſmorum* ab Hippocrate obſervata leguntur.

VI. Proximum ab Aëre locum sibi vendicat *Cibus & Potus:* à quibus sanitatem corporis humani sive integram conservandam sive labefactatam recuperandam maximam partem dependere, cum alias notum est, tum etiam nos ostendimus modo laudato *De corpor. Germ. hab.* libro. Quum itaque vis alimentorum adeo magna sit tam ad sanitatem conservandam quam collapsam restituendam; utique doctrinam illam accurate Medico excolendam esse patet. Habemus autem ex veteri ævo libellum *De Alimentis Hippocrati tributum;* sed qui non est unius scriptoris, & multa continet huc non spectantia, quæ vero hunc pertinent plane non tangit. Extat in eum commentarius *Hieronymi Cardani*, qui multo rectius & doctius ipso auctore argumentum illud tractavit, adeoque meretur legi. Heic & alibi tamen nonnulla de alimentis in scriptis illis Hippocraticis reperiuntur. Liber vero *De victus ratione in morbis acutis* partim est Diæteticus, partim Therapeuticus. Qvum enim victus duplex ratio habenda sit, ut scilicet partim conservetur sanitas, quæ adhuc superest, partim vero per cibos quodammodo medicatos labefactata in integrum restituatur; utrumque autem liber iste tradat; Illud ad therapeuticen, istud ad diæteticen proprie pertinet. Habemus in eum elegantem & doctum commentariolum Galeni. Ex recentioribus etiam nonnulli itidem in eum sunt commentati: præ aliis tamen commendandæ sunt *Francisci Vallesii Animadversiones.* Præterea vero de illa in singulis febribus victus ratione non solum notas, sed etiam elegantem librum reliquit *Brudus Lusitanus Judæus*, Medicus doctus, ita ut in hoc argumento vix habeat parem. Jungi solet ille liber *Gesneri Enchiridio rei medicæ triplicis.*

VII. Reliquam quod attinet Alimentariæ doctrinæ

par-

partem; præter illa quæ apud Hippocratem ſparſim reperiri paulo ante diximus, *nonnulla etiam apud Plinium* ut & plerosque fere rei Botanicæ ſcriptores, qui ſtirpium doctrinam uſumque Medicum excoluerunt, inveniuntur. Seorſim tamen hoc argumentum doctius perſequutus eſt *Galenus* noſter, cui merito fidere poſſumus. Ejusdem liber extat *De tuenda ſanitate*, quem omnibus aliis quæ hodie ſuperſunt, præferimus. Poſt Galenum qui hoc tractarit, ferme reperitur nemo: niſi quod ex Græcis ſcriptoribus Medicis ſibi hanc operam unus & alter ſumpſerint. Ex quibus extant fragmenta apud *Oribaſium de victus ratione*: quæ tamen manca ſunt, quod ex viginti libris potior pars perierit. Inter Medicos illos vero ſequioris ævi extat *σύνταγμα de cibariorum facultate Simeonis Sethi* Antiocheni, quod magni momenti quidem non eſt, legi tamen poteſt, quoniam ex Græcia profectum fuit. Habemus etiam *Noni libellum de alimentis*, qui itidem parvi momenti.

IIX. Verum ex recentioribus nonnulli præclarius perſequuti ſunt hanc rem Alimentariam. Primus autem elegantiſſime ſcripſit *De re cibaria* libros XXII. *Joannes Bruyerinus* Campegius Gallus Medicus, vir ſummæ eruditionis. Quo eodem pene tempore omnem victus & conſervandæ ſanitatis rationem præclaro opere perſequutus eſt *Julius Alexandrinus à Neuſtain* Protophyſicus Ferdinandi I. Cæſaris, collega Cratonis, in libris triginta tribus *Salubrium ſive de ſanitate tuenda*: quo ſcripto nihil eſt præſtantius. Refertum enim tum temporis erat collegium Cæſareum Medicis doctiſſimis, Matthiolo, Cratone, Dodonæo, Godefrido Steeghio, aliisque qui quam plurimis ſcriptis æternum ſibi compararunt nomen. Non adeo pridem doctiſſimus Medicus *Ludovicus Nonnius* Belga ſcripſit *de re cibaria* doctos libros

quatuor: quibus tamen Bruyerini ſcriptum præferre non dubitaverim, quoniam elegantius atque accuratius omnia tradidit. Præ aliis tamen omnibus ſingulari & induſtria & judicio hoc argumentum quinque libris ante hos quatuor annos exſecutus eſt is, qui de re medica præclare adeo eſt meritus æternum Argentinenſis Academiæ decus *Melchior Sebizius.*

IX. Huc pertinent etiam illi ſcriptores, qui tam de vino quam cereviſia, & utriusque variis generibus & ſpeciebus aliquid in lucem ediderunt. Et *Vini* quidem virium noſtro ſeculo optimam deſcriptionem nobis dedit *Andreas Baccius* Medicus Romanus opere *De naturali vinorum hiſtoria:* cujus alia ſcripta ſupra laudavimus. Extant etiam eruditi libelli *Antonii Fumanelli de vini temperatura & facultatibus*, ut & *Hieronymi Fracaſtorii*, utriusque Veronenſis, de temperatura ſive de qualitatibus vini, num ſcilicet ſiccæ ſit vel humidæ qualitatis. Certe hi libri non tantum cum voluptate, ſed etiam cum fructu leguntur. Imprimis autem danda nobis eſt opera, ut vinum ejusque facultates in genere non tantum cognoſcamus, ſed omnium quoque ſpecierum ejusdem ſingularem habeamus notitiam.

X. *Cereviſiam* quod attinet, de ea tum apud Galenum tum Dioſcoridem aliquid invenitur. Utuntur enim voce Ægyptiaca Zythi, quæ denotat cereviſiam: quæ cereviſiæ vox partim ex Latino, partim ex Gallico ſermone deſumpta eſt. Latini enim veteres vocem non habuerunt, qua cereviſiam exprimerent, ſed appellarunt per deſcriptionem potum vel vinum ex hordeo vel frumento: quali circumſcriptione etiam uſus eſt Tacitus *l. de Mor. Germ.* Græci vocant οἶνον κρίθινον, ſive οἶνον ἀπὸ κριθῆς, vinum hordeaceum. Cæterum extant quidem libri de cereviſia, imprimis Galeni & Dioſcoridis

ridis, ſed qui de Ægyptiaca tantum, non de omnibus egerunt. Quum autem illa Ægyptiaca minus ſalubris, ex lupulo valde crudo, neque bene cocta fuerit; inde male Itali quidem collegerunt omnem cereviſiam ejusdem generis eſſe. Ægyptii enim incoctum lupulum non habuerunt: utpote cujus decoctio Hiſpanorum inventum ſit. Facit autem ad conſervationem cereviſiæ ne putreſcat: nam aliquam ætatem ferre ita poſſe obſervatum eſt. Recentiores, præſertim noſtri Germani, rectius vel Italis vel Gallis uſum cereviſiæ habent cognitum: iſti enim de illa imperitius loqui ſolent; itaque Germani noſtri nobis ſunt conſulendi. In genere de cereviſia ſatis doctum ſcripſit libellum *Joannes Placotomus* Mursladius, qui libello *Eobani Heſſi de ſanitate tuenda* conjungi ſolet, in quem etiam commentarium edidit. Egit autem Placotomus in genere de cereviſia: ſed tamen in ſpecie ſciendum, quid hæc vel illa cereviſia producere poſſit; quod nemo Medicorum præſtitit, neque unquam forte quis conatus fuit. Fecit tamen libello Germanico quidam JCtus *Joannes Knauſt ſive Cnauſtius*, cui titulum præfixit **von der Philoſophiſchen Braukunſt des Biers**; verum ut titulus ineptit, ita etiam libellus ipſe multa ridicula continet; auctor tamen ſtrenuus potator fuiſſe, multarumque cereviſiarum Germaniæ experientiam habuiſſe videtur. Habentur nonnulla etiam eaque ſatis egregia de variis cereviſiæ ſpeciebus apud *Tabernæmontanum in grandi opere de plantis.*

XI. Tertio loco recenſendus venit *Somnus* ut & *Vigiliæ.* Et quidem hæc unde prodeant vel eorundem cauſſas exponere, pertinet ad Phyſiologicam doctrinam. Quid vero ſomnus vel vigiliæ ad ſanitatem conducere poſſint, diæteticæ eſt conſiderationis. Quandoquidem vero hæc doctrina facilis eſt, neque neceſſum, ut operoſe de ea agatur, ideo-

que etiam nulli ferme extant de illo argumento singulares libelli. Qui enim hoc titulo prodierunt, sunt merè Physiologici. Huc pertinent autem veteres illi versiculi, qui Catoni tribuuntur:

Plus vigila semper, nec somno deditus esto;
Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat.

XII. Post somnum & vigilias sequitur *Motus* & *Quies*. Ubi per motum exercitium, per quietem autem otium denotatur. Cumprimis autem ad sanitatem corporis nostri conservandam multum facit justa ratio motus & quietis. Nos enim *homines ad labores nati* profecto videmur, *sicut aves ad volandum*, uti loquitur Ecclesiastes. Otio contra corpora nostra torpescunt, & morbis variis progignendis apta redduntur, si non moveantur. Itaque ante omnia danda est opera, uti sciamus quid labor unusquisque corpori nostro possit prodesse, quomodo idem afficere, in quantumque eidem nocere. Alii enim labores corpus defatigant, alii non. Cui proinde studio antiqui Medici longe maxima industria incubuerunt. Hinc enim orta est ars γυμναστική: ideo inventa, ut per varia exercitia bonum corporis habitum acquirere sanitatemque quam optime conservare quis possit. Quales artifices fuerunt celeberrimi in Græcia; quorum aliquoties apud Hippocratem fit mentio. Unde patet tum temporis ibi in usu quam maxime fuisse. Quanquam omnia eum exercitia istiusmodi athletica non probavisse ex aphor. 3. sect. 1. pateat, ubi ita scribitur: Ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραὶ, ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν. οὐ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ, οὐδὲ ἀτρεμέειν. ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀτρεμέουσιν, οὐκ ἔτι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι, λείπεται ἐπὶ τὸ χεῖρον. τουτέων οὖν εἵνεκεν τὴν εὐεξίην λύειν ξυμφέρει μὴ βραδέως, ἵνα πάλιν ἀρχὴν ἀναθρέψιος λάβῃ τὸ σῶμα. μηδὲ τὰς ξυμπτώσιας ἐς τὸ ἔσχατον ἄγειν, σφαλε-

ρὸν

ρὸν γὰρ. ἀλλ' ὁκοίη ἂν ἡ φύσις ᾗ τοῦ μέλλοντος ὑπομένειν, ἐς τοῦτο ἄγειν. ὡσαύτως δὲ καὶ αἱ κενώσιες, αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἄγουσαι, σφαλεραί. καὶ πάλιν αἱ ἀναθρέψιες, αἱ ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἐοῦσαι, σφαλεραί. Verum poſt tempora Hippocratis ars paulatim defeciſſe ſenſimque periiſſe videtur. Omnium vero hæc doctrina quam optime tradita eſt à Galeno integro libro ſexto *de tuenda ſanitate*, ita ut nobis ſatisfaciat. Poſt Galenum tamen & alii Medici Græci circa hanc materiam verſati fuiſſe videntur, uti ex fragmentis Græcorum apud Oribaſium de arte gymnaſtica apparet. Huc etiam fecit *Galeni liber De luſu pilæ parvæ*, qui ad Diæteticam ſpectat. Inter Arabes, licet artem Medicam Græcorum exceperunt & gnaviter excoluerunt, tamen pene nemo eſt, qui artem athletarum pro dignitate attigerit; nemo illorum ſane, quorum ſcripta in Latinum ſermonem verſa ſunt: ideoque videtur eo tempore illa penitus defeciſſe. Et vero concidente Imperio Romano ſeculo poſt Servatorem natum quinto, in Oriente γυμναστικὴ leviter tantum ſuperfuit: in Occidente nuſquam. Hinc mirum non eſt, Medicos poſteriores, qui vixerunt poſt annum 1200. in hoc Europæo orbe, hanc artem neque accepiſſe neque attigiſſe, quoniam omnia ſcripta ex Arabibus hauſerunt. Nihilominus tamen inter recentiores totum hoc argumentum adeo præclare perſequutus eſt *Hieronymus Mercurialis* juvenis tum adhuc, opere *de arte Gymnaſtica* conſcripto, ut vel unico illo æternam nominis gloriam ſibi comparaverit. Præſtitit autem illo ſcripto ſe doctiſſimum & Philologum & Philoſophum & Medicum: quod varie quidem evulgatum fuit, ita tamen ut poſtrema editio reliquis præferenda ſit. *Quo impulſus*, verba ſunt Caſpari Hofmanni l. v. Inſtit. c. 37. §. 1. (*hac enim voce utitur*) *Petrus Faber*, *JC. Gallus & Philologus maximus*, *Agoniſticon conſcripſit*, *opus*, *pene*

ultra humanam conditionem doctum, amplum; φιλολεγικὸν tamen, atque ad usum Medicum parum faciens; ideo Medicus quis prætulerit opus præclarissimum Mercurialis. Quanquam vero ars illa iterum excoli eo modo cœpit, hodie tamen vix quenquam reperias, qui eam profiteatur & exerceat. De arte vero illa quæ apud nos adhuc obtinet, nonnulla tum apud *Langium lib. 1. Epist. 51.* tum *Cornarium præfat. ad Aetium* disseruntur.

XIII. Sequuntur *Excreta & Retenta.* De qua doctrina à paucis aliquid seorsim traditum est, excepto *Hieronymo Mercuriali,* qui in *libris de Excrementis humani corporis* id præstitit. De Sudore, peculiari *sectione IV. in Problematibus Aristotelis* quoque agitur, cui jungendus *Commentarius Ludovici Septalii.* Eadem vero quæ in Problematibus istis leguntur, etiam in fragmento de Sudoribus Theophrasti Eresii habentur. Manifesto indicio, ex Theophrasti scriptis in problematum illud opus plurima esse translata.

XIV. Denique inter sex res non naturales supersunt *Pathemata mentis* seu *Affectus animi:* quos maximam vim habere atque ad conservationem valetudinis plurimum facere, omnibus est notissimum. Quod argumentum nemo hactenus singulari persequutus est libro, quatenus scilicet facit ad usum diæteticum. De affectibus quidem varii sunt libri, sed vel sunt Ethici, vel Physici, vel Physiologici: interim *quenquam nescimus,* qui hoc de argumento scripserit, quod ad usum istum diæteticum aliquid faciat. Hæc itaque doctrina usu addiscenda, atque memoriæ mandanda est. Extant quidem *Nicandri Jossii Venefrani opuscula de voluptate & dolore: de risu & fletu: de somno & vigiliis: de fame & siti.* Item *Celsi Mancinii Ravennatis de somniis*

ac

ac syneſi per ſomnia: de riſu ac ridiculis: de ſynaugia Platonica. Et *Antonii Laurentii Politiani de riſu ejusque cauſſis & effectis* libri duo: ut & *de viribus imaginationis tractatus Thomæ Fieni* Antwerpienſis: Item *diſſertatio de natura amoris:* additis reſolutionibus *de cura furoris amatorii, de philtris,* atque *de pulſu amantium Gregorii Horſtii.* At hi libri potius ad Phyſiologicam, quam ad Diæteticam diſciplinam ſpectant. Itaque hac in parte ſcriptorem, qui in hoc argumento ſingulatim laboravit, nullum vidimus.

XV. In univerſum porro notum eſt in recenſitis ſex rerum nonnaturalium juſtis obſervationibus ſanitatem conſiſtere. Præterea obſervandum, ſanitatem conſiſtere in vitæ prorogatione. Hinc quicunque de tuenda ſanitate ſcripſerunt, rationem prorogandæ vitæ non omiſerunt; quamvis alii hanc rem excolendam prolixius atque accuratius ſibi ſumpſerint, alii brevius hac de re egerint. Ad artem ſane diæteticam omnino pertinent libri de vita proroganda. Vita autem prorogari non poteſt niſi bona victus ratione & rebus illis ſex nonnaturalibus recte ſe habentibus. Et vero vitam prorogari atque corripi poſſe, dubitandum non videtur. Eſt autem de quæſtione iſthac, an videlicet ſit certus terminus vitæ atque fatalis finis homini præſtitutus, præclare cum ab aliis diſputatum, tum præcipue illuſtrat hanc controverſiam *Epiſtolica quæſtio de vitæ termino fatali an mobili*, publici juris facta curante *Johanne Beverovicio* Dordraceno Senatore ac Medico cum doctorum reſponſis. Quamvis enim omni ex parte liber ille Medicus non ſit, ſed multa Theologica ac Philoſophica contineat, tamen legi meretur ob argumenti dignitatem. Nos quæ eo de argumento diſſeruimus,

mus, comprehensa sunt *Disputatione de Vita & Morte* ex nostris prælectionibus conscripta.

XVI. Quanquam vero produci posse dixerimus vitam, non tamen assentimur illis, qui perpetuari aut ad aliquot centum annos hodieque vi artis extendi posse affirmant. Etsi enim haud lateat nos, ἀθανασίας & ἀγηρασίας artificium olim Ægyptios professos, & ab iis ad Chemicos pervenisse eandem jactantiam; ut & hodieque in Asia nonnullos isthac spe detineri: prout multis in locis libro de Hermetica Medicina ostensum fuit: attamen quum usus ipse vanitatis & olim & hodieque homines satis convicerit convincatque, nec hujus instituti sit, hoc disputare, tantum satis est indicasse, nos tale quidquam minime ab Arte medica exspectare aut polliceri.

XVII. De Argumento vero illo de vita proroganda per victus rationem, merentur legi ii, quos cuilibet non possum non commendare. *Constantii Landi*, *ut & Leonhardi Lessii Jesuitæ Hygiasticon*, *seu vera ratio valetudinis bonæ & vitæ, una cum sensuum, judicii & memoriæ integritate usque ad extremam senectutem conservandæ*: cui subjungitur tractatus *Ludovici Cornari*, Patricii Veneti, exiguus quidem, elegans tamen & lectu dignus ejusdem argumenti; quo conatur ostendere, vita sobria varios morbos corrigi posse atque vitam prolongari, proprio exemplo adducto. Operosius hanc rem persequutus est superiori seculo in Italis *Baptista Codronchius*, Medicus ac Philosophus Imolensis, præclaris *libris duobus de Christiana & tuta medendi ratione.* Ut & quondam *Bernhardus de Gordonio*, excellentissimus Medicus Gallus, tractatu *de conservatione vitæ humanæ, à die nativitatis usque ad ultimam horam* mor-

mortis. Similiter *Martinus Pansa* Medicus Germanus, & *Hieronymus Montuus* doctissimus Medicus Gallus, ut & *Claudius Deodatus* Gebweysensis in eodem argumento laboraverunt. Neque contemnendi sunt libelli *Roderici à Fonseca & Thomæ Philologi* Ravennatis. Qui libri omnes ad hoc argumentum cumprimis plurimum faciunt.

XIIX. Cæterum hisce omnibus ita ordine hactenus expositis, nihil amplius est, quod nos remoretur. Unum tantum adhuc addemus. Quicunque in addiscenda Arte fructum aliquem percipere vult, necessum est, ut artem Medicam non tantum ex libris addiscat, sed & operibus Medicis paulatim assuescat, & usu sibi comparet ea, quæ sunt vere Medica: cum omnia ex libris hauriri neqveant. Cum autem opera Medica sint varia, alia sc. pertinentia ad Pharmaceuticam & Therapeuticam &c. ideo necessum est, ut quis visitationibus ægrotantium quatenus licet intersit, Pharmacopœos atque Chirurgos adeat, attendat ejusmodi opera spectet eorum consilia, videatque quid vel in præparationibus vel in Chirurgicis operationibus occurrat. Ita sane brevi temporis spatio eximium progressum quis facere potest. Sicuti enim una sectio Anatomica magis instruere potest, quam diligens quamvis lectio scriptorum Anatomicorum: sic usu & exercitiis ac opere ipso, omnis ars quam citissime & felicissime addiscitur. Quod consilium cum & Fernelius auditoribus suis dederit, uti videre est in ipsius vita, quam Gvilhelmus Plantius operibus ejus præmisit, eo majorem fidem commeretur.

ADDITAMENTA.

I. ✻ *Illa artis parte quæ sanitatem exacte conservare docet.* Videbatur hic auctor alio longe fine quam facit nunc, de diæta esse acturus. Nempe diximus supra, triplicem esse auxiliorum fontem, φαρμακευτικὴν, χειρουργικὴν, καὶ διαιτητικὴν: ex quibus æque medicus petere possit ideonea ad sanandos morbos remedia: quod ita esse, omnes medicinæ doctores consentientes habemus. Nimirum hoc etiam pacto, id est per solam diætam solebant Hippocratis tempore permultis morbis medicari, cum nondum ad tantam exactitudinem res Pharmaceutica pervenisset. Sic ipse quoque Hippocrates in acutis morbis videtur rarissime pharmaca adhibuisse in auxilium; ne scilicet crisin interturbaret: prout *ex libro Aphorismorum primo*, in quo totus ac unice in eo est, ut iis medendi methodum exponat, & libro *de victus ratione in morbis acutis* recte rem reputantibus est cernere. Sed in chronicis quoque idem tum obtinuisse, ex aliis Hippocraticis libris perspicuum est: nec aliorsum accipiendum Celsi illud dictum: *Multi magni morbi curantur abstinentia & quiete:* Quo simul usque ad hujus ævum id usitatum fuisse discitur. Pertinet ergo hac ratione considerata diæta ad therapeuticam, in cujus ratione exponenda hactenus auctor versatus est, in eaque perrecturus videbatur. Longe vero aliter se res habet cum diæta de qua hic loquitur; quam postmodum etiam sanis præscribere medici sunt ausi, recteque valentibus. Eo enim respectu non ad hanc, sed illam quam appellant ὑγιεινὴν, partem referenda venit. Et vero, quæ ea de re nostra sit sententia, jam diximus ad caput primum, ubi ostendimus, quicquid etiam sentiant atque repugnent alii, aut usque in hoc tempus sit creditum, ad artem medicam istam nihil prorsus attinere. Quam opinionem quamobrem nunc debeamus mutare, nullam causam videmus: Etsi agnoscendum sit, eam esse recentem, alteram

ram vero perantiquam. Quamvis & hæc bifariam queat intelligi. Primum enim non prospera utentibus omnino valetudine sed jam proclivibus in morbum ordinarunt cibos, quo præcaverent illos: & peccantes humores reducerent ad pristinam bonitatem; id quod non omnino male faciebant: Sed postea etiam pulchre valentibus leges ferre non erubuerunt. Illud Hippocratis tempore cepit. Quin imo ipsum Hippocratem auctorem habet, prout ex ejus scriptis satis superque potest probari. Nam *libro de Rat. victus in morb. ac.* haut longe ab initio sic ait: Ἀτὰρ οὐδὲ περὶ διαίτης οἱ ἀρχαῖοι συνέγραψαν οὐδὲν ἄξιον λόγου, καί τοι μέγα τοῦτο παρῆκαν. Hoc est, interprete Foësio, *Sed neque de victus ratione quicquam effatu dignum veteris scriptis tradiderunt, eamque, quamvis magna res sit, præter miserunt,* & περὶ διαίτης *primo*: Νῦν δὲ πολλοὶ μὲν ἤδη συνέγραψαν· οὐδεὶς δὲ ἔγνω ὀρθῶς καθότι ἂν αὐτοῖς ξυνέγραψεν. *At vero cum multi ea de re scripserint, nullus tamen quid scribendum fuerit, recte mihi novisse videtur,* & paulo post: Ἐμοὶ δὲ ταῦτα ἐξεύρεται, πρὸ τοῦ κάμνειν τὸν ἄνθρωπον ἀπὸ τῆς ὑπερβολῆς, ἐφ᾽ ὁκότερον ἂν γίνεται, προδιάγνωσις· οὐ γὰρ εὐθέως αἱ νοῦσοι τοῖσι ἀνθρώποισι προσγίνονται, ἀλλὰ κατὰ μικρὸν συλλεγόμεναι, ἀθρόως ἐκφαίνονται, πρὶν οὖν κρατέεσθαι ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τὸ ὑγιὲς ὑπὸ τοῦ νοσηροῦ, ἃ πάσχουσιν, ἐξεύρεταί μοι, καὶ ὅκως χρὴ ταῦτα καθιστάναι εἰς τὴν ὑγείην. *A me autem inventa est morbi prænotio, antequam quis ab excessu lædatur, utram in partem fiat. Neque enim morbi derepente hominibus fiunt, sed paulatim collecti subitò se produnt. Prius ergo quam quod sanum est, à morbo superetur, à quibus homines afficiantur, & quomodo sanitati restitui debeant à me inventa sunt.* Eundem prorsus in sensum scribit Libro III. haut longe ab initio: sed ista adducere, cum prorsus cum his coincidant, supersedeo. Tandem in hoc sibi plaudit, & se magnifice effert. τόδε τε τὸ ἐξεύρημα, inquiens, καλὸν μὲν ἐμοὶ τῷ εὑρόντι, ὠφέλιμον δὲ τοῖσι μαθοῦσιν, οὐδεὶς δέ κω τῶν πρότερον οὐδὲ ἐπεχείρησε ξυνθεῖναι, ὃ πρὸς ἅπαντα τὰ ἄλλα πολλοῦ κρίνω εἶναι ἄξιον. Hoc est. *Atque ista* Ibidem

 inventio

inventio mihi quidem inventori pulchra, utilis vero iis est, qui discunt, à nullo adhuc antea tentata, & quam ad alia omnia plurimi æstimo. Alia vero adhuc est ratio diætæ ægrotantium: ut in universum triplex genus diætæ statui queat, quorum tamen nullum ad θεραπευτικὴν pertineat: 1. sanorum, 2. jam declinantium ad morbum. 3. ægrotantium. Quorum primam legibus tradere ineptum & inutile judicamus: secunda recte uti, pulchrum omnino est, & gloriosum, sed ob idiosyncrasias admodum difficile, nisi quis per plurimos annos familiariter ægroto usus sit. Multo facilius igitur per medicamenta, quæ habemus omnis generis varia, idem obtinetur. Tertia vero unice necessaria est: non tamen probamus eorum obscuram diligentiam, qui omnia ad pondus præscribunt etiam ægrotantibus, quibus sæpe natura ipsa rectius diætam quam medicus temperat. Quare sane etiam nescio utrum tot ac tantis illa res voluminibus egeat. Displicet interim magnopere, quod hæc ipsa auctores non distinguant, longe enim aliter si hoc, aliter si illud genus quis sectetur, differendum esse arbitror. Interim ipse auctor, quorum nemo facilius alias sibi ab erroribus ejusmodi cavet, non potuit istum evitare: Nam cum hic dicat: De illa artis parte se acturum *quæ sanitatem exacte conservare docet*, mox § 11. ad ægrotorum diætam se convertit.

V. ✠ *Utpote quum mutationem istam ab alimentis potius fieri.* Utique hoc ita est: quare consulendus hic citatus liber. Non autem in hoc tantum erravit Hippocrates quod constitutionem corporum ex regionum conditionibus variare putavit, sed in illo etiam, quod morbos tam multos ab aëre & ventis produci arbitratus est, ut etiam eos futuros prædicere sit ausus. Duplex enim morborum est genus, sporadicorum & communium. Illi plerumque ab alimentis sunt, aliisq; in diæta erroribus: hi vero ex aëre originem trahunt; epidemii præsertim: nam endemii aliquando ex cibis quoque proveniunt, aliquando ex aquis etiam aut reliquo potus genere. Verum ipsi tamen illi epidemii non, uti persuasus fuit Hippocrates, ex manife-

nifestis aeris qualitatibus generantur sed occultis plerumque & nobis prorsus ignotis: nam ob aëris subtilitatem, & quia natantes in eo particulæ tam exiguæ sunt, ut omnem sensum fugiant, eorum naturam & generationem prænoscere aut indagare per ratiocinationem non licet. An vero per experientiam id fieri possit, nondum quidem certo constat, valde tamen vereor ut succedat negotium: Et laboravit quidem in eo sedulo nuper diligens & subtilis præ multis Sydenhamius: sed dubitare non sine ratione mihi videor (ut supra quoque jam monui) an eventus responsurus sit expectationi quam ille excitavit: fore ut eædem dispositiones aëris post annos aliquot recurrant, redeantque in circulum; quem in finem observationes suas de morbis epidemiis edidit. Non enim video qui in tanta tempestatum incertitudine id possit contingere, nisi agnoscamus hic præsidem directorem, qui ordine aliquo peragat singula. Quoniam autem post astra a sapientioribus repudiata id asserere absurdum fuerit, de his dicendum videtur illud comici:

Incerta hæc si tu postules,
ratione certa facere, nihilo plus agas
quam si des operam ut cum ratione insanias.

Argumento etiam in his est quod egregia illa Gerkii nostri, Boylii, aliorumque ingeniosissimis machinis facta experimenta tam parum nos juvent, ut eos horum nihil attigisse quicquam, ne quidem extremo digito appareat. De aëre Hafniensi scripsit Thomas Bartholinus. Uti multa etiam alia singularia in aliis scriptoribus sparsim extant, seorsim colligenda & notanda.

VI. ✠ *Libellum de alimentis Hippocrati tributum.* Non esse unius auctoris, ob tam varia, non bene cohærentia videtur judicare doctissimus Conringius. Verum ego nescio an non illius scriptoris mos ita tulerit, ut omnia misceret: Reperio enim idem prorsus scribendi genus in libro de Humoribus: ut extra omne apud me sit dubium, eundem auctorem hos ambos

bos concinnasse. Minime autem Hippocratis sapientiæ conveniens videtur hic mos, sed potius alicujus obscuri hominis & elati animi, qui sententias & oracula dicendo, tanquam ex nube proloquens aliquis Deus, sapientiæ famam affectavit, ac venerationem.

✻ ✻ *Hic & alibi tamen nonnulla de alimentis in scriptis Hippocr. reperiuntur.* De scriptis illis Hippocraticis reliquis sic habe: De Diæta in genere fere agit in libro *De salubri victus ratione*, Item in fine *libri De victus ratione*, postquam exposuerat prolixe ortum hominis ex aqua & igne, quæ prænovisse oportere eum existimabat qui ad partem diæteticam accederet. Docet etiam hic quomodo per victum prudentiores fieri homines possint, & pro temperamenti ratione atqui ætatis Diætam moderatur. *Secundo* vero *de Ratione victus* speciatim omnia persequitur quæ in cibum veniunt. Frumenta puta, Legumina, olera, fructus, Animalium carnes, & ex iis nata, aut facta: pisces & si quæ sunt alia. Vina deinde acetum, sapam, item de his quoque: Unctione, calore, sudore, Veneris usu, vomitu, somno labore, motu &c. differit. *In tertio* denique & reliqua addit: hyemalem diætam, æstivam. De potus porro omni genere agit *Lib. de Ratione victus in acutis*, ubi egregie etiam de balneis & ad nostra tempora accommodate loquitur. Quo in libro quoque de cibis nonnulla invenire est: ita ut hanc doctrinam quasi absolvisse suo tempore videatur.

VII. ✻ *Parvi momenti.* His accensendum quod extat MS. in Bibliotheca Cæsarea: Judæi R. *Mosche Ben Majemon* Cordubensis opusculum *de regimine sanitatis*, sed Hebraice. *De ordine in cibis servando* scripsit libellum *Marsilius Cagnatus*: Romæ est editus 1587.

VIII. *Melchior Sebizius.* His accedit nunc doctissimi viri & non vulgaris ingenii *Henrici Vogleri*, hujus Academiæ Pro-

Professoris celeberrimi, & auctoris nostri collegæ, *in L. V. Liddelii artis medicæ commentarius*, ubi etiam de reliquis quinque rebus non naturalibus dictis in fine nonnulla monentur. Denique non est silentio prætereundum nuperum scriptum, natum in Anglia proxima foetura: *Henrici Mundii* scilicet, *Medici Oxoniensis* Βιοχρηστολογία (forte Βιοχρηστολογίαν grande vocabulum notat) seu *Commentarius* (titulus habet Commentarii) *de Aere vitali, esculentis & potulentis.* Qui liber sic satis est elegans, dicam etiam utilis: saltem quamdiu in rerum historia & narratione nuda se continet. Sed ubi naturam eorum, præsertim aëris examinat, (nam de reliquis non æque sollicitus adeo est) non semper ipsi assentiendum est: solet enim fere recentibus quibusdam inanibus fabulis indulgere, cumprimis vero nuper excocto invito Apolline dogmati indulget de Nitro in Aere natante, quo nihil inter tot vanas jactationes seculum hoc vidit absurdius, etsi nunc ubique magno cum applausu illud sit receptum; Ut dici de eo fere queat, quantum illustris Boyle, Angliæ suæ decus, ingeniosissimis suis inventis lucis attulit naturali de Aere doctrinæ, tantum his ipsis vanissimis suis commentis nonnullos popularium ipsius damni intulisse, dum universam fere naturam hoc nitroso suo spiritu conspurcarunt. Quid enim est quod hodie spiritu illo Aereo secundum ipsos non vivit, nascitur, vegetatur? sed de hoc alias, ubi Deus otium concesserit, late disputabimus.

IX. *Omnium ejusdem specierum singularem habeamus notitiam.* Id profecto tanto magis est necessarium, quod maxima sit eorum differentia. Sic nostra vina Germaniæ omnia recentia cruda sunt & ætatem non tantum ferunt, verum ea etiam mitescunt; admodum vetusta tamen ignea fiunt & gravant caput: Vina Gallica contra omnia recentia sunt optima, altero enim vel tertio anno fere solent ardentissima fieri. Idem & Italica patiuntur, nec seros durant in annos, sint licet initio longe mitiora & elegantiora reliquis omnibus. Magna tamen horum

horum omnium differentia est. Qui igitur Italica nosse cupit adeat Galenum qui XII. M. Med. cap. 4. omnia unà Romæ tum usitata diligenter examinat.

XIII. * *De Sudore* --- Adde *Julii Cæsaris Baricelli De Hydronosa natura libros IV.* ex parte, quos supra etiam laudavimus.

XIV. *Quenquam nescimus qui hoc de argumento* -- Neque nos quenquam habemus quem addamus. Nam, quæ Cartesius & Willisius nuper disseruere, Physiologica sunt. Rationem saltim hujus tam constantis silentii, quæ quidem nobis videtur, liceat adjungere. Est autem, quod modus quo afficimur, sit plane incognitus, & difficillimæ indagationis. Nam per sic dictos spiritus animales id fieri, nemo hodie est qui dubitet: quorum natura, cum valde abscondita adhuc sit, quicquid etiam conjecturarum attulerit in medium recentior ætas, neque a principio illi possit indagari, neque a tergo satis cognosci, de eorum modo operandi nihil certi afferri potest. Itaque diutius forte etiam conqueri cogemur de penuria scriptorum hujus argumenti. Certe quo pacto in medium solidi quid afferri possit, præter ea, quæ nos docet experientia, nondum perspicere possum.

INDEX AUCTORUM,

QVORVM IN INTRODVCTIONE CONRINGIANA FIT MENTIO.

Litera J. ipsam Introductionem, A. Accessiones evolvendas esse innuit; sequens deinde prior numerus Romanus caput denotat, alter thesin capitis, tertius Additamenti signum.

Athe-

Joh.

Herman-

Michael

Herman-

Deside-

Domini-

Anto-

Johan-

Petrus

Joan-

Alexan-

Christo-

F I N I S.

INTRODVCTIONIS
IN
ARTEM MEDICAM
Pars Poſterior.

Complectens

Doctiſſimorum in arte Virorum

De ea recte perdiſcenda

CONSILIA.

GUNTHERUS CHRISTOPHORUS SCHELHAMMERUS D.

LECTORI S.

Um altera hæc Conringianæ introductionis editio nobis esset adornanda, obtulerunt sese oculis nonnulla consimilis argumenti scripta præstantissimorum juventutem ad artis notitiam adspirantem instruere, vel de auctoribus ipsis judicium ferre animum induxerunt. Non diu deliberandum duxi, an his essent adjicienda: Suadebat id insignis quæ hinc capi potest utilitas, non minus quam eorum exemplum quos inter præcipua instauratæ omnis bonæ eruditionis instrumenta seculum connumeravit. Gesneros enim, Camerarios, Clusios, Meibomios, ipsumque nostrum hic auctores habeo. Accedebat, quod non vulgata hæc & obvia, sed repertu justo essent rariora: Ultimum etiam, Johannis Rhodii, nondum editum, & paucissimis etiam visum: nos enim ex Bibliotheca insignis Philologi & Polyhistoris Johannis Andreæ Bosii, Jenensis academiæ quondam luminis nacti

ſumus, qui tanti illud faciebat, ut ſingularem mihi gratiam ſeſe facere conceſſa deſcribendi libertate prædicaret: Et ſane etiam eximium eſſe judico, vel ob auctorum notitiam, quam cum judicio inſinuat.

Cum autem paulo vetuſtiora hæc eſſe viderentur, multumque intercedat inter Avorum & Noſtram medicinam, utpote quæ infinitis obſervationibus auctior, aliam in nonnullis diſcendi & auctores legendi rationem poſceret, non tamen propterea optima monita cum reliquis æque premenda putavimus, cum medicina afferre his poſſet: præter ea igitur quæ jamtum nobis prioribus illis Conringianis fuerunt inſerta, ex quibus quid hic temporum curſus aut fortunæ ludibrium mutaverit, magnam partem cognoſci poteſt; ad calcem quoque, ſi qua erant ejusmodi, ut turbare legentium animos poſſe viderentur, eodem quo hactenus uſi ſumus candore, de eo artis cultores admonere non ſumus gravati, quo plenaria ad diſcendi cupidos utilitas perveniret, nullaque in re eorum commodis, quantum in nobis erat, defuiſſe videremur. Quod ſi hæc operoſa quibusdam, & ad ſeculi genium minus accommodata videantur, ſciant me ex iis eſſe, qui cum diligentiſſimo mortalium Plinio utilitatem juvandi prætulerunt gratiæ placendi, neque ægre ferant me, dum ipſi breviſſimam commonſtrant ad praxin properantibus viam, aliam oſtendere, qua ad ſolidam medicinæ ſcientiam perveniatur.



CASP.

CASP. BARTHOLINI
S.S. Theol. Medic. & Philos.
Doctoris
DE
STVDIO MEDICO
Inchoando,
Continuando, &
Absolvendo,
Pro accurato & supra vulgus futuro Medico
CONSILIVM.
Breve atque extemporaneum.

Hafniæ olim excudebat, anno nimirum 1628. Georgius Hantzch.

Optime ingenuato, & paternarum virtutum æmulo Juveni

PETRO CHARISIO,

Jonæ filio, Medic. & Philoſoph. Studioſo, amico & affini ſuo:

Nec non filiolis ſuis

BARTHOLO, THOMÆ, CASPARO, ALBERTO, JACOBO & ERASMO

DD.

CASPAR BARTHOLINUS.

QVandoquidem, mi Chariſi, variis documentis edoceor, animum te ad artem Medicam, exemplo avi tui materni, Medici & Spagirici olim incomparabilis, & nusquam non celebris, Doct. Petri Severini, p. m. appulſurum; mearum partium eſſe cogitavi, non affinitatis tantùm, ſed etiam & vel inprimis ultimæ patris tui (heu quanti viri amiſſi!) in mortis agone voluntatis cauſâ, hanc curæ tui partem in me

me suscipere, ut te de studio hoc Asclepiadeo aggrediendo, & cum Deo, nisi propositum mutaveris, perficiendo nonnihil instituerem, idque eâ fidelitate atque ingenuitate, quâ proprios filios in id monitos, atque institutos discupio, si qui fortè illorum adolescente ætate huic se studio sint sacraturi: quo nomine eos tecum inscriptione jungere libuit. Quanquàm enim jam anni abierunt, cum omnibus occupationibus Medicis, quà publicè, quà privatim, quà theoriam, quà praxin, sepositis, sapientiæ cœlestis doctrinam juventuti, publicè ac ordinariè, Deo sic vocante, & Magno Rege meo, reliquoque Magistratu jubente, instillare inciperem: quia tamen artem medicam pro virili, annos non paucos primum in exteris, apud Germanos, Bohemos, Italos, Siculos, Gallos, Belgas, & Britannos, deinde in patria Danorum Academia Regia, docendo & operando, etiam apud Regios & Principes viros, Comites, Barones, & innumeram nobilium aliorumque ignobiliorum multitudinem excolui atque exercui; huic negotio alias edocendo non penitus impar aut insufficiens censebor. Non autem ad pompam, sed ad usum hoc meum erit consilium; ideoque breviter & ex tempore, aliis, iisque sacris laboribus occupatus, animi mei sententiam vobis, mi Affinis, vosque filioli mei, aperiam, rebus magis, earumque momentis, quam locutionis ampullis velificaturus.

Primum ergo & ante omnia *pietatem* vobis commendo, vitæ integritatem, preces quotidianas, amorem verbi Dei, ejusque auditum:

Ni Deus affuerit, viresque infuderit herbis,
Quid rogo Dictamnus quid panacea juvat?

Frustra omnis labor suscipitur, omnis peregrinatio, omnis molestia, cura, studium, vigiliæ, sine pietate. Animalis homo hanc monitionem vel negliget, vel floccipendet, vel fortè ex

insania quadam irridebit: at spiritualis, qui omnia dijudicat, & mentem Dei tenet *1. Cor. 2.* animo perpendit, pietatem magnum lucrum esse, ad omnia esse utilem, habereque cum præsentis tum futuræ vitæ promissionem; *1. Tim. 4. & 6.* animo secum meditatur, diligentibus Deum omnia cooperari in bonum, *Rom. 8.* Econtra omnem creaturam ingemiscere, refractariam homini, quando hujus vanitati subjecta esse cogitur, ideoque liberari exoptat, neque homini servire. Quod si ita est, uti revera ita esse spiritus Dei inculcavit, quâ felicitate invitis canibus quis venabitur? quâ felicitate impius studium aliquod vel meditando tractabit, vel operando exercebit? Videntur sibi quidam sine pietatis studio Medicinam, more Ethnicorum & Judeorum fortè velle & posse facere. Cæterum aut ad tempus duntaxat durat felicitas, vitiorum amore omnia in mente & manu coinquinante: aut evigilans conscientia, melancholiam incurabilem progenerans, perturbat omnia: aut eadem mentem hujus morbi liberam, inquietam anxiamque in dubiis percurandis, aut malè percuratis reddit casibus. Quæ omnia & singula preces atque ex verbo Dei solamina potentissimè depellunt. Quamobrem in lucro ponet quivis artis hujus studiosus, singulis maturinis, præmissis precibus, caput unum atque alterum ex sacrosanctis Bibliis, non perfunctoriè, sed attentè & meditatè, perlegere; atque ita ut singulis annis universa Biblia percurrendo absolverit. Nescis n. quisquis es, quia flos es evanidus, dicto citiùs deflorescens, quid serus vesper vehat, & nemo crastinum sibi polliceri poterit: ac si vel maximè Nestoris tibi polliceberis annos, quis tamen non illâ cumprimis imbui gestiet doctrinâ, quæ in altera vita usum est habitura, omnibus aliis disciplinis atq; scientiis rerum secularium sempiternâ oblivione sepeliendis?

In

In adyta Medicorum, illotis, quod dicitur manibus minimè irrumpendum, ſed præmittenda.

Linguarum Latinæ & Græcæ, quibus præcipua hujus artis decreta ſunt conſignata, accurata & minimè ſuperficiaria cognitio. Quid n. ex aliis percipies, aut aliis docendo tandem explicabis, latinè non ſatis doctus? quid ex Hippocrate vel Galeno benè vel malè dictum æſtimabis, Græcanici ignarus idiomatis? Poëſis ſive Græcorum, ſive Latinorum futuro Medico parum vel nihil utilis: iis tamen quibus vena ac indoles, ornamentum. Sic neque Arabicæ Linguæ magna utilitas: nam etſi Arabes Medici à peritis hujus linguæ exactius intelligantur; tamen cum illi à Græcis ſua meliora extraxerint, & ne quidem meliora ſemper * aſſecuti ſint: præſtabit ex ipſo fonte aquas bibere: quam ex luculentis inde derivatis lacunis. Satis multa ſunt neceſſaria planè, in quibus ætatem inſumere dabitur: Non enim fruſtra dixit 1. Aphor. Coryphæus hujus artis: *vita brevis, ars longa &c.* Uno ſaltu qui plures lepores aſſequi volet, ingenii acumine, atque amplitudine, Latinam linguam ex Cornelio Celſo, Fernelio, & Joanne Heurnio; Græcam ex Hippocrate & Galeno venabitur: ita rebus pariter Medicis & ſtyli nitori adſuefiet.

Philoſophiæ organa *Rhetorica & Logica* non poſthabenda: hæc inprimis divinationi inſerviens, ubi cauſæ morborum indagandæ, ſigna venanda & colligenda: ubi non fauſtè ſatis ſine rationis adminiculo artificiali datur progredi. Inferior in uſu eſt Rhetorica; non enim verbis ſed herbis æger curatur. Præcipui harum artium Doctores in meâ Rhetorica & Logica ſunt annotati.

Philoſophiam practicam, quia exigui uſus in hoc ſtu-

dii genere, perfunctoriè percurrisse sufficiet, atque ob usum in vita communi non neglexisse penitus. Accuratior tractatio Jurisconsulto necessaria est, non Medico.

Methaphysica etiam nullum penè usum Medico præstat. Ingenii bonitate qui pollent atque acumine, & otio abundant; imprimis si Philosophi Professores in Academiis futuri, ejus dogmata ex præcipuis authoribus haurient, quorum nomina Enchiridion nostrum Metaphysicum post præloquium recitavit.

Physica verò & *Mathesis* tam sunt in rem Medici, quam Ethica JCti. Ubi n. desinit Physicus, ibi incipit Medicus.

Arithmeticâ ad criticas supputationes, ad medicamentorum compositorum examen & resolutionem atque ad alia utendum: suffecerit vobis Longomontani, præsertim auctior illa & correctior, quæ brevi prodibit; Interim Clavii vel Urstisii.

Geometricum compendium Dybradii junioris, Dani, si publicè prostaret, esset perquam accommodatum. Hujus defectu compendiosus est Rhodius, Clavius paulò prolixior, sed lectione dignus. Alii enim plerumque prolixiores sunt, ideoque futuro Medico, cui universa natura est contemplanda tædiosiores.

Opticam ex Alhazeno, Vitellone & Keplero addiscetis.

Astronomiam ex scriptis Tychonis Brahe, conterranei nostri; additis Astronomicis Kepleri. Unus v. pro omnibus sufficiet Longomontanus, Astronomus post Tychonem nulli secundus, affinis noster: Cujus Astronomia Danica evolvenda, doctrinam Triangulorum, Sphæricam,

ricam, Theoricamque errantium mira dexteritate enucleans.

✠ *Astrologiæ* usum in facienda Medicina, quam Jatromathematicam vocitarunt, licet plurimi scripto comprehenderint, ut Marsilius Ficinus, Ganivettus, Guido Villariensis, Aug. Niphus, Chrysogonus Jadertinus, Gauricus, Steflerus, Carellus, Schollius, Transtetterus, Schylander, Boderius, Angelus Blondus, Ferrerius Peucerus, Galucius, Hasfurtus, Maginus & complures alii: duos tamen postremos cumprimis vobis habere commendatos.

In Physica compendiosiori familiam ducunt Magirus & Sennertus. Quid verò nos in eadem præstiterimus, judicium penes lectorem esto. Neque n. eorum mores imitari animus est, qui consilia pro studiis instituendis daturi, sua præ aliis scripta fastuosè extollunt, atque etiam quæ in rerum natura non reperiuntur, suo nomine adsuto commendant: nihil nisi quod ex suo tanquam Jovis cerebro (unde meras scilicet projiciunt Pallades) profectum, rectum putantes, ac si omnes alii

Sint viles pulli, nati infelicibus ovis.

Nemini quicquam detractum volo: sed aliis detrahentes ex superbiæ spiritu, qui ipsissimus est Satanas, aversor. Neque n. uni mortali omnem scientiam, prodigio â quadam prodigalitate infudit natura, aliis omnibus novercata, sed variè sua dona hominibus distribuit Spiritus, aliis quidem sic, aliis autem alio modo. Unum sicco pede præterire non possum: Enchiridion Physicum Argentinæ editum sub meo nomine, me inscio atque invito; & quod iniquissimum, libros 2. posteriores adjectos â quo ne-

ſcio, meo præfixo nomine; qui tamen mei non ſunt, aut fuerunt unquam. Itane mei calumniandi anſam dederunt? cum in aliis meis ſcriptis reperiantur plurima, quæ è diametro cum duobus iſtis libris diſſident. Inſpexi primum Witebergæ in tranſitu ex Bohemia redux Anno 1624. in Octobri, adſtantibus quibusdam meis popularibus: quibus ſtatim de hac mihi illata injuria conqueſtus ſum, & paulo poſt amico meo veteri Dn. D. Ambroſio Rhodio, aliisque Profeſſoribus Domum reverſus duos libros ſuppoſititios diligentius percurri & deprehendi, penultimum eſſe totum ex Magiro deſumptum, ultimum v. ex Scheibleri Tract. de Anima in compendium redacto. Quo animo hæc mihi illata injuria, Deus novit. Forte ne deeſſet dicam plagii mihi ſcribendi occaſio, quam quidam ante annos paucos in Conſilio de ſtudio Medico ſtudioſe quæſiviſſe viſus eſt, meque ejus reum fecit in Anatomicis contra propriæ conſcientiæ teſtimonium & fidem oculorum cujusvis hominis literati, qui conferre meas inſtitutiones Anatomicas cum aliorum poteſt. Scripſit me omnia in Anatomicis ex Aquapendente & Bauhino bonâ fide deſcripſiſſe. At quâ fide hæc de me ſcripta ſint, in admonitione editioni Anatomiæ meæ Roſtochienſi ſubnexâ oſtendi. Hoc tamen tum à me omiſſum: ipſum Bauhinum, virum optimum mihique amiciſſimum ultimam theatri ſui Anatomici editionem, nonnullis ex mea Anatomia, adſcripto etiam nonnunquam meo nomine, exauxiſſe. Exiſtimavit fortè laureatus ille, Danos Bæotos eſſe, aut

Vervecum in patriâ craſſoque ſub aëre natos

præ aliis: ſicut ille, qui mirabatur olim Saxoni Grammatico, Hiſtorico clariſſimo, homini Dano, tantam eloquentiam conti-

contigisse. Sed querelarum desino; præsertim cum qui de me illa scripsit manu suâ postea testatus sit, ab amanuensi se inscio & invito verba illa de me irrepsisse: ideoque in aliis editionibus corrigenda. Quamobrem Christianæ charitatis memor lubens hanc injuriam scriptori condonabo.

Pro Mineralium, Metallorum, & lapidum natura omnino conjungendi sunt Cæsalpinus, Encelius, Libavius, & Anshelmus Boëtius de Bood.

In Botanicis, Lobelius, Tabernæmontanus, Herbarium Tragi cum notis Sebizii, Matthiolus Bauhini, & Clusius. Quanquam viva herbaria propriis manibus colligere & reservare, lectioni multæ Botanices præstiterit. Modum ac methodum colligendi ac servandi vide apud Spigelium in Isagoge in rem herbariam.

In historia Animalium, ut avium &c. consulendi præ aliis * Gesnerus & Aldrovandus.

In Anatomicis Vesalius, Laurentius, Bauhinus, atque quem nuper videre contigit, Riolanus junior. Quod Archang. Piccolom. Prælectiones, Columbi, Aquapendentis, Casserii scripta simul percurratis, operæ dispendium minimè estis facturi. Inprimis privatæ sectiones animalium, & eorundem partium frequenter instituendæ; & publicæ cadaverum humanorum, quoties fieri potest, frequentandæ. Quoad Icones, omnes penè quotquot hactenus exierunt, & videre mihi contigit, ex Vesalio desumptæ sunt, nisi quod Aquapenden. & Casserius nonnullas accuratiores de Organis sensuum edidêre; atque ille insuper de venarum valvulis, hic de vocis instrumentis: Varolius & Archangelus de vero nervorum principio ex medulla cerebri: Laurentius de venis quibusdam uterinis; & Bauhinus de coli ostiolo.

In Medica ipsa arte commendo, priusquam ad Hippocratis & Galeni opera accessus fiat, Fernelium & Sennerti Institutiones medicas, ejusdemque de febribus doctissimum tractatum.

In controversiis & disputationibus Joubertum, Vallesium, Sylvaticum, Mercatum & Horstium.

In *diætetica parte*, Quercetanum, Pisanellum, & Brujerinum. *In semeiotica* Taurellum. De *Pulsibus* Saxoniam & Struthium. De *Urinis* Willichium, Reusnerum & Fabricium.

In Curatione morborum particularium omnium, unicus sufficit Platerus, quem si novit quis, omnes cognorit. Qui volet, conjungere poterit Capivaccium, Mercurialem & Rondeletium.

In Chirurgiâ præstantes sunt Mercatus, Vesalius, Paræus, Aquapendens, Fabricius Paterniacensis, Felix Wurzius. Verùm non pudebit manum in Italia & Galliis, ubi optimi Europæ Chirurgi, operi admovere, atque ex cottidianâ praxi præcipua, non quibusvis lippis & tonsoribus nota, notare.

In Pharmacopæa vulgari, Cordus, Weckerus, Quercetanus, Renodæus, dispensatoriaque varia perlustranda; imò pyxides & cellulæ apud Pharmacopolas frequenter lustrandæ, ne quid Medicum fugiat, quod operæ Pharmacopæorum norunt.

De compositione Medicamentorum eruditissimè scripserunt Vallesius, Capivaccius, Haslerus & Tovarius.

Pharmacopæa Spagyrica seu Pyrotechnia curâ & vigiliis assiduis atque accubiis attendenda, non tantum ex scriptis Quercetani, Libavii, Crollii, Beguini; Rulandi,

Basilii

Basilii Valentini, Penoti, Salæ, Mulleri, Finchii, atque aliorum, sed quia præcipua Chemiæ arcana inter viros eruditos, imo etiam Principes delitescunt; in ea semper inter peregrinandum inquiratis, qualia sunt Tychonis Brahe Nobilis Dani, Petri Severini, Archiatri olim Regis Daniæ, Banisteri Angli, Hartmanni Hassi, Joh. Baptistæ Portæ Neapolitani, atque inprimis Serenissimi Regis mei, Christiani quarti &c. Domini Clementissimi. Non dubito, mi Petre, Avum tuum maternum D. Petrum Severini, plurima reliquisse in pluteis latentia, quæ facilè ab avunculo tuo impetraveris. Vos verò, mei filioli, si ad hanc artem aliquando animum applicueritis, multa volumina rarissimorum arcanorum tùm spagyricorum tum aliorum, quæ magno labore & studio in variis Europæ Regnis conquisivi, in meâ Bibliotheca Chymica invenietis. Non sum equidem nescius, quosdam arcana ejusmodi contemnere, nec multum de iis laborare, methodo medendi contentos. Verùm, hoc est faciendum, & illud non omittendum: Non rarò in casu desperato nobile aliquod desideratur auxilium. Immò non pudebit etiam ab aniculis & barbitonsoribus viliora experimenta expiscari, modò probata & sæpè cum successu usurpata.

Manus semper operi admovendæ & carbonibus & vitris: alioquin laterem lavabitis. Theorias Paracelsistarum haurire licet ex Petro Severini, Petrei Nosologia, Warenio & aliis.

Apodemicæ necessitatem Galenus in libello, quod optimus Medicus idem sit Philosophus, asseruit. Non enim omnis fert omnia tellus, sive ex mineralium, sive ex vegetabilium, sive ex animalium generibus. Neque omnes præclaros Medicos una regio vel provincia

vincia coëgit. Ubi quæso tales Medicæ artis, & Spagyricæ præsertim eruditionis antistites in Germaniæ Academiis invenies; quales Witebergæ Daniel Sennertus, & Rostochii Jacobus Fabricius, amici mihi conjunctissimi? In Botanicis qui excellere cupiet, certè voti compos fiet faciliùs & feliciùs, ex conversatione D. Jungermanni in Academia Giessena; & D. Bruseri in nova Academia Danorum Soranâ, quàm alibi. Sic Anatomicæ sectiones publicæ frequentiùs administrantur Patavii, Bononiæ, Romæ, Montispelii, Parisiis & Lugduni Batavorum, quam alibi. Horti Medici plantis exoticis referti cultiores, Patavii, Pisis, Bononiæ & Montispelii, quam loco ullo in alio. Medicæ & Chirurgicæ praxeos exercitia crebriora, pro spectatoribus studiosis Patavii & Florentiæ, quam ullâ Europæi orbis in parte. *

Ex quibus paucis exempli loco adductis, quid peregrinationes conferre futuro artis Medicæ Doctori possint, nemo non nisi qui fungus & stipes, intelligit.

Valete, & Deo atque proximo servire discite. Hafniæ, Anno 1626.

PETRI

PETRI CASTELLI ROMANI,

NOBILIS MESSANENSIS Medici, & Philoſophi

OPTIMVS MEDICVS

In quo conditiones perfectiſſimi Medici exponuntur.

AD MESSANENSIS EDITIONIS ubi 1 6 3 7. prodiit exemplar.



ILLUSTRISSIMIS SENATORIBUS

MESSANENSIBUS.

D. CÆSARI PISCI.

POMPILIO COTTONI.

FR. ANTONINO GOTHO EQ. HIER.

FRANCISCO FAZARI.

D. DIDACO LANZA.

THOMÆ ISVAGLIA.

PETRUS CASTELLUS ROMANUS S.

Urea Sententia magni illius Hippocratis Coi Medicorum Principis, ab Æsculapio originem ducentis, quem Senatus Populusque Atheniensium publicè magis mysteriis, uti Herculem Jovis filium, initiavit, libro de Lege, extat. *Medici fama quidem, & nomine multi, re autem, & opere valde Pauci.* Porrò cum maximè Reipub. Medicos bonos à malis destingui intersit, multumque Messanensi Senatui Nobilissimo, Illustrissimoque, qui Senatui, Populoque Atheniensi nobilitate, justitia, fortitudine, prudentia, & in virtutibus colendis minime cedit, ob plurima in me collata beneficia debeam, hoc Hippocratis dictum explicare mei solius partis esse videbatur, Medicus cum sim, & publicus apud vos Roma accitus Professor. Etenim, ut à Diogene Laertio refertur, Anacarsis præclarus Philosophus θαυμάζειν δὲ ἔφη πῶς

Mirari, se dixit, quomodo apud Græcos Artifices certarent judicarentque qui Arrifices non essent.

παρά

παρά τοῖς Ἕλλησιν ἀγονίζονται μέν οἱ τεχνῖται, κρίνοισι δέ οἱ μὴ τεχνῖται. Ac ſi de Artificum præſtantia ad Artifices tantum disſerere pertineret. Ad Medicum igitur, & ad Profeſſorem Medicum, Medicorumque priorem ſui generis peritos noſcere, non ad Idiotas; & bonum vel malum Medicum patefacere, ſpectabit. Arduum quidem (fateor) & odio plenum opus, quum pravorum ingens ſit moles, detegi ægre ferentium, veritasque ipſa, ex veteri proverbio odium pariat. Nullus tamen labor, nulla difficultas, nullum diſcrimen obſtare poterit, quin huic Illuſtriſſimo Senatui debitas agam gratias. Etenim ſi in bene meritos gratum animum Animalia bruta oſtendunt, cedam ne his ego unquam? Anne Ciconia grati animi Hieroglyphicum apud Ægyptios pingebatur, quòd parentibus ſeneſcentibus id alimenti, quod infantes ipſæ acceperant, redderent? Anne Leonis in Androclem beneficii accepti apud Ælianum, & alios, memoria excolitur? Anne Canum dominis gratiæ actæ plurimos obtinent teſtes? Quamobrem illuſtriſſimo Senatui gratum me facturum pro meo officio cenſui, ſi Hippocratis ipſe ſententiam explanarem, & quales ſint Medici fama, & nomine, quales vero re, & opere, ſcilicet optimos docerem: Cum pro Academia exteros Profeſſores Illuſtriſſimus Senatus convocare ſoleat, & urbs ipſa patrios plurimos obtineat magnæ exiſtimationis Medicos, ac Illuſtrisſimi Senatores Medici opera pro ſua ſalute egeant. Ut ad hæc omnia perfectum Medicum eligere queant, Optimi Medici notas edocere conatus ſum, hoc libello, quem vobis Illuſtrisſimi Senatores, do, dico, & conſecro, ut me ipſum jure vobis dedidi. Suſcipite igitur hoc grati animi munuſculum, majora brevi ab allaturo & ſub veſtro patrocinio me fovete, & ab invidis tueamini, ac fœlices valete.

Lib. 6. de Hiſt. Anim. c. ultimo.



INDEX
OPERIS.



PETRI

PETRI CASTELLI ROMANI
DE
OPTIMO MEDICO
Præfatio.

PSeudomedicorum ignorantia, Optimorum Asclepiadarum litteris, Medicæ artis dignitate, ac dedecore, Amicorum adhortationibus, Discipulorum precibus, Principum Rerumque publicarum commiseratione, atque Populorum jactura, humanique tandem generis dissolutione ad hoc opus exarandum me excitatum, commotum, irritatum, persuasum, lacessitum, inductum, coactum, impulsumque fuisse equidem ingenuè fateor. Nulla ergo lectores, si me in personatos Medicos iratum insurgere conspexerint, admiratio vexet; mirari potius debent, impunè homines occidi, nullo habito delectu, à nebulonibus his qui sese Medicos fingunt: Principes & Magnates concedere, annuere, permittere! Quod si Diogenes Cynicus θαυμάζειν τε ἔφη εἰ χύτρον μὲν καὶ λοπάδα ὠνούμενοι σκοποῦμεν, ἄνθρωπον δὲ μόνι τῇ ὄψει ἀρκεῖθαι. Quo jure Medicum solo aspectu, ac loquacitate probant, eique vitam suam committunt Νεοτερικοί?

Apud D. Laertium Mirari se dicebat, quum ollam quidem ac opculum non sine tactu ac tinnitu emamus, solò in homine emendo aspectu contenti sumus.

Sed dignas tanto persoluunt crimine pœnas.

At tu indoctè carnifex.

Jam me prodere, jam non debitas fallere perfide:
Nec facta impia fallacum hominum cœlicolis placent;

Martial. l. 1.
Catullus.

Medico indocto quid pejus? βραχυλόγος pecuniam extorquet, vitam tollet! si morbum ignorat, aptum remedium ignorabit: Exaudiant ergo Magnates Theophrastum peripateticum περιστείσαντα δὲ χρὴ τοὺς τοιούτους τῶν ἀντρώπων καὶ διαράμενον ἀπαλλάττεθαι, ὅ τις ἀπύρετος βούλεται εἶναι.

Theoph. de Caract. c. 3. Porro quisquis volet febre carere, homines ejusmodi depellat à se necesse est, & sejugatus ab illis discedat.

Optimi Medici effigiem, formam, & qualitates hic pingam, proponam, ac demonstrabo, ut, qui Medico indiguerit, (ne lucerna accensa, ut alter Democritus, quærat) Asclepiadeum non ementitum, larvatumque seligat sibi: attentas ergo præbere aures eum cupio, exhortor, jubeo. Caveatque ut sibi à spuriis, ac ignaris, quos irrident sapientes ac Poetæ. Unde Martialis de Diaulo medico lib. 1.

Chirurgus fuerat, nunc est Vespillo Diaulus.
Cœpit quod poterat, Clinicus est modo.

Et iterum ait.

Nuper erat Medicus, nunc est vespillo Diaulus
Quod vespillo facit, fecerat & Medicus.

Item in malum Medicum.

Lib. 8.

Hoplomacus nunc es, fueras Ophtalmicus ante.
Fecisti Medicus, quod facit Hoplomachus.

Diogenes verò cynicus Philosophus haud aspernendus, quum vidisset ignavum luctatorem medicinam profitentem τί τοῦτο; ἢ ἵνα τοὺς ποτέ σε νικοσσάντας νῦν καταβάλης; Optimè quidem Raimundus Mindererus Medicinam induxit lugentem, quum tractetur à Sycophantis, Judæis, mulierculis, & ab omni hominum fœce. Quapropter jure videntur hujusmodi Medicastri Parabolanorum nomen sortiti: ut legere est apud Eruditissimum Paulum Zacchiam, & alios; non autem legitimis Medicis adaptatur. Nec equidem de Medicinæ origine, Medici dignitate, ac præstantia sermonem suscipiam à plurimis jam exactè prolatum: sed de qualitatibus quibusdam, quibus idiota

apud Laertium, quid hoc? inquit, num & eos, qui te aliquando vicerunt, nunc ipse dejicies?

Quæst. Med. legal. lib. 6. tit. 3.

idiota optimum Medicum cognoſcere valeat. Primum autem in memoriam reducam Hippocratis noſtri legem, in qua: *Medicina*, inquit, *omnium artium præclariſſima eſt; verum propter ignorantiam eorum, qui eam excercent, & ob vulgi ruditatem, quod tales pro Medicis judicat & habet, jam eo res devenit, ut omnium artium longè viliſſima cenſeatur*, ne igitur rudis vulgus, & πᾶς δῆμος amplius decipiatur, ſuccurrere incumbo, nevè ignorantem pro ſapiente habeat, ſed ἰδεῖν noſcat, docebo. Hujus autem fallaciæ cauſam minimè reticuit Hipp. ſed addit: *At verò hoc peccatum ob hanc potiſſimum cauſam mihi committi videtur: ſoli namque Medicinæ nulla pœna in Rebuspub. ſtatuta eſt, præter quam ignominiæ: verum hæc ipſa non afficit, neque contingit eos, qui ex compoſito perſonam ipſius induerunt: ſimillimi enim hujusmodi Medici ſunt perſonis, quæ introducuntur: quemadmodum enim illi figuram quidem, & habitum, ac perſonam eorum, quos referunt, habent, illi ipſi autem verè non ſunt: ſic & Medici fama quidem & nomine multi, re autem, & operè valde pauci.* Quandoquidem fictorum, & νωνύμων pravorumque Medicorum cum apud poetas non pauca reperiantur ludibria, & opprobria, ſicut & optimorum laudes, ſilentio utraque obvoluam. Non enim ille ſum qui

Vertente Cornaro.

Quod verum eſt.

Dat Veniam Corvis, vexat cenſura Columbas.

Juven. ſat. 2.

Sed audiatis, quæ requirat in Medico Hippocrates. *Quisquis enim*, inquit, *Medicinæ ſcientiam ſibi verè comparare volet, eum his ducibus voti ſui compotem fieri oportet Natura, Doctrina, Moribus generoſis, Loco ſtudiis apto, Inſtitutione à puero, Induſtria, & Tempore.* Et hæc quidem ad conſtituendum optimum Medicum expetuntur: ſiquidem τῇ φύσει ſagax, docilis, diſcendi cupidus, & Medicinæ peculiariter deditus ſit, atque amore quodam ipſam amplectens, non autem

vi,

vi, aut lucro, aliovè fine remoto, Medicinam aggrediatur. Accedat διδασκαλία, quam à libris, & optimis præceptoribus assumere debet. *Moribus* conetur esse generosis, ut etiam in jurejurando jubet Hippocrates: Τρόπος etiam εὐφυής maximè facit ad optimum Medicum constituendum, unde constituta sunt publica Gymnasia, & præstantior Medicus est censendus qui in præstantiori Academia doctoratus Lauream susceperit, studuerit, se exercuerit, vel publice docuerit, ut Patavii, Bononiæ, Romæ, Pisis, Perusii, Neapoli, &c. Ubi multitudo adest Medicorum Professorum in omni Medicinæ parte, quales sunt Anatomes, Theorica, Practica, simpliciumque cognitio, quam ἐν ἄλλῳ μικρῷ γυμνασίῳ. Sic τῇ παιδομαθίῃ optimum constitui Medicum, nam oportuno tempore Medicinæ operam dare cepit, patet: cum Ars longa, vitaque brevis sit, ut clarum est. Aristoteles apud D. Laertium trium dicebat pueros egere: φύσεως, μαθήσεως, ἀσκήσεως. Ingenii, exercitationis, disciplinæ. Φιλοπονίαν præterea requirimus, ac diligentiam in Medico, tum in acquirenda medicina, tum etiam in cognoscendis morbis, atq; remediis. Deniq; χρόνον, quod hæc omnia corroboret, ut perfectè enutriantur, postulat Hippocrates. Hinc seniores Medici junioribus, utpote minus expertis, præferentur. Docti enim ab indoctis eo different. ὅσῳ οἱ ζῶντες τῶν τεθνηκότων: atque his in Medico existentibus omnibus, et quasi perfectus videatur, ultimum artis Colophonem adesse vult etiam Cous Præceptor, sic alloquutus: *His igitur ad artem Medicam allatis, & vera ipsius cognitione comparata, tandem per urbes obambulando, non sermone tantum, sed opere Medicos haberi convenit.* Quare Medicus, ut ultimum perfectionis gradum assequatur in diversas regiones peregrinari debet, ut Hipp. Gal. & alii præclari viri. Nihili igitur faciendi sunt ii, qui domo nunquam exierunt, plurimi autem, qui multas regiones

Arist. quo viventes à mortuis.

giones perscrutati sunt variarumque Nationum Dogmata, Mores, Instituta, Morbos, & Remedia considerarunt, didicerunt, æstimandi erunt. πεὶ δὲ ὧ ὁ λόγος: implorato divino auxilio dicam, cum Timone Philosopho Ἔσπετε νῦν μοι ὅσοι πολυπράγμονές ἐστε σοφισταί. Hominem non hominem declarare, deceptorem indicare, personatum Medicum detegere, & qualis sit eligendus docere.

Sed ut ad institutum sermonem revertamur. Nunc mihi adesse omnes gens importuna Sophistæ. Plaut. Amphit.

Clara vorsum fabulabor, hic auscultet, quæ loquar.

Encyclopædia Medica.

Sectio 1.

QUi perfectum evadere in Medicum cupit, is prius mediocriter saltem linguas, tum latinam, tum Græcam adeptus optimus esse Philosophus conari debet. *Quod opinor omnibus, & lippis notum, & tonsoribus esse.* Ἀστρολογίαν, γεωμετρίαν, καὶ ἀριθμετικὴν dicidisse fas est. Cadavera dissecuisse, vel saltem Ἀνατομὴν pluries inspexisse, nevè Clinicè tantum, verum etiam, ut Cheirurgicè curare valeat (si quando urgens sese obtulerit casus) ipsum in Cheirurgicis exerceri convenit: deinde in Theoricis, & speculativis medicis quæstionibus de rebus naturalibus, non naturalibus, & præter naturam versatum esse operæ pretium est: nimirum cognitis harum differentiis atque caussis, accedat tunc ad προγνωστικά, quæ Medicum ἱερὸν, καὶ θεικὸν reddunt, atque ad indicationes, quibus rationalis ab Empirico distinguitur, feratur. Praxim deniquè, ut artificiosè & scienter exercere queat; utque citò, & jucundè curet, quod Medici officium esse apud C. Celsum lib. 3. c. 4. docebat Asclepiades; nec à se seplasiariis irrideatur, decipiaturve ægrorum jactura. Plantas, & Mi-

Horat. sat. 7.

neralia de facie cognoſcere, ſimpliciumque miſcendorum; atque deſtillandorum ſcientiam poſſidere connitatur. Tunc dicam cum Chriſippo.

Hic ſolus ſapit, aſt alii velut umbræ feruntur.

οἷος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι.

Virum laudabo, Medicinæ Archiatrum appellans. Nam linguis adjutus, cum latinorum, tum Grajorum monumenta ſcriptorum facile percipiet. Philoſophia inſtructus, non intelligere tantum, ſed judicium quoque ferre de exaratorum veritate poterit. Aſtrologia ornatus, imminentia prænoſcet, ad quam quidem adipiſcendam Arithmetica faciet, ut ad diſcurſum Geometria. Anatome verò locum affectum commonſtrabit. Una ſi Cheirurgiæ, Hippocratis Galenique imitatione operam dare non piguerit, ab ipſo opem requirentibus ægris pariter atque Cheirurgis indoctioribus affectu lethali exiſtente, Barbitonſore ne inferior ſit, acceſsio ipſi fiet. Et ad celerem, ſecuram, blandamque (ut præfatus ſum) medelam ſcientia de ſimplicibus, de compoſitis, & deſtillatoria opem non levem feret: quibus munitus inſtrumentis, coadjuvante aſſidua probatorum auctorum lectione, (ut nulla dies ſit ſine linea) & frequenti, nec non accurata Ægrorum inſpectione facile ἰατρικώτατος evadet, cum Theoricus, tum Practicus, utpotè qui omnium artium abſolverit ἐγκυκλοπαιδίαν. Idiotam verò his privatum dotibus, meo conſilio, negligant, ſuamque vitam nequaquam illi orco manu mittendam committant. Quas ut facilius in Medico recognoſcant, damus ita elucidata, ut Pſeudo Medicos expellant: nam

Vide quæ nos ad Bartholinum notavimus.

Horat. l. 2. Od. 2.

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit: niſi cauſa Morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
corpore languor.

De

De Linguis.

Sectio. 2.

SI ergo nuper dicta Magistri in arte Asclepiadea ἐργαλεῖα exactius perpendere libuerit, ut Oratoriam ex instituto profiteri Medicum dedecet, cum ex C. Celso *Morbi non eloquentia, sed remediis curentur, quæ si quis elinguis, usu discreta benè norit, hunc aliquanto majorem Medicum futurum, quam si sine usu linguam suam excoluerit.* Proinde Asclepiam ex Rhetore Medicum factum irridet Plinius lib. 26. c. 3. Nos verò dicendi artem doctamque Latinam elocutionem commendamus, si fuerit perspicua, & facilis intellectu; obscuram, salebrosam, ut tradendis scientiis ineptam, vituperamus: sicuti Valesius lib. 6. cont. 1. Rhetorica ornatum Medicum commendat, dummodo nè pro Rhetorica mordacitatem impudentem magis quam elegantem rependat. Dicebat etiam de Epicuro Philosopho insigni Diogenes Laertius, adeò apertum dictione fuisse, ut in libro de Oratoria nihil aliud quàm perspicuitatem orationis inquirendam, ac prosequendam moneret. Diogenes etiam Apolloniates: Qui docere aliquid instituit, ei operæ pretium, inquit, est, oratione simplici, atque pudica uti. Procul igitur ab ægris sint Poëticam, Rethoricamque profitentes Medici, cum enim tempus terant, totique incumbant in has artes, nihil Medicinæ conferentes, quæ per se ars longa, difficillimaque est, nihil illis otii ad Medicinæ partes speculandas restat, unde sic loquacem Zeno objurgavit: τὰ ὦτά σȣ εἰς τὴν γλῶτταν συνεῤῥύηκε. Dicam ego: Ingenium, artem, & manus in lingua esse posita. Et equidem barbaram eloquutionem fugio, nimis elegantem non quæro: idem enim mihi videtur dicendum de affectata Latinita-

Aures tuæ in linguam confluxere.

nitate, quæ doctrinis tradendis, obſcuritatis gratia, minùs apta eſt, quod de Orationibus dialecticis docebat Ariſto Chius Stoicus: Aranearum telis ſimiles eſſe, quæ etſi quid artificioſum indicare videantur, inutiles tamen ſunt. Sed mentem adhibete, (amabo vos) ad ea, quæ Gal. tractatu de Ordine librorum ſuorum protulit. *Neque enim, inquit, nos volumus, quod nonnulli nunc jubent, omnes voce Atticiſſare, ſive illi Medici, ſive Philoſophi, ſive Geometri, ſive Muſici, ſive Juriſconſulti, aut nihil etiam horum, ſed alioqui, vel opulenti, divites ſint: verum contrarium intendo; neminem prorſus ob orationis ſolœciſmos eſſe reprehendendum inceſſendumvè. Præſtat etenim lingua, quàm vita ſolœciſmos, barbariſmosque committere. Quin & libellus aliquando mihi ſcriptus eſt contra eos, qui in Solœciſſantes voce invehuntur: tantum abeſt, ut eruditionis eſſe partem aliquam Atticiſmos aſſeram.* Ecce audiviſtis Galenum nihili facientem exquiſitam ſermonis elegantiam, licet ipſe elegantiſſimè ſcripſerit. Quare ex Galeno exactus ſermo, vel Atticus, vel Latinus non eſt eruditionis pars, nec in medico requirendus. Sic Avicennæ, Raſis, Averrhois, cæterorumque Arabum eorumque commentorum, & ſequacium doctrinam recipimus, barbariem ſermonis non accuſantes. Et ex his diſcat Idiota, Medicum, qui profitetur elegantiam ſermonis, atque dicendi artem, ſæpiſſimè in medendo minùs valere, quàm barbarè loquentem, quia non eloquentia, ſed Medicamentis curantur ægri. Imò ſi videor Medicum natura deditum Rethoricæ, & in hac glorioſum, dicam ineptum Medicum, eò quod natura ad pæda gogiam non ad medicinam illum genuit, *ἰατρὸς ἀδόλεσχος νοσοῦντι πάλιν νόσος*

Verum enim vero *γλοσσῶν* peritia Medico optimo neceſſaria eſt: ut ſermone latino non poſſit carere (ut cum eodem

loquar

loquar Vallesio) sine magna turpitudine, Græco non sine turpitudine solùm; sed neque sine magno artis dispendio, cum hujus sermonis ignorantia, quod Hippocrates, Galenus veteresque ἰατροὶ scripsere, sophismata indissolubilia, contradictionesque protulerit infinitas. Eloquentiæ certè parens Tullius lib. de fin. *à Græcis Philosophiam, & omnes ingenuas disciplinas habemus*, inquit, immo de Clar. Orat. *Græca oratio*, ait, *plura ornamenta suppeditans consuetudinem similiter latinè dicendi affert.* Nos paucos hic invenimus Medicos, qui elementa Græca cognoscant, ac legere didicerint.

Sed equidem illum quoque mirum in modum commendarem, qui Arabici peritus esset sermonis. *Nos est in vanum fabula victa jocum.* Nobis enim genuinum Avicennæ, Serapionis, Haly, Mesues, Averrhois Avenzoar, Albucasis, & aliorum doctissimorum Arabum sensum exponere posset; verùm scientiam laudo, non requiro. *Tibullus l, 3. cap. 4.*

Logica,

Sectio. 3.

SCientiarum instrumentum, quum Διαλεκτικὴ nuncupetur, quis medico non necessariam dicet? profectò nisi is perfectus Logicus fuerit (utpotè qui imperfectum scientiarum instrumentum sortitus sit) perfectus esse φυσιόλογος, & consequenter Medicus omnibus suis partibus expletus, minimè poterit. Clarissimum id est, tum Auctoritate Gal. 3. de sim. med. fac. intio, & 1. ad Glauc. lib. de sect. c. 19. tum Haly Albatis. 1. Theoricæ c. 3. & aliorum; sed præcipuè Valesii loco cit. expressè scribentis. *In logica, & Philosophica, quam naturalem dicimus, vellem Medicum multùm*

tum profecisse; aut si cui id non contingit, solis artis operibus contentum esse, à docendo abstinere, cum ex Dialecticæ ignorantia infiniti emergant errores; tum rationibus H. Cardiani (quas piget referre) l. 1. contrad. tract. 3. cont. 1. concludentis necessariam omnino esse Διαλεκτικὴν Medico; tum denique Galeni, Avicennæ, Cardani, Argenterii, Valesii, Capivaccii, Baccii, Libavii, Cæsalpini, & similium exemplis, qui optimi Logici fuerunt, & Medici præstantissimi, plurimique præclari Philosophi, ut Plato, Aristoteles, Chrisippus, Galenus, Averroes, D. Thomas, & Scotus Logicam docuerunt: imò Augustinus Niphus Suessanus Medicus insignis, Toletanus postea Cardinalis; Petrus Hispanus, postea Joannes XXII. Pontifex, & alii viri clarissimi logicos tractatus ediderunt. Proindè quod maligni quidam ἀγράμματοι mihi vitio vertunt, ejus ego glorior, nempe primùm per aliquot annos Romano in Gymnasio Διαλεκτικὴν & Φιλοσοφίαν professum me fuisse. Moneo autem Principes, ac Respublicas, ut si quando Professorem aliquem pro publico Gymnasio eligendi occasio adveniat, Logicæ serio operam dedisse præsciant, alias irridendi amethodi illi medicastri, qui carentes scientiarum instrumento, nec docendæ, nec exercendæ medicinæ scientiam habere queunt. Nec huic meæ opinioni refragatur Zeno, qui scripsit: οὐκ ἄνευ δὲ τῆς διαλεκτικῆς θεωρίας τὸν σοφὸν ἄπτωτον ἔσεσθαι ἐν λόγῳ, τότε γὰρ ἀληθές καὶ τὸ ψεῦδος διαγινώσκεσθαι ὑπ' αὐτῆς: καὶ τό πιθανὸν, τότε ἀμφιβόλως λεγόμενον δὲ εὐκρινεῖσθαι, at de logicæ dignitate, & utilitate agere non est hujus loci.

Cæterum absq; dialectica speculatione sapientem in creatione sine lapsu non futurum: quippe ex illa dignosci verum atque falsum, probabile item & quod ambiguum dicatur intelligi.

De Philosophia.

Sectio 4.

PHilosophiæ si Medicina subalternatur ex Arist. lib. de sani. & morbo, dicente, ubi desinit Physicus incipere Medicum,

Naturalis autem est, & de sanitate, & in-

cum, eo quod ad particularia magis iſte deſcendat, nonne hanc ſupponit? quod etiam repetit lib. de ſenſu, & ſenſili c. I. hiſce verbis: φυσικοῦ δὲ, καὶ περὶ ὑγείας καὶ νόσου, τὰς πρώτας ἰδεῖν ἀρχὰς· οὔτε γὰρ ὑγείαν οὔτε νόσον οἷόν τε γίνεσθαι τοῖς ἐστερημένοις ζωῆς, διὸ σχεδὸν τῶν τε περὶ Φύσεως οἱ πλεῖστοι, καὶ τῶν ἰατρῶν ὃν φιλοσοφωτέρως τὴν τέχνην μετιόντες, οἱ μὲν τελευτῶσιν εἰς τὰ περὶ ἰητρικῆς, οἱ δ' ἐκ τῶν περὶ Φύσεως ἄρχονται περὶ ἰατρικῆς, quo igitur modo Philoſophia carere medicus poteſt? ratum ſit, optimam non poſſe Medicinam eſſe, quæ optimæ non ſubalternetur Philoſophiæ: hinc facilè fuit Galeno in libello dicato, Optimum Medicum eſſe optimum Philoſophum probare: Quojus ſolius auctoritate conſtat, neceſſariam eſſe Medico Philoſophiam, & adeò ut optimus Philoſophus optimus Medicus dicatur; mediocris verò, Medicus mediocris; & ignarus Philoſopiæ, Medicinæ quoque ignarus: Addam ex Hipp. de decenti ornatu. Nequaquam ſejunctos, ſed ſimul connexos ambos eſſe. Unde (ſuorum librorum initio admonente C. Celſo) medendi ſcientia ſapientiæ pars habebatur, ut & morborum curatio, & rerum naturæ contemplatio ſub iiſdem auctoribus nata ſit, ideoque ex ſapientiæ Profeſſoribus peritos ejus fuiſſe accepimus, clariſſimos verò ex his Pythagoram, Empedoclem, & Theophraſtum recenſent ſcriptores. Nec ullus unquam cenſetur optimus Medicus, quin etiam fuerit optimus Philoſophus, ut Galenus, Avicenna, Fernelius, Duretus, Fracaſtorius, Baccius, Cæſalpinus, Eraſtus, Cardanus, Scaliger, Argenterius, & ſimiles alii: noſter autem Hippocrates mox citato libro ἰητρὸς γὰρ φιλόσοφος, ἰσόθεος, ſcribere non erubuit; adeò deniq; Medico neceſſaria ab omnibus habita eſt Philoſophia, ut à cunctis Academiis medicam Lauream nulli ſine Philoſophia conferendam eſſe ſtatutum fuerit. Et quid quæſo Medicina eſt, niſi particularis, & ſenſibus objecta Phyſica? ut

firmitate pr[...] cognoſcere principia nec[...]n. ſanitatem nec infirmitatem poſſibile fieri carentibus vita.

Quære ferè naturalium plurimi & Medicorum qui magis Philoſophicè artem perſequuntur, illi quidem finiunt in iis quæ de Medicina, hi verò in iis, quæ ad Naturam ſpectant, medicinam incipiunt.

Medicus Philoſophus ſimilis Deo.

ut Zuingerus Theat. tom. 3 lib. 2. asseveravit. Epicurus autem in Epist. ad Meneceum scriptum reliquit: Μή τε νέος τις ὢν μελλέτω φιλοσοφεῖν, μήτε γέρων ὑπάρχων, κοπιάτω φιλοσοφεῖν, quare Medicus, qui habita Doctoratus Laurea, Aristoteli & Philosophiæ valedicit, per nos etiam valeat, & à docendo, ac etiam medendo abstineat. Ego Philosophari in describendo Montis Vesuvii incendio fui coactus. Eminentissimorum Cardinalium jussu: quid præstiterim, eruditorum sit κρίσις. Profecto Admodum R. P. Joannes Baptista Masculus Neapolitanus è Societate JEsu, laudatus vir, sic laudere voluit nos de incendio Vesuvii scribentes,

Neque juvenis quispiam dum est philosophare negligat, neque senex cum sit Philosophando fatigetur.

EPIGRAMMA.

Dum scribit cineres, & nigri busta Vesuvi,
Nec cineres possunt jam, neque busta mori.
Quis neget æternum victurum nomen in ævum,
Per te si didicit vivere posse cinis?

Qui idem doctissimus Vir nostram novam opinionem de Nitro Incendio Vesuvii cum Vicentio Alsario Crucio publicè commendavit. Præterea librum etiam 1. & 2. Arist. problematum publicè explicavi.

De Mathematica.

Sectio 5.

PОrrò adeò necessaria Medico ἀστρολογία est, ut Galenus 1. meth. initio, & item lib. 1. si quis opt. med. eum, qui τῆς ἀστρονομίας imperitus est, haudquaquam Hippocrati ad illam suadenti obsequi, scripserit: siquidem Divinus senex non solum ad ipsam nos hortatur adipiscendam; sed multa

multa etiam lib. de aere, aquis & locis; in aphorismis; primo de Diæta, & περὶ ἐπιδημιῶν libris docet, quæ non nisi Astralium motuum perito innotescere queunt. Nec tutò mederi in pharmacorum exhibitione, & phlebotomiæ usu, poterit, nec quicquam de infirmi salute, periculovè, nec de Criticorum dierum causis, qui τῶν ἀςρῶν ἐπιςήμην ignoraverit, sermone prosequi valebit.

Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est
Videre, sed etiam illa, quæ futura sunt
Prospicere. *Terent. in Andr. a. 3. sc. 3.*

Adeòque iterum inquam, Medico est necessaria ἀςρονομία, ut sacrum Concilium Tridentinum, cum omnibus sub Anathemate libros Astronomicos denegaverit, eos tamen Medicis legendos, retinendosque concesserit. Hipparchus (de quo Plinius nunquam satis laudatus Hipparchus ait) de Vinc. spiritus. *Medicus*, inquit, *sine Astrologia, est quasi oculus, qui non est in potentia ad operationem.* Albumetar in introductorio: *Astrorum scientia est principium Medicinæ* Bartholomæus Vespuccius. *Medici sine Astrologiæ cognitione sanguinis minutionem, aut pharmaca ægris non nisi cum periculo administrabunt:* Federicus Chrisogonus c. 14. de prognost. ægrit. *Per Astronomiam facultati Medicinæ, non solum omnes partes Medicinæ, tàm Theoricæ quam practicæ perficiuntur; veram etiam ipsum judicium, quod per Mdicinam incomprehensibile est, fit tamen per ipsam Astronomiam comprehensibile.* Legi etiam libellum à Petro de Albano Latine traductum, titulo Hippocratis de Medicorum Astrologia, in quo scribitur: *Qui autem nescit Astronomiam, non poterit scire ejus ægritudinem.* Hinc Doctissimus Franciscus Valesius loc. cit. *Astronomiam*, ait, *derident nonnulli, ut ad Medicinam nihil utilem; non aliorsum, quam ut hac ratione propriæ ignoran-*

tiæ pudorem effugiant. Nec equidem vobis ſuadeo, ut huic ſcientiæ vos totos tradatis; ſed ne penitus ignari eſſe velitis. Ego autem Hippocratis Aſtrologiam totam c. 12. lib. 1. meæ Emeticæ incluſi, quam ibi cuilibet, ſi placuerit, legere licebit. Magirus autem de legitimo Aſtrologiæ in Medicina uſu perdoctum edidit libellum.

Hippocratis Aſtrologia.

Huic τῆς μαθήσεως aliæ partes connectuntur, κοσμογραφία, μουσική, γεωμετρία, ἀριθμετική, quæ artes nobiles ſunt, & ex Galeno in oratione ſuaſoria primam ſedem apud Deum Mercurium occupant. Hiſque omnibus Medicum perfectum indigere nos monitos voluit 1. meth. c. 1. & utilitates docet lib. de cujusque animi peccat. cap. 2. necnon 4. de Hipp. & Plat. decret. c. 4. Ita etiam libro: Si quis opt. med. initio, præterea ſe plurimum ab his adjumenti recepiſſe fatetur de lib. propriis, c. 11. Sic Valeſius, harum exquiſitam peritiam in Medico ut non damnat, ita mediocrem ob utilitatem commendat. Sed his prior magnus Hippocrates Epiſtolam Theſſalo filio lectu omninò dignam conſcripſit, qua clarè oſtendit, admodum neceſſarias eſſe Medico Geometriam, & Arithmeticam. Scripſit autem Diogenes Laertius, Xenocramentem ad eum qui neque Geometria, neque Aſtrononıia inſtructus, ludum ſuum frequentare cupiebat. Πορεύου, ἔφη, (dixiſſe) λαβὰς γὰρ οὐκ ἔχεις φιλοσοφίας: ac ſi quis ſine his Philoſophus eſſe nequeat: Quod ſi non Philoſophus, neque etiam Medicus. Equidem paucos hic inveni hiſce inſtructos artibus.

Abi, anſis n. & adminiculis philoſophia cares.

Nec ſimiles chordis reddere voce ſonos.

Tibul. lib. 3. el. 4.

Addere libet, etiam Picturam Medico utilem fore; quam Galenus in Oratione citata in ſecunda ſede apud Deum Mercurium collocavit, ſic enim Medicus in pingendis Animalibus & Simplicibus, quæ picta ſpectantur in Philoſophorum, Medicorumque libris, Pictore opus non habebit: quod mihi maximo

Utilitas Picturæ.

maximo fuit auxilio in pingendis plantis in Horto Franesiano à me quondam alieno nomine editis, in meis Insectis, & in Officina chymica. Quod etiam maximo fuit ornamento Fabio Columnæ botanico insigni, dum propria manu plantas delineabat, & incidebat æri: jure igitur ob multiplicem scientiam Medicus dicitur artifex universalis.

De Anatome.

Sectio 6.

DE Corporum Dissectione quid dicam? est ne, qui utilem, ac necessariam esse medico negare audeat? Gal. certè 2. de Anat. adm. c. 1. *Domi*, inquit, *apud parentes Antiqui à pueritia exercebantur uti lectione & scriptura, sic etiam Cadaverum consectionibus: multum enim veteres non modo Medici, verum Philosophi quoque Anatomæ studuerunt.* Erat igitur (ut etiam Andreas Laurent. lib. 1. c. 8,) apud antiquos hæc veluti primum medicinæ rudimentum, ἄλφα, initium, atque basis. Hinc medicus sine Anatomica peritia, sine cognitione artis suæ principiorum erit: erit & ignarus, & ἄπειρος structuræ proprii subjecti, circa quod toto vitæ suæ curriculo versandum ipsi est, qui quantum ob id erret, 3. & 4. de Anat. adm. utrobiq; c. 1. explicavit Galenus, expressè addens: ultra sexcentos errores eum committere: sed præcipuè in loci affecti dignotione, ut libro primo de loc. aff. initio: *Partes*, inquit, *quæ in imo corpore latent, exercitatum ratione virum desiderant, cum in partium actionibus, & utilitatibus, tum vel maximè in præcedentibus eos corporum dissectionibus, quippe hæ nos docuerunt cùm alia permulta, tùm cujuslibet partis proprietatem.* Eodem modo in præfat. sui libri scripsit C. Cel-

Anatome Medicinæ Basis.

Utilitas Anatomiæ.

ſus, *incidere mortuorum corpora diſcentibus neceſſarium.* Nam poſitum, & ordinem membrorum ἐμφανῶς noſſe debent; inſuper And. Laurentius loco præcitato. *Quisquis,* inquit, *partium humani corporis hiſtoriam ignorabit, is earundem affectus male dignoſcet, pejus curabit, peſſimè qui evaſuri ſint, aut non evaſuri prædicet:* Nec valet rem abominandam cadaverum ſectionem dicere: cum Medici ſordidiora tractent, & Reges, Principes, ac Philoſophi eam non ſint aſpernati. Magnus Alexander, qua Dux, qua Philoſophus eminentiſſimus, ſub Ariſtotelica diſciplina partium Animalium naturam & διάθεσιν ſe obſervaſſe gloriebatur. Et Marcus Antonius Imperator ſui corporis coſtitutionem ex Anatome ſe noviſſe, fatebatur: Antiquos etiam Ægypti Reges cadavera ἐπιμελῶς ſuiſmet ſecuiſſe manibus, litteris proditum fuit: ita Galenus Boetium, & Paulum Sergium, viros Conſulares, ſibi anatomen exercenti adſtitiſſe narrat. Nonnè Hippocrates Democritum varia Animalium corpora diſſecantem invenit, qua propter ſapientiſſimum judicavit? Plato in Timæo. Ariſtoteles de Hiſt. Animalium adeò exactè de Anatome ſcripſerunt, ut pateat præſtantiſſimos Anatomicos fuiſſe. Decretum etiam eſſe volo, neminem fuiſſe Medicum præſtantiſſimum, qui Anatomen ignoraverit, & quemlibet exactum Anatomicum fuiſſe laudatum Medicum, ut ex Neotericis Veſalius, Sylvius, Fallopius, Aquapendens, Columbus, Piccolominus, Bauhinus, Aſellius, Caſſerius, Spigelius, Vidus, Varolius, Paræus, fuêre. Ex Antiquis verò Hippocrates, Eraſiſtratus, Lycus, Marinus, Ruffus Epheſius, Martianus, Herophilus, Eudemus à Galeno citantur, ut in Anatome præclari, & in Medicina perfecti, ac celebres. Denique prudentiſſimum, ſapientiſſimumq; eorum laudabo conſilium, qui condiderunt, & adhuc præſunt publicis Academiis Patavinæ,

Perſpicuè.

Accurat.

Anatomici fuere Medici optimi.

næ, Bononiensi, Pisanæ, Neapolitanæ, atque Romanæ, ubi quolibet anno, tum publicè, tum privatim Anatome diligentissimè celebratur. Certo scientes neminem bonum Medicum futurum, qui saltem non aspexerit corporum dissectionem. Eodem optimo Consilio Regni Siciliæ Protomedicus ex Federici Imperatoris constitutionibus cap. de Medicis, sic habet: *Quòd quolibet quinquennio in aliqua insignium Civitatum Regni, aut loco convenienti fiat Anatomia: in quo cuncti Medici tàm Physici, quam Chirurgici requisiti conveniant. Nisi constet, quod fuerint legitima causa impediti. Qui verò contravenerint, solvant expensas necessarias prædicto exercitio, & ultrà, uncias duas.* Sicilia laudata lex. Deinde Philippus Ingrassias in editis Regis Siciliæ Protomedici Constitutionibus, id pluribus explicat, ampliat, & majorem pœnam anatomen negligentibus præscribit: quod salubre institutum in Sicilia, modo neglectum, adeò officit discipulis in istius Regni Academiis studentibus, ut magni, perfecti, & veri Medici nunquam evadere possint, & Magnates, ac Populi plurimum ex hoc percipiant detrimenti, cum ἐν παιδείαν sectionibus exerceri deberent. à pueritia. Hinc Principes, & Respublicæ Medicos suos, qui nunquam Anatomen inspexerunt, Medicos sciant esse cœcos, quippe qui, quod intus corpora gestent, quid sit conservandum, quid alterandum, quid demendum, quid addendum ignorent; necnon quæ pars interna doleat, ubi sita sit, quem usum habeat, per quos ductus humores sursum, & deorsum fluant, & similia nesciant, & ideo tanquam cœcos semper fore, ut errent in Medendi Methodo, in cognitione loci morbo vexati, & in remediorum impositione, & si quem sanabunt, casu sanabunt, non vera scientia, quæ est rem per causam scire & facere, *Ovem lupo commiserunt*: Terent. Eunu a 5. s. 2. Caveat igitur sibi quilibet à Medico Anatomes ignora. Vos

verò Idiotæ attendite, si Medicum corporum dissectiones vituperantem audiveritis, hunc anatomes ignarum judicetis, quia scientiæ non vituperantur nisi ab iis, qui eas non possident. Si mortuos tractare metuitis, jam fœminæ, non viri estis, sine hac scientia manebitis, sine Medicina.

Juvenalis sat. 2.

Exagitata procul non intrat fœmina limen.
Solis ara Deæ maribus patet, ite profanæ.

At audivi quendam insusurrantem. Sordidus es carnifex, non decet gravitatem medicam cadavera tractare, satis est ex Galeni, Vesalii, & aliorum libris corporum constitutionem discere.

Euripidis Jon. actu 4. Sed quod in alios ipsæ machinatæ sumus malum, id jure in nostrum recidit caput.

Recte quidem! dicito nunc:

δρᾶσαι τι κακὸν τὺς πέλας, αὐταὶ
πεισόμεθ' ὥσπερ τὸ δίκαιον.

Quis est carnifex, respondebo, egone, qui cadavera seco, an tu, qui (ob tuam ignorantiam) occidis vivos? dic si Galenus, Vesalius, & similes, alienis libris contenti fuissent, quos legeremus perfectos Anatomicos libros? Asylum est ignorantium, vituperare quod ignorent: sicut nemo nauta ex libris, ita nemo anatomicus; & consequenter sine oculata Anatomes inspectione nemo perfectus Medicus; & si quis est audax παντόμιμος (ut multos agnosco) quem contra hæc insusurrare non pudeat, palam loquatur: tu Zoile accede huc:

Terrent. in Eun. a. 1. s. 2.

Accede ad ignem hunc jam calesces plus satis.

Theod. Eidill. 5. Si tibi credidero flammis crudelibus urar Daphnidis.

Ut ego publicis scriptis loquor, ita & tu contra loquaris, aliàs huic, ut maligno, nemo credat, & ego. ἤ τοι πιστεύσαιμι, τὰ Δάφνιδος ἄλγε', ἀροίμαν. Quare consulo Principes, & quoscunque, ut Medicos sibi Anatomes gnaros eligant: alias neque Morbum, neque locum morbo vexatum dignoscent: cum autem ignoti nulla sit curatio Morbi; hujusmodi

virum

virum, non curatorem, ſed occiſorem vocabimus, cane & angue magis fugiendum. Nos ad inſtitutum revertamur: ego ſi Deo placuerit Typis edam *Sepulcretum* meum, ſeu Anatomicas Obſervationes, quas in centum Cadaveribus Romæ ſectis annotare licuit, quod opus M. Aurelius Severinus in Neapolitano Lyceo Anatomicus peritiſſimus pluries tum privatim expoſtulavit, tum publicè ſuo aureo tractatu de recondita abſceſſuum Natura. Placent igitur mea doctis.

De Chirurgia.

Sectio. 7.

ANatomiæ χειρουργία, manualisvè medendi peritia affinis eſt, quam ſi exercere optimus Medicus non vult, ignorare non debet. Hippocrates, Galenus, immo Podalirius, & Machaon, eorumque pater Æſculapius perfectiſſimi fuerunt Chirurgi, & hunc quidem χειρουργικὸν Apollodorus lib. 3. de Deorum origine vocat. De illis verò Homerus Ἰλιάδος β, ſic loquitur: ἰητῆρ᾽ ἀγαθὼ, ποδαλείριος, ἠδὲ μαχάων, & Iliade 4. inducit Machaonem ad Menelaum curandum ſagitta vulneratum, & Æſculapii optimi medici filium vocat: φῶτ᾽ ἀσκληπιοῦ υἱὸν ἀμύμονος ἰητῆρος. Deinde narrat ſanguinem exugiſſe, levia medicamenta peritum inſperſiſſe, quæ ſuo quondam patri ab eo dilecto dederat Chiron. Verba ſunt hæc:

Sanguinem exugens levia medicamenta peritus.

Inſpergebat quæ ſuo quondam patri diligens eum dedit Chiron,

Αἷμ᾽ ἐκμυζήσας, ἐπ᾽ ἄρ᾽ ἤπια φάρμακα εἰδὼς
Πάσσε, τά οἱ πότε πατρὶ φίλα φρονέων πόρε χείρων.

erant igitur Medici, & ſimul Chirurgi: immo à Chirurgia (ut ajunt) ortum Medicina duxit: ſæpe autem Medicus Phyſicus in vulneratis, dislocatis, fractis, apoſtematibus, ulceri-

ceribus laryngis, aliarumque partium morbis manualem operationem requirentibus convocatur, ut chirurgis & barbitonſoribus imperitis auxilium præſtet: ſi fortè contigerit (quod Deus avertat) Medicum chirurgiæ eſſe ignarum, & corporis ſauciati ſtructuram internam nunquam vidiſſe: nonne pro Medico Aſinum introduxère; nonnè cœcus cœcos ducet? ſed quis quæſo in caveam incidet? an ambo, Medicus, & Barbitonſor; an ſolus æger? hanc ignominiam, & hoc periculum quilibet optimus Medicus derivare debet: ne à barbitonſore non modo indecore convincatur, & irrideatur; ſed etiam, ut indoctiores chirurgos inſtruere valeat, quare ſcientiam chirurgicam ſaltem obtineat, ſi manu non exerceat.

Medici dedecus.

Quoniam id fieri, quod vis, non poteſt, velis id quod poſſis! Omnibus autem Chirurgis adeò neceſſariam eſſe Anatomen habeo, ut nulli in chirurgia doctoratus lauream conferendam cenſeam, qui Anatomes fuerit inexpertus, quod Nobilis Collegii Meſſanenſis Prior hoc anno præſtare decrevit. In Chirurgicorum autem commodum librum confeci *de Faſciis*, ubi faſcidi modum, & uſum in omnibus corporis partibus cum ſuis iconibus doceo. Libellum etiam de ſtrumis confeci.

Teren. in And. a. 2. ſc. 1.

De Theorica.

Sectio 8.

NE cenſeat quis Theoricam medicam conſiſtere in ornato, & eloquenti ſermone, nec in ſophiſtica redargutione. Profitentur quidem aliqui ſemper collegæ contradicere, ut boni Theorici habeantur vulgo: Sed Zoili, & ſophiſtæ ſunt, omnes alios Medicos vitu-

vituperant, irrident, ſed quid ſit Medicina, ipſi ignorant. Sciant ergo trifariam dividi Theoricam: in τὴν φυσιολογίαν, quæ agit de rebus naturalibus, nimirum de elementis, de corporis ſtructura, de uſu, & de actionibus ſingularium partium, & de earum temperamentis, de ſpiritibus & humoribus corporis, de calido innato, de facultatibus, ac de vi genitrice. Quare ut Medicus ſit bonus Theoricus in Phyſiologia debet optime noſſe, quæ ſit facultas animalis, quæ vitalis, quæ naturalis, quæ generativa; quid ſit calidum innatum, quid agat in corpore, quot ſint ſpiritus, quot humores, & quales; Corporis partium ſitus, uſus, actiones, & temperamenta; nec non etiam elementa, quibus conſtant corpora. Secunda Theoricæ pars Pathologia dicitur, quæ circa res præter naturam, nempe morbos, cauſas, & ſymptomata verſatur; & bonus Theoricus morborum differentias, & cauſas; cauſarum differentias, & ſpecies; ac ſymptomatum diſtinctiones, & cauſas exactè ſcire debet.

Diſciteque ô Miſeri, & cauſas cognoſcite rerum.

Tertia denique pars Prognoſtica vocatur, quæ proprie futura prædicit, licet etiam præſentia indicet, & præterita in memoriam reducat. In prædicendo autem futura, non imitetur Medicus dæmonum Oracula obſcura, nec Sphingis ænigmata: ſed optimus Theoricus, modum & tempus eventus certè, & clarè prædicet. Ob id pulſuum, & Criſis doctrinam habere debet eximiam: qui autem hæc omnia perfectè noverit, erit perfectus Theoricus, & ſine his non poterit eſſe bonus Medicus. Et ideo in publicis Academiis inſtitutum eſt, ut Profeſſores Theorici Hip. Aphoriſmos, Galeni Artem Med. & Avic. primam fen. 1. libri explicent, quia hic omnia, quæ ad Theoricum ſpectant, continentur. Unde Profeſſores Theorices hanc Medicinæ partem callere debere ne-

Perſius ſat. 3.

Impossibile esset ita dicere nisi ebrius te genuisset pater.

mo sanæ mentis negabit, quin cum Zenone dicam, qui Ἀδύνατον εἰπεῖν εἰ μή σε ὁ πατὴρ μεθύων ἐγέννησεν: dicebat. Non tamen sufficit sola Theorica, sed praxi debet jungi: alias claudicabit Medicina: & medicus, vel Theoricus tantum, vel tantum Practicus, non Medicus perfectus, sed Vulcanus claudicans erit. Ad Theoricam autem spectant Tractatus meus *de Abusu Phlebotomiæ* jam editus, & alter edendus de *Vero usu Phlebotomiæ*, *Introductio ad Tyrones*, alter *de differentiis & causis morborum & symptomatum* ad Tyrones: de *Crisibus*, *de Methodo medendi*, *de signis locorum patientium*, & *denique commentaria in Hippocratis librum περὶ παθῶν*.

De Praxi.

Sectio. 9.

Quis Medicus practicus.

COmmendatur Medicus practicus: Istam autem praxin medicam censent aliqui, eum, qui multos visitavit ægrotantes obtinere; sed falluntur: nam si sine judicio & diligentia visitavit, nihil utilitatis percepit Medicus, sicut nihil opis æger. Verum quidem est bonum practicum multis curis fieri, seu multis experimentis; unde nec juvenis, nec qui paucos invisit ægros, poterit esse expertus, & consequenter practicus, nec practicus bonus est, qui experimentis aliquot alienis medicinam facere audet, sed Empiricum appellabimus: cui, quia *Experimentum fallax*, nisi recto judicio jungatur, fides nulla adhibenda, sed in memoriam reducenda ea, quæ in præfatione ex Hippoc. in Medico docebamus requiri: nempe non solum Naturam, Doctrinam, institutionem à puero, & tempus, sed etiam peregrinationem per varias regio-

giones. Unde Medici, qui è patria non discesserunt, nunquam boni practici fient.

Equidem Medicum expertum, & in praxi optimum τεχνίτην dicam, qui cognito morbo, ejus causis, & loco affecto, indicationes particulares elicere sciverit, nec non exactè quid coindicetur, contra indicetur, permittatur, vel prohibeatur, διωρισμένως noverit, & ita instrumenta Medica, quæ sunt Diæta, Chirurgia, Pharmacia (cujus species sunt simplicium cognitio, horum præparatio vulgaris, & chemia) noscet. Et sciat etiam quantum, quando, ubi, & quomodo hæc adhibenda, quia Occasio præceps, ὁ δὲ καιρὸς ὀξύς. dicebat summus Medicinæ dictator. At Poëta.

Helleborum frustra, cum jam cutis ægra tumebit, Pers. sat. 3.
Poscentes videas, venienti occurrite morbo.

Quisquis igitur optimus practicus πανταχῆ evadere cupit, diligenter Methodo consultandi à me traditæ studeat. Evacuandi modos omnes, non per pharmaca solum, sed per Chirurgiam, & diætam quoquè scire conetur, iisdemque methodis Derivantia omnia, Revellentia, atque alterantia; tum interna, tum externa callebit, & à tota substantia agentia non ignorabit: pharmacorum etiam eligendi, ac præparandi scientiam habeat. Ita aptis instrumentis munitus, & pulsuum ac urinarum, ob frequentatos actus habita peritia, optimus erit practicus & si simul quoque optimus fuerit Theoricus, dici perfectus, & omnibus numeris absolutus Medicus poterit. At ego primam Decadem Epistolarum jam luci exhibui, reliquas deinde communicaturus, in quibus licet adsint promiscua, multa tamen ad praxin faciunt. Edam etiam Deo favente animadversiones in Disquisitionem generalem ad Historiam fœtus Vincentii Alsarii Crucii. Item Consilia medica, Tractatum de Urinis, De morbis

Methodus consultandi.

bis puerorum, Ac de peste commentationem Politico-Medicam. De Vomitu autem jam liber primus typis excusus extat. Secundus sub prælo est. Brevi edam de ratione colligendi librum, prout discipulis traditus fuit.

De Diæta.

Sectio 10.

PRæstat Medicum esse coquum, non quidem quod serviliter, & manu propria ægris inserviat, quod à Medici dignitate procul abest; Sed ut præcepit Optimus inter Medicos Gal. 2. de Alim. fac. c. 27. qui loquens de Olivis hæc protulit verba. *Quos artis obsonatricis periti variè præparant: cujus artis nolim medicum omnino esse ignarum, nam quod suavius est, facilius iis, quæ ex æquo sunt salubria, concoquitur: Verum non est nunc dicendi locus neque de obsonatricis speculationis peritia, neque de arte ipsa; alius enim locus ipsius est proprius.* Ex quibus verbis colligimus primo duplicem esse obsonatricem, speculativam peritiam, & artem; secundo hanc ad Medicum pertinere; tertio patet explicatio Hipp. aph. 38. sed 2. *Parum deterior potus & cibus, suavior autem, melioribus quidem, sed minus suavibus est præferendus,* quia suavitas cibi ex obsonatrice, & optima conditura acquiritur: nec enim intellexit Hipp. cibum, quem magis appetit æger (licet etiam de isto verificetur Aphorism.) sed de ori suaviore, aliud enim est appetitus, aliud suavitas cibi, deinde c. 52. cum egisset idem Galen. de quibusdam herbis condimentariis, subdit: *De quib. in commentariis Obsoniorum disputatur, qui medicis quidem & coquis quodammodo sunt communes, finis tamen utrisque ac scopus est peculiaris: quandoquidem nos utilitatem, quæ ex cibis*

Qualis Coquus sit Medicus.

cibis provenit, spectamus, non voluptatem: quibusdam tamen cibi insuavitas magna ex parte causa est quod minus ipsum conficiunt: ob eam igitur causam satius fuerit cibos mediocriter condire. Coquorum autem suavitas condimentis ut plurimum uti consuevit adeo pravis, ut ipsa coctioni plus noceant, quam commodent. Ita Simeon Sethus libro suo de cibariorum facultate, non tantum de cibis, quantum de condimentis scripsit, & initio libri ait se dicturum περὶ τῶν συνήθων ἀρτυμάτων τε καὶ ἀρωμάτων, καὶ λοιπῶν γνωρίμων ὀσφραδίων. Quare optimus Medicus non solum debet scire quantum cibi, qualem, & quando debeat exhibere, sed etiam quomodo; id est præscribere mulierculis, & coquis condiendi modos, & ita non modo illi utiles erunt Hippocratis libri de Diæta, & de Victu acutorum, ac Galeni de attenuante Diæta, de cibis boni succi, de aliment. facult, nec non Isaaci, Simeonis Sethi, Bald. Pisanelli, & Castoris Durantis Medicorum; verum etiam Cælii, Apitii, Platinæ, Scappii, & similium libri, ne in Diæta, & exhibitione ciborum, quæ medendi instrumentum præcipuum est, erret, & insuper, ut gratificetur ægris.

Qualis ciborum præparatio.

De Simplicibus.

Sectio II.

QVantum Medico simplicium peritia ac scientia, quæ notitiam τῶν φυτῶν, λίθων, μεταλλικῶν, καὶ ζώων continet, necessaria sit, constat ex Galeno. 1. de Antid. c. 2. initio lib. 6. de simpl. med. fac. & 2. de comp. med. sec. gen. c. 2. Constat ex multorum Principum, & rerum publicarum studio, dum in suis Academiis publicum simplicium κῆπον, veluti plantarum, radicum, florum, ac seminum ἐργαστήριον, quo Medici, & Pharmacopœi instruerentur, adesse

Necessitas scientiæ Simplicium.

curarunt. Constat tertio, quia simplicia sunt instrumenta Medici, medicaque materia, atque compositorum partes: & cum Medicina sine his exerceri nequeat, Medicus necessario debet scire ea quæ adhibet, alias caveat sibi æger, quia Medicus nescit, quod illi propinat.

Eurip. Cyclops ac. 1. Nemo huc venit, qui non mactatus sit.

ὐδεὶς μολὼν δεῦρ', ὅστις οὐ κατεσφάγη.

Constat denique ex instituto reliquarum aliarum Academiarum, ubi licet non adsint horti publici, tamen adsunt simplicium professores Theorici, ut Messanæ, &c. ubi Hortus desideratur, & Professor praxin docere nequit, quum docenda simplicia desiderentur. Ex defectu autem publici Horti, & Professoris practici Botanici multa sequuntur incommoda. Medicus nescit, quod ægro præscribit, Pharmacopæus ignorat præscriptum Medicamentum, Rusticus herbarius, qui sæpe legere nescit, & à nemine doceri potest, casu colligit simplicia, & hoc modo præparatæ medicinæ, raro sanitatem, sæpissimè mortem afferunt, ignorantiæ finem. Nec simplicium cognoscendorum Theorica ulla est (non loquar de Theophr. Historia, nec de Maranthæ Methodo,) cum ex libris nil, minus à præceptore, ea discipulus cognoscere queat, nec libri picti, nec longæ descriptiones æque valent, ac brevissima oculata inspectio, tantumque difficultatis herbarum peritiæ inest, ut Dioscorides τῶν βοτανικῶν πρῶτος in sua præfatione scripserit τὸν δὲ βουλόμενον ἐν τούτοις ἐμπειρίαν ἔχειν, δεῖ κατά γε τὴν ἀρτιφυῆ βλάστησιν ἐκ τῆς γῆς, ἀκμάζουσι καὶ παρακμάζουσι παρατυγχάνειν, οὔτε γὰρ ὁ τῇ βλάστῃ ἐντετυχηκὼς μόνον δύναται τὸ ἀκμάζον γνωρίσαι, οὔτε ὁ ἑωρακὼς τὰ ἀκμάζοντα τὸ ἀρτιφυὲς ἐπιγνῶναι. Quare simplicium cognoscendorum praxis experto præceptore indiget, alioquin si plantarum præsentia necessaria non est, frustra Patavii, Pisis, Bononiæ, Perusiæ, & in aliis Italiæ, Galliæ, Germaniæ, & Hollan-

Nocumenta subsequentia.

Porro cui in animo est horum peritiam assequi; eum oportet, cum primo germinant è terra prorumpentibus, tum adultis, atque etiam flaccescentibus adesse. Nec enim qui tantummodo pullulanti herbæ adstiterit, eandem adultam nosse

Hollandiæ Gymnasiis tantæ ad Hortos Medicos construendos fierent expensæ. Nonne à simplicium cognitione ortum Medicina duxit? nonne primi βοτανικοὶ fuere primi Medici? Adam omnium herbarum vires, & nomina cognovit: itidem Salomon, qui à Cedro quæ nascitur in Libano, usque ad Hyssopum quæ nascitur in pariete; nimirum ab excelsissima arbore ad humillimam herbulam, disputasse dicitur. Pariter ab Ethnicis Chiron Centaurus herbarum cognitione clarus laudatur, & Æsculapius herbarum scientissimus vocatur: Imo Apollo apud Ovidium primo Metam. fab. 13. gloriatur de hac scientia, sic:

poterit, nec qui adultam viderit, recens erumpentem agnoscet.

Inventum Medicina meum est, Opifexque per orbem
Dicor, & herbarum subjecta potentia nobis.

Postea Machaon, & Podalirius Æsculapii filii Medici, & Cheirurgici fuere insignes ob herbarum cognitionem; Hippocrates autem Cratevam suo ævo in simplicibus versatissimum summe laudat. At Plinius lib. 25. c. 2. Antonii Castoris scientiam, cujus plurimis instructum plantis visitavit Hortulum, mire commendat. Quod autem Medici gloria sit Herbarum notitia: non solum ex Apollinis verbis relatis manifestum fit. Sed ex Virgilio 12. Æneid. de lapide.

Ille, ut depositi proferret fata Parentis, *Medici gloria.*
Scire potestates herbarum, usumque medendi
Maluit.

Quem, ut adnotavit Eruditissimus Paulus Zacchias Proto-medicus, & Prior almi Collegii Romani, lib. 6. Quæst. medica leg. tit. 3. quæst. 4. imitatus est Torquatus Tassus Cant. 11, st. 70. his verbis:

E già l' antico Erotimo, che nacque
In riua al Pò s' adopra in sua salute,

Il qual

Il qual de l' herbe, e de nobil' acque
Ben conosceua ogni vso, ogni virtute.

Et quis quæso Zoilus Matthiolum, Dodonæum, Bauhinum, Fallopium, Spigelium, Manardum, Braſſavolam, Fuchſium, Cæſalpinum, Baccium, Lucam Ghinum, Marantam, Michaelem Mercatum, quorum Pontificii alii, alii Cæſarei fuerunt Medici; & in ſimplicibus verſatiſſimi tanquam Hortulanos depellere auſus erit? Solus fortaſſe N. imitatus Heraclitum, qui τὸν τε ὅμηρον ἔφασκεν ἄξιον ἐκ τῶν ἀγεένων ἐκβάλλεσθαι ϗ ῥαπίζεσθαι; at ego reſpondebo cum Socrate: Κακῶς λέγει, Καλῶς γὰρ λέγειν οὐκ ἔμαθε. *Sed Genus ignarum, quod tecto gaudet, & umbra* deridendum, & de me quidem ad ſatietatem malè loquatur ἅπαντα με ϗ μαστιγούτω, ut cum Ariſtotele dicam, verò bene habebo cum multos mei adeſſe invidos cognovero; ſcibo enim me aliquid invidendum poſſidere, quo carent ipſi: namque virtutis comitem eſſe invidiam, & plerumque bonos inſectari ex Cic. 4. ad Heren. dici, cum mos ſit hominum, (idem de clar. orat.) ut nolint eundem pluribus rebus excellere, & recte quidem Plutarchus dicebat, ut Cantharides maximè læto tritico innaſcuntur, & roſis florentibus, ſic invidia maximè eos comitatur, qui virtute, aut opibus florent. Sed equidem fateor Meſſanæ multos me ſortitum fuiſſe invidos ut alios advenas; Romæ, & alibi perpaucos, quos ſemper irriſi, cenſens fore, ut fremerent, & tabeſcerent, quum legerim dicentem Verrinum.

Homerum dicebat dignum qui ex certaminibus ejiceretur, colaphisque cæderetur.

Male loquitur, quia bene loqui non didicit.

Perſ. ſat. 7.

Abſentem etiam verberet.

Invidia eſt animæ tinea, hæc ceu Vipera mordet,
Auctorisque ſui viſcera prima ferit.

Et Antiſtenem. ὥσπερ ὑπὸ τοῦ ἰοῦ τὸν σίδηρον, οὕτω ἔλεγε τοὺς φθονεροὺς τοῦ ἰδίου ἤθους κατεσθίεσθαι. Sed hæc parergo, nos verò περὶ δὲ ὁ λογός. Unus pro omnibus erit nobis Galenus, cujus ſententia ex libris ſimplicia cognoſcere, haud quaquam licet.

Apud D. Laertium: ſicut rubigo ferrum; ita invidia invidos conſumere.

Nam

Nam primo de Antid. c. 2. *aliquo commonstrante*, inquit, *& verbis docente, nec semel, bisve, aut ter: sed sæpius ad modum sigillatim observasse, necessum est*, quod repetit 2. de comp. med. per. g. c. 2. *Hinc puto*, inquiens, *bonæ indolis juvenes incitatum, iri, ut medicamentorum materiam cognoscant ipsimet inspicientes, non semel, aut bis; sed frequenter, quoniam sensibilium rerum cognitio sedula inspectione confirmatur*, addit paulò post. *Quisquis igitur auxiliorum undique copiam habere volet, omnis stirpium materiæ, animalium, metallorum, & absque metallica natura terrestrium corporum, quæ ad medicinæ usum ducimus, expertus esto, ut ex eis, & exquisita, & nota cognoscat. Nisi enim hoc modo instructus ad operis præsidia veniat, verbo tenus quidem medendi methodum sciet, opus vero nullum ipsa dignum perficiet.* Notanda autem est hæc sententia, quam 6. de simpl. med. fac. initio probare videtur. *Id genus hominum* (effatus) *simillimum est præconibus, qui formam, ac notas fugitivi Mancipii, licet ipsi non viderint unquam, præconio tamen publicant: notas enim ab aliis, qui norunt, accipiunt, & ceu cantilenam eas proferunt, ut si fortè is, quem præconio indicant, propè adsisteret, agnoscere tamen non possent.* Et hæc Galenus de necessitate cognoscendi simplicia. Quare sicut Medicus simplicium ignarus, non est bonus Medicus, ita Academia, quæ Horto simplicium publico caret, ubi medici, & pharmacopœi doceri debeant, non est perfecta Academia, quia omnibus numeris absolutæ dicuntur Academia Patavina, Pisana, Bononiensis, Perusina, Monspeliensis, Parisina, quæ & Hortum simplicium possident, & Anatomen exhibent. Est autem conveniens in omnibus Universitatibus Hortus simplicium publicus, non solùm ad πλήρωμα, & perfectionem Academiæ, & ut discant juniores Medici, atque Pharmaco-

Ut ad institutum sermonem refertur.

☞ *notandum.*

Perfecta Academia quæ.

Complementum.

Rrr poei,

pœi, seu ad urbis ornatum, & decus: sed quod maximum! Quod optandum! ad civium salutem necessarius omninò est. Quot namque (quæso) errata à pharmacopœis in simplicium delectu committuntur? quot ægri inde necantur?

Virg. 11. Æneid.

Lumina tot cecidisse ducum, totamque videmus
Consedisse urbem luctu.

Si Medicus, si pharmacopœus ipsa quibus egetis simplicia, ignorabunt, absque controversia alterum pro altero afferent, & forte venenum pro Alexipharmaco, & Bezoartico emetis; pro vita Mortem.

Hortus Patavinus.

Nec urbes cæteras rei novitas, aliudvè quippiam retardare debet, quin Hortum construant. Quoniam celeberrimus Hortus Patavinus primum à nescio quo anno 1540. constructus fuit, sed secundus Horti præfectus anno 1545. Aloysius Mundella dicitur; tertius Aloysius Anguilliara; quartus Melchior Guilandinus, quintus Jac. Ant. Cortusius; sextus Prosper Alpinus, septimus denique Prævotius, qui paucis ante annis obiit: Medici quidem omnes præclarissimi, ut ipsorum edita opera testantur, non autem Olitores, vel Hortulani stolidi. Cui Horto Illustrissimi Senatores sua benignitate me præesse post Prævotium, nisi tunc Messanenses, me Roma abripuissent, in animo habebant, nam ea Respublica Δῆλον δὴ ὅτι σοφή τ' ἐστὶ ϗ ἀνδρεία ϗ σώφρων, ϗ δικαία. Pisanus Hortus constructus fuit 1547. primo præfecto, Eruditissimo Luca Ghino; secundo verò Andrea Cæsalpino viro celeberrimo, præceptoreque meo dilectissimo: nunc nonus Præfectus vivit, Dominicus Vigna. Romæ autem non extat memoria (quod legerim) nisi Castoris Durantis, & Michaelis Mercati, Clementis VIII. Medici clarissimi, qui Hortum simplicium in Vaticano restauravit, & Metallothecam exornavit, cujus dirutæ partes aliquas obtinui: Deinde

Plat. de Rep. l. 4.

Constat utique quod sapiens est & fortis, & temperata, & justa.

Hortus Pisanus.

præfuit

præfuit Andreas Baccius, ſcriptor inſignis, alter Præceptor meus cui ſucceſſit Joh. Faber; huic autem ego, in Academia, ſimplicium Theoricam & uſum, in Horto practicam docens; nunc autem Meſſanam profectus, nobilem urbem, ad Theoricam explicandam: & Philoſophiam jam, & Anatomen, docuiſſe publicè non modo fateri non pudet, ſed maxime glorior: ex his enim cognoſcent invidi æmuli, (ſed quid dico æmulos, cum pares invidos non habeam, ſed diſcipulos, & inferiores?) quantum in praxi illis præeam. *Romanus.*

Quod ſi ſimplicium ſcientiæ nobilitatem, jucunditatem quæ ex eorum nobilitate, ac delectatione, qui hanc obtinuerunt, probare vellem, non Philoſophos modo illuſtriſſimos, Pythagoram, Democritum, Ariſtotelem, Theophraſtum, & Chryſippum, qui de plantis ſcripſerunt, proferrem: Verum in primis Reges, qui de plantarum viribus volumina ediderunt, quales Rex Salomon; Attalus, Pergami Rex; Joſinus Scotorum Rex; Mitridates Ponti Rex; Evax Arabum Rex; qui ex Plinio lib. 31. c. 2. Neroni ſuum de viribus herbarum dicavit opus: Et alii etiam fuiſſe dicuntur, quibus Magnum Catonem, & polyhiſtorem Plinium, Senatores Romanos inſignes adderem, nec non etiam his eos jungerem, qui plantas à ſe inventas voluminibus ſuis inſerentes, tum illas, tum ſe ipſos nobilitarunt, ut Lyſimachum Macedoniæ Regem, herbæ Lyſimachii inventorem; Telephium Miſiæ Regem, Gentianæ; Teucrium Trojæ Regem, Teucrii; Eupatorem Mitridatem, Ponti Regem, Eupatorii; Clymenum Minytarum Regem Clymeni herbæ inventorem; nec Artemiſiam Mauſoli Regis Cariæ uxorem, à qua Artemiſia herba nomen ſortita fuit; nec Alcibiadem Athenienſium Ducem, à quo Anchuſa dicta fuit Alcibiadion: immo nec Galliæ Reginam, nec Cardinalem Sanctæ Crucis, à quibus Tabacci planta, tum Regi- *Nobilitas ſcientiæ ſimplicium.*

næ, tum Sanctæ Crucis nomen obtinuit, ab altera enim exculta fuit, ab altero verò semen Romam delatum: nec similes alios omitterem. Si quæritis, quos hortorum cultus delectavit. Plinius lib. 1.9. c. 4. *Romani quidem Reges*, inquiet, *ipsi Hortos coluere*, quippe etiam Superbus Tarquinius ex horto sævum nuntium remisit, (ut etiam Livius lib. 1. & Valer. Max. c. 4. lib. 7. testantur) decutiendo Papaverum capita. Alcinous Rex Pheacum diligenter hortos excoluisse dicitur. Sed floribus, & hortis se Cyrus etiam, & Semiramis delectaverunt. Et M. Varro memoriæ prodidit, Nestorem (qui belli Trojani temporibus vixit, & tam longævus fuit, ut nunc etiam Nestoreos alicui annos precari soleamus) ita fuisse huic studio deditum, ut ἀλεξίκηπον id est auxiliarem hortum carmine quoq; descripserit. Pariter Lucullus, & Sylla: imo Marcus Curius Imp. Rom. post devictum Pyrrhum Epiratorum Regem, L. Cincinnatus, M. Valerius Corvinus plantarum amœnitate allecti, procul à strepitu & ambitione civili, ruri consenuerunt. Sic apud Suetonium Cladius, abjecta spe dignitatis, in Hortis delitescebat. Thraseas in hortis degebat ex Tacito, tantiq; apud Diocletianum voluptas hæc fuit, ut præ ea Imperatoriam contempserit majestatem: deposita enim sponte purpura, totus in hortis suaviter consenuit, pluris faciens olera sua, & lactucas, quam purpuram. Post quorum tempora, Fridericus III. (ex Cuspiniano in Cæsar. inquit Camerarius cent. 3. num. 19. memorabilium,) qui 53. annis imperio felicissimè præfuit, rei herbariæ ita fuit intentus, & tantum in ea profecit, ut sæpius cum Medicis suis animi gratia de plantis, & earum viribus prolixe disputare, non erubuerit. Tacebo equidem proximioris ævi Reges, & Principes, qui se totos plantarum cognitioni, & culturæ dedere, ut non solum florem varietate, & amœnitate, sed vel maxime, ut

Hortorum Cultores.

viribus

viribus fruerentur. Dicet Vecors: Simplicium ſcientia eſt impoſſibilis quia ipſa videntur infinita: huic cum poeta reſpondendum.

Hæc dum incipias gravia ſunt, *Terent. Henuton. a. 5. ſc. 5.*
Dumque ignores, ubi cognoris facilia.

Dicet alter: non decet Medicum eſſe Hortulanum, vel Olitorem.

πῶς φής; *Euripid. Jon. a. 3.*
ἄφατον ἄφατον! ἀναύδητον
λόγον ἐμοὶ θροεῖς. Virtutem vituperas? *Quid ais nefandum, nefandum, inauditum ſermonem dicis mihi.*

Cum ergo ſimplicium cognitio Medico neceſſaria, & in hac multos præcellam Medicos, ut qui Romæ publicus fuerim ſimplicium Profeſſor, & meæ peritiæ ſpecimen exhibuerim in libro de rarioribus plantis Horti Farneſiani, quem ſub nomine Tobiæ cujusdam Aldini edidi, invidi æmuli, ac ſi ſimplicium ortum, & culturam tantum inveſtigarem; me, in ſpretum, herbarium, bonumque ſimpliciſtam vocant. Sed equidem id mihi gloriæ ſumo, & invidiam irrideo, quum aliquod me habere fateantur, quo carent ipſi: etenim ſi hanc Medicinæ partem poſſideo, cæteris non careo, ut ipſi, qui nihil ſcientes, multa ſe ſapere jactant & onagri ſunt. Ego multum in facultate hac laboravi, extant duæ meæ Epiſtolæ de Helleboro, & tractatus de Arſenico, latent autem, aliquando lucem viſura *Hippocratis materia medica*, ſeu explicatio omnium plantarum, mineralium, Animalium, quorum nomina, & uſus apud Hipp. reperiuntur. *In Dioſcordis libr. 1. & 2. prælectiones. Opobalſami ſuccedaneum,* item *Aloedarium, de Gutta Gemù, de Mineralib. de Aquis Romanis, de Lapide Lazuli, Chalcanthum Triumphans, Chalcanthum Anticletum, de Odorib. & ſuffumigiis, de Animalibus inſectis,* nec non *Reſponſio,* ad Joh. Ponam Vero- *Auctor ſimplicium peritus.*

nenſem, ad ea, quæ notavit in lib. de Rariorib. Plantis Horti Farneſiani. Sed te dicentem audire viſus ſum: Vulgaria hæc apparent. At ego.

Quisquis es ò, modo quem ex adverſo dicere feci
Perſius ſ. 2. *Non ego, cum ſcribo, ſi forte quid aptius exit*
Laudari metuam, neque enim mihi cornea fibra eſt,
Sed recti finemque extremumque eſſe recuſo
Euge tuum, & Belle; nam belle hoc excute totum
Quid non intus habet?

In arenam te expecto, loquere palam. At irridendæ ſunt quædam publicæ Academiæ, quæ ſimplicium Doctorem ſibi elegerunt, ſimplicium penitus ignarum, qui nec Braſſicam agnoſcit, & publicè audet de ſimplicibus effari! Cæcos à cæco duci volunt, quid diſcent Auditores? non faciem ſimplicium, quam ſermocinator ignorat: an Vires? ſed qua utilitate? ſi res laudata non patet, *non conſtat de corpore delicti*, ut cum Juriſperitis loquar.

De Pharmaceutica.

Sectio 12.

COgnitis de facie ſimplicibus, non minùs debet optimus Medicus φαρμάκευσιν, ſeu miſcendi rationem cognitam habere; non ſolum, ne à pharmacopæis decipiatur, & irrideatur; immo eos ut docere poſſit; ſed ut ægrotantibus proſit: medicamentorum peritus, quæ componi jubet, miſtionem, trituram, cocturam, uſtionem, & ſimiles præparationes optimè noſcens, quas in mea pharmaceutica clare, & diſtinctè enumeravi, & quod maximum eſt, ut optimos, & clariſſimos Medicos imitetur, quos hanc artem probè tenuiſſe conſtat; quales Archigenes, Andro-

Andromachus, Asclepiades, Apollonius, Heras, Crito, Galenus, & alii plurimi fuere, ut ex isto Galeno patet lib. de Antid. de Theriaca duplici, de comp. med. secundum locos, & per genera, immo gloriatur se Theriacam pro Imperatoribus parasse; ergo fuit Cæsaris Pharmacopœus Galenus! nec mentior: audite ipsum primo de Antid. primo sic scribentem. *Imperator Antoninus Antidotum laudabat à Demetrio Medicorum primario confectam. Eo vita functo, Euphrati per litteras significavit, quis nam Medicus imperatoriam antidotum conficienti Demetrio affuisset. Ab eo itaque cum intellexisset me semper Demetrio, quoties Theriacam componeret, astitisse, tum quidem eam me per litteras componere Antoninus jussit.* Anne, qui Medicamenta componit est pharmacopœus? alibi fatetur se pro aliis ægrotantibus medicamenta parasse: & hujus artis admodum peritum fuisse, ex ejus scriptis constat. Nunc autem Collegiorum Medicorum nomine extant Antidotaria, uti Romanum, Florentinum, Bononiense, Coloniense, Mantuanum, Augustanum, & alia plurima, in quibus optimi Medici pharmaca conficiendi modum suos Aromatarios docent, proprio autem nomine Mercurialis, Trincavellius, Fallopius, Vidius, Fuchsius, Mindererus, Occo, Rondeletius, Silvius, Jubertus, Oddus, Renodeus, & alii Medici doctissimi de comp. med. scripserunt ad imitationem P. Æginetæ, Oribasii, Actuarii, Avicennæ, Serapionis, Albucasis, Mesues, & aliorum illustrium virorum, qui non potuissent Pharmacopœos instruere, si artis Pharmaceuticæ imperiti ipsi fuissent.

Galenus Pharmacopœus.

Antidotariorum auctores.

Nec ab hac arte compositiva antiqui Reges & præclarissimi viri abhorruerunt, quales Mitridates Rex, Demetriusque Macedoniæ Rex, quorum composita extantia illos æternitati commendat. Uti quoque Adrianum Antidotum ab Adriano Impe-

Regis Pharmacopœi.

Imperatore compositum, Justinum ab Imperatore Justino, Esdra magna ab Esdra Propheta, sic Diatrionpipereon Herodis Regis, Sal Sacerdotum in Diebus Heliæ Prophetæ compositum, Davidis Regis potio, Syrupus Regis Sabor, Diacassia, & Trochiscus Theodosii Imperatoris. Ung. Agrippæ, Regis Judæorum, & similia, suos Auctores in hominum memoria reviviscentes retinent.

Propter lib. 3.

Magna Viri Merces parat ultima terra triumphos
Tigris, & Euphrates sub tua jura fluent.

Nec nostri ævi virorum illustrium desideramus exempla; cum habeamus Electuarium de Ovo Imperatoris Maximiliani, adeò ad Pestem decantatum, & multa medicamenta Magni Ducis Hetruriæ benignitate per orbem circumferantur, chymicè summàque diligentia præparata, immo etiam Cleopatra insignis Ægypti Regina de comp. med. libros exaravit, ex quibus non pauca transcripsit Galenus. Sancti denique viri Medicamenta composuerunt, inter quos mea Sancta Francisca Romana emicat, quæ **Antidotum**, & Unguentum mirabile composuit, quæ nunc etiam in eodem Cœnobio à Monialibus parantur suis. Quod si tot viri Illustres Pharmacorum miscendorum peritiam habere affectarunt, dedecebit nè Medicum?

Magni Ducis Hetruriæ benignitas.

Terent. Andria. ac. 1. sc. 2.

Homine imperito nunquam quicquam injustius,
Qui, nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.

Equidem existimo Medicum optimum hujus facultatis expertissimum debere esse, alioquin fore, ut ferè semper in præscribendis medicamentis compositis erret, proinde ego publicè aliquando Aromatarios miscendi, eligendi, colligendi, & servandi pharmaca artem docui, & typis edidi de *Duratione Medicamentorum*; de *modo siccandi Simplicia*, de *El. rosato* Mes. Annotationes in *Antidotarium Romanum*,

num & *Pharmaceuticam artem.* Edenda autem apud me remanent, de *ratione ſimplicia exſiccandi* tractatus alter Philoſophicus. *Pharmaconomaſticum*, ſeu explicatio omnium nominum Pharmacorum compoſitorum, cum apud Antiquos, tum Recentiores extantium, & *Il Perfetto ſpeciale* vulgari idiomate, ubi totam artem Pharmaceuticam, antiquorum exemplis demonſtratam doceo, & criticam reſponſionem ad litem de Diaphœnicone Medicamento inter Philippellum, & Alſarium Crucium Medicos. Quid dicent de tot meis laboribus pigri invidi, & clam loquaces Zoili? inviti fateantur.

Eurip. Iphigenia, a. 4. Sapientis ſunt hæ rationes hominis, Tranſigere, & gubernare vitam cum prudentia.

Λελογισμένοι γὰρ οἱ τοιοίδ' εἰσὶ βροτῶν,
Ορθῶς διὰ ζῆν τὸν βίον γνώμης μετὰ.

ibidem. Aliquando quidem dulce eſt, non nimium ſapere:

At inter invidos degens, mihi mea nocet virtus, cum invidi ignari ſibi ſimiles ament, unde cum Achille reſpondere poſſem.

ἔςι μὲν οὖν, ἵν' ἡ ἡδὺ, μὴ λίαν φρονεῖν,
ἔςιν δὲ χ' ὥπȣ χρήσιμον, γνώμην ἔχειν.

Aliquando eſt ubi expediat ſapere.

Sed invidi canes cur latratis? quia imitari nequitis? conamini.

Quid fruſtra miſſis in me certatis habenis
Non datur ad Muſas currere lata via?

Labores noſtros illuſtravit Illuſtriſſimus Scriptor de Viris illuſtribus Leo Allatius. Zoili vero, Momi & ſimiles furiæ infernales in tenebris deliteſcent.

De Chymia.

Sectio. 13.

CHymiam, & Medicos Chymicos vituperant paſſim nebulones, ſed quid ſit chymia, qualis Medicus chymicus, & quis pſeudochymicus, ignorant. Unde tanquam cœcis de coloribus differentibus nulla habenda fides;

Quum taces Megabize mirantur te isti pueri. sed tacere jubendum. Refert Ælianus lib. 2. c. 2. Megabizum loquentem de pictura pueros melinam terram terentes derisisse, unde Zeuxis, ὅταν μέν σιωπᾶς, ὦ Μεγάβυζε, θαυμάζει σε τὰ παιδάρια ταῦτα, simul ac verò quid, quod ad artem pertineat vis dicere, te contemnunt, & subdit. φύλαττε τοίνυν σεαυτὸν εἰς τοὺς ἐπαινουμένους, κρατῶν τῆς γλώσσης, καὶ ὑπὲρ μηδενὸς τῶν μηδέν σοι προσηκόντων φιλοτεχνῶν.

Tu igitur ut inter laudandos censearis, linguam compesce: neque cujusquam, quæ nihil ad te attinent, opera, vel artem dijudica.

Dicet Libavius Alchymiæ lib. 1. cap. 1. *Chymia est ars perficiendi, magisteria, & essentias puras è mistis, separato corpore extrahendi*, seu potius dicam ego, est ars pharmaceutica deligentior, perfectior, & tutior: Pseudomachia verò, seu Paracelsica Alchymia ex Libavio, est *monstruosa quædam jactantia, ex ruditate, & scientia temeritateque conflata, miscens Medicinam Alchymiæ, & hinc omnes scientias pervertens.* Quare chymica medicamenta mihi inservient, ut pharmaca diligentius præparata, ob id tutiora, velociora, & jucundiora. Proinde, qui se Medicos nominant hoc nostro ævo, (nam evanuerunt Methodicæ, Erasistrateæ, Pneumaticæ, Empiricæ, & similium sectarum asseclæ) vel puri Paracelsici sunt, vel Galenici serviles, vel Galenici Philosophi liberi, & Galeno-chymici. Paracelsus quicquid novis ex Gal. & Avic. assumpsit; at nomina mutavit, ut novam sectam conderet, sed ut chymiæ peritus, Philosophiæ imperitus apparuit, multa iniqua, & magica assumens; puri autem Paracelsici omnia, atque etiam sputa sui Monarchæ exosculantur, quod in omnibus putent aliquid divini latitare, & mysteria mera crepant. Hujus, & asseclarum medicamenta recipimus, sed philosophandi modum rejicimus.

Paracelsus rejectus.

Dogmatici autem Hipp. & Galenum sequuntur, quorum quidam ingenium servile habentes, ne latum quidem unguem à dogmatibus Galeni sibi discedendum putant. Hi tanquam

Dogmatici irridendi.

quam timidi nimis irridendi sunt, cum Cassia, Rab. Manna, Mirobal. Sy. Rof. Bezoar, Diacintho, Diacatholicone, & similibus Galeno incognitis pharmacis: sed præcipue, cum Aq. rosacea, cicorea, ardente, & similib. quæ Chymiatrorum inventum sunt, utuntur, cum juraverint in Medicamentis Magistri, & utantur modo pharmacis Galeno ignotis: Tertia secta est eorum, qui Hipp. & Gal. duces agnoscunt in Theorica, Prognostica, & Medendi methodo; sed remedia quærunt velociora, tutiora, & jucundiora, quam noverint Antiqui, inter quos eminent Arabes, Avicenna, Mesua, Rasis, Albucasis, & ex posteris Arnaldus, Ulstadius, Libavius, Fernelius, Quercetanus, Daniel Sennertus, & alii plurimi, immo tota Germania, pars Italiæ, Galliæ, Poloniæ, isti utramque Medicinæ partem optime noverunt. *Zoili* verò volunt, quod Galenus ignoravit nos quoque debere negligere! sed si in omnibus artibus aucta est peritia, cur nihil Medicinæ addendum? Avic. Mes. & alii receperunt, & mire laudarunt chymica arte parata pharmaca: nos quoque ea commendabimus, in usum trahemus, derisis vituperatoribus ob ipsorum ignorantiam, Alchymiæ autem pharmaceuticæ (desero Chrysopœiam) dignitatem adeo restituit Libavius contra Scholam Parisiensem, ut nil amplius addi posse videatur: quæ si legisset, ut & alia Chymicorum scripta quidam, satius duxisset tacere, quam chymiam sibi ignaram accusare. Dicere possent pueri.

Hippocratici universales.

Dignitas Chymiæ.

Phœbo fave, novus egreditur tua templa Sacerdos,
Huc age cum cithara, carminibusque veni.

Tibull. lib. 4. Eleg. v.

Seu potius.

Cedite Romani scriptores, cedite Graji,
Nescio quid majus nascitur Iliade.

Prop. lib. 3.

Parturient Montes: nascetur ridiculus Mus: procul autem absit, ut meis illustretur scriptis tantum facinus, sed quod de Annalibus Volusii cecinit Catullus,nos quoq; proferemus.

At vos interea venite in ignem
Pleni Thuris, & infacetiarum
Annales Volusii cacata charta.

Medici Galenico-chymici munus erit, ut aliorum omnium, nempe ut cito, tuto, & jucunde curet: quæ munera quia perfectius Medico-Hermeticus præstabit quam purus Galenicus, ob id perfectior Medicus judicandus, quin citius curabit, minori periculo, & jucundioribus medicamentis: sic spargirica arte præparata pharmaca sæpe tutiora, sæpè velociora, semper autem sunt jucundiora, chimicus enim ad majorem reducit puritatem, quam vulgaris pharmacopœus, partibus excrementosis, impuris, & relollaceis separatis, unde remaneat medicamenti essentia quantitate minor, proinde jucundior assumptu, sed viribus auctior, quia virtus unita fortior, unde citius in actum reducitur, quia purior; & contrariis excrementis libera, tutius assumitur. Caruere quidem his Hipp. & Galenus, caruerunt etiam Manna, Cassia, Sena, Rhabarbaro, Myrobalanis, Sy. Rosaceo, Thurbit, Bezoar, Scorzonera, Santalis, Guajaco, China, Salsa, Tabacco, Nuce myristica, & similibus infinitis, an ob id hæc vituperabitis? nonne perquam belluinum est inventis frugibus glande vesci velle? Pharmacopœorum officinæ undique Medicamentis ab Arabibus compositis, repletæ spectantur, exulant Hippocratis elleborum, peplium, elaterium, & alia omnia; ex Galenicorum silva medicamentorum adeò copiosa in libris de com. med. tradita, præter Theriacam, & Mithridatium, ac Philonium pauca admodum sunt in usu. Cætera, quæ in officinis prostant, partim ex Mesue, Avicenna, & Nico-

Galenico-chymicus perfectus.

Medicamenta incognita antiquis.

Nicolao, partim verò ex recentiorum libris collecta sunt. Sed mirandum est, puros Galenicos Chymiam vituperantes, tamen non clam, sed palam spagyricis remediis uti: nonne aquis destillatis utuntur continuo è cicorea, borragine, scorzonera, rosis, & ex aliis foliis, ac floribus? nonne aquam ardentem passim potantes aspiciunt? chymicum inventum: est ne ulla pharmacopœa, quæ his careat? vituperabunt fortasse olea destillata ex Aniso, Cinnamomo, Caryophyllis, Mentha, Absinthio, Mastice, & similibus? & qua occasione? serum destillatum cur tot puri Galenici commendant si chymica omnia explodenda! nonne maximi usus est præcipitatum in ulceribus Gallicis? chymicum opus! taceo sulphur, stibium, & mercurium sublimatum, nec non essentias; extracta, tincturas, sales, elixiria, ac Balsama vulneraria, quæ jam in officinas publicas irrepsere. Tu Mysochymice meliorem medendi Methodum, perfectiora remedia novisti unquam? non antiquata, rancidaque propone, nec brassicam recoque, sed electa,

Irridentur Medici quidam.

Nunc mihi si qua tenes, ab origine dicere prima
Incipe; suspensis auribus ista bibam.

Proper. lib. 3.

Addam si chymica remedia explodenda, tanquam Venena, quid dicet Zoilus de Medicamentis chymicis à Serenissimo Magno Ætruriæ Duce summa benignitate, ac liberalitate, atque sumptibus transmissis ad Europæ principes, & magnates? an hæc quoque venena? cave ne in crimen læsæ Majestatis incidas, palam quidem est ferè, miracula in assumentibus deploratis apparere: pudeat ergo Zoilum quicquam contra chymiam obmurmurasse, comburat suas conspurcatas ignominiis chartas: supplicet chymicis, ut aliquid luminis ipsi cœco benigne impertiri non dedignentur, sciat in Germania Medicinam exercere chymiæ ignarum non posse:

In Zoilum.

& vix in Gallia, & in Italia. Unde Matthiolus lib. 4. Epist. ad Andream de Plauen *neminem*, inquit, *Medicum absolutum esse posse: imò nè mediocrem quidem, qui in chymia non sit exercitatus.* Quod confirmat Sennertus de consl. Med. c. 18. & alii plurimi doctissimi Viri. Audite Cardanum l. 17. de subit. *Chymistica ars habet*, inquit, *admirabilia plura, pulchra non pauca, nonnulla salutaria, efficacia quædam, alia quasi divina.* Scaliger exerc. 23. irridet novos Galenistas distillationum vituperatores. Trincavellius lib. 1. de comp. med. c. 19. pugnat contra vituperantes aquas distillatas, & Galenicorum quis est modo, qui aquas distillatas projiciat? Mercurialis, Cæsalpinus, Capivaccius, & alii Galenici doctissimi non abhorrent quandoque ab Antimonio. Sed ut hæc majorem vim habeant, dicam: si Avicenna chymicus esse voluit, cur nos nolumus, ne totam adipiscamur Medicinam, & semi-medici remaneamus? in vita Avicennæ scribit Sorsanus discipulus, eum de Alchymia libros composuisse, at Avic. Alchymia usus fuit non solum in partium temperamentis investigandis, ut mirari subeat maximam Avic. diligentiam, nam l. 1. doc. 4. c. 2. *Nos autem*, inquit, *quum duas quantitates ossis, & pilorum in pondere æquali assumpserimus, & eas in cucurbita alembico supposito distillaverimus, egredietur ex osse plus aquæ, & plus olei, & remanebit minus fœcis, os ergo pilo humidius est.* Nos etiam docent destillando invenire aquarum Thermalium temperamentum, & mixturam Fallopius de Therm. aquis c. 9. Baccius de Thermis, lib. 2. c. 3. & alii. Mesues autem multa chymica docet: ut cap. de Rhabarbaro dicens: *ex eo integro ut est, accipitur quantitas magna, & submergitur in aqua per dies quinque & dimittitur aqua illa siccari, & fiunt inde trochisci, & sunt ipsi medicina regum;* Extractum dicunt chymici, quam rationem

Avicenna chymicus.

tionem novit etiam Dioscorides, & docuit de Acacia, de Gentiana, de Lycio, de Glycyrrhiza, de Hypocistide, de Centaurio minori, succum, & liquamentum vocans. Idem Mesues in Antidotario, *Olea*, inquit, *per resolutionem variis fiunt modis, virium sanè mirificarum. De quibus scribunt fusius rerum occulta manifestantes & detegentes Sapientes, tibi omnino legendi & imitandi, si famæ illorum maxime es cupidus. Mihi vero Dei spiritus largitate & gratia nunc pauca quædam mirabilia illorum oleorum effecta percensere sufficiat.* Sylvius in Commento: *res est*, inquit, *omnibus aliis remediis planè divinior, & si Ulstadio, Gebro, & veritati credimus, quanquam hodie sunt Idiotæ quidam, magnorum tamen Medicorum nomine se venditantes, qui id ipsum, ceu nugatorium calumnientur, ut alia prope omnia pulcherrima ignorant, solas (ut vocant) receptas scribere, nulla tamen ratione scientes.* Deinde docet Mes. quædam olea destillari per ascensum, ut ex ovis, ex frumento, è synapi: nec non è lignis juniperi, & fraxini, per descensum, utroque autem modo Ol. è Gagate: Denique docet Oleum è lateribus, quod Philosophorum, sapientiæ, perfecti magisterii, benedictum, sanctorum, & divinum oleum vocat: ex quibus patet Mesuem cum summa veneratione efferre chymicorum opera. Unde etiam aliis medicis magnifacienda erunt. Mihi vero plurima in mentem veniunt pro chymica facultate dicenda, sed pauca hæc nunc sufficiant, ut cognoscant Idiotæ Medicum undique perfectum debere etiam esse chymicum, & simul etiam, ut cognoscant Pseudomedici isti larvati, qui verbis & fraudibus confidunt, se illorum egere, quorum impos erat Antisthenis discipulus: nempe φησὶ βιβλιαρίου καινοῦ, καὶ γραφείου καινοῦ, καὶ πινακιδίου καινοῦ, & demum, ut cognoscant Principes, & Respublicæ quæ Medicum advocaturæ sunt, modum

Mesues chymicus.

Medicus optimus etiam chymicus.

Libro novo, stilo novo novaque tabella.

dum eligendi perfectum Medicum, qui cum aliis supra dictis dotibus, junctam etiam chymiam possideat. Mihi autem edidisse multis ab hinc annis contigit *Chalcanthinum dodecaporeon.* Deinde etiam Italicè *de spiritus Vitrioli* facultatibus: lucem aliquando etiam aspicient *Verbetius verberatus*, ubi respondetur ad ejus objecta Dodecaporio Chalcanthino. *Chalcantum anticletum, Chalcantum Thriumphans, Chymicæ prælectiones; Chymicæ operationes fidelissime relatæ, Mendacia chymicorum* detecta, *Officina Chymica*, & *Index remediorum* chymicorum κτ̓ τόπȣς.

Auctoris chymica.

Patet ergo Medicum quemlibet, ut perfectus dicatur, magnum illum Philosophum superare debere, qui πεντάθλος dicebatur, hoc est quinque certaminum: namque naturalia, moralia, mathematica, liberalium disciplinarum rationes, artiumque omnem peritiam callebat. Medicus vero, linguarum, Dialecticæ, Physicæ, Mathematicæ, Anatomes, Theoricæ, Practicæ, Diæteticæ, Chirurgiæ, Simplicium, Pharmaciæ, & Chymiæ expertus esse debet, & ita δέκαθλος, & δωδέκαθλος. In Magno autem morbo, in quo perfecto opus est Medico, qui optimum Medicum nancisci nequiverit, conetur totam artem ex duobus, vel tribus simul junctis consarcinare, ut alter alterius defectum suppleat: sic cognito morbo apta innotescent remedia, felicissimus autem æger censendus erit, qui Medicum omnibus numeris absolutum, & omnes prædictas Medicinæ partes optime tenentem sortitus fuerit, sed fortè dicent: lucerna accensa ἄνθρωπον ζητῶ, at qui invenerunt parvi faciunt.

Conclusio.

Hominem quæro.

Si illum objurges, vitæ qui auxilium tulit
Quid facias illi, qui dederit damnum, aut malum?

Bene. Terent. in Andria, a. 1. s. 1.

Ego verò dicam cum Solone ὦ πατρίς, βεβοήθηκα σοὶ καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ, & hic ubi dego potius cum Bione:

Πυρȣ̀ς

Πυρὸς ἐκόμισα, καὶ κριθὰς πωλῶ. Sed dicatis (amabo) si optimus Medicus non est, qui omnes recensitas medicinæ partes probè novit, & alios docere valet; anne optimos vocabitis, qui illa omnia ignorant? Mihi quidem aliter sentiendum videtur.

O patria tibi verbo & opere auxiliatus sum, frumenta attuli, hordeum vendo.

Porro deploranda quorundam mentis cœcitas, qui aliquem aliqua virtute præcellentem agnoscentes, ac si virtutes essent invicem contrariæ, & se invicem expellerent (ignorantes illud D. Hieronymi. *Omnes virtutes sibi ita cohærere, ut qui una caruerit, omnibus careat, & qui unam habeat, omnes habeat,*) unde ipsi eum vituperant potius, quam laudent, & Medicum, qui præstans sit in Astrologia, tanquam parum Astrorum observatorem vituperant. Anatomicum verò præclarum, tanquam Medicum obscurum, vel potiùs carnificem detestantur. At in simplicium cognitione versatum, veluti abjectum Hortulanum, quippe qui Morbos, & Medicamenta scire nequeat, derident. Chymicè tandem, atque diligenter præparata medicamenta expetentem, Cinislonem, & Alchymistam; ac si Medica chymia, sit eadem cum Chrysopopœia, vocant. Admirandum certè! Sic Cardanum, Fracastorium, Marsilium Cagnatum, insignes Astrologos, tanquam Medicos viles, flocci faciunt. Galenum eodem pacto, Vesalium, Columbum, Fallopium, Piccolhomineum, Laurentium, Sylvium, Aquapendentem, Anatomicos præstantissimos, veluti Carnifices, non Medicos, detestantur. Similiter Matthiolum, Bauhinum, Dodonæum, Cæsalpinum, Baccium, & similes exercitatissimos in Simplicium cognitione viros, ut Hortulanos derident, qui aliàs præstantissimi Philosophi, & Medici fuere. Quid proferam de Chymica remedia, & his utentes Medicos explodentibus? nisi puram ignorantiam, malitiamq; Momorum detegi. Sed rude Vulgus probos, doctos, & prudentes Medicos,

S. Hieron. in quot. serm.

Theoc. Idil. 9. Formica formicæ placere, cicada cicadæ. Accipitri solet Accipiter.

omnique virtutum genere refertos depellit: non enim eos novit à doctis omnino distinguere, ideo minus doctos sæpe amplectitur, extollit, colit. Profecto simile simili gaudet; docti doctos expetunt; indocti,& rudes indoctos quærunt. Τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ, ἴρηκος δὲ ἴρηξιν. Quid expectandum ab istis ignaris, nisi ignorantia, maledicentia, inurbanitas?

Ὄχνη ἐπ' ὄχνῃ γηράσκει, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.

Et Pyra nata Pyris, ficusq; in ficubus extant.

Benè profecto sui similes requirunt, sic etiam, καὶ γὰρ ὁ κύων κυνὶ κάλλιστον εἶναι φαίνεται, καὶ βοῦς βοΐ, ὄνος δὲ ὄνῳ κάλλιστον, ὗς δὲ ὑΐ. non mirum igitur si doctos invidia vexat, & indocti doctis præsunt, laudantur minus laudandi. Pseudojatros fortasse dicet.

quia tu Gallinæ filius albæ
Nos viles pulli nati infelicibus ovis.

Epicarmus in vita Plat.

Irrides, & subsannas? nos contra susurris, & maledictis depellemus, sepeliemus te: quid.

Etenim Canis Cani videtur esse pulcherrimus, & bos bovi & Asinus Asino, Sus item Sui videtur venuste præstare.

Juven. sat. 13.

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc, sciat alter?

Perf. sat. 1.

Officio propè functus es tuo, mi Zoile, (respondendo) tibi si virtus deest, malitia præsto est, tempore autem virtuti omnia cedent.

Et ex his constare arbitror, Medicum perfectum, optimum, & omnibus numeris absolutum, eum esse dicendum, qui omnes dictas ad medicum constituendum necessarias conditiones possidet. Et è contra patere itidem reor, his carentem, Medicum imperfectum, pravum, ignavum, numeris, & gradibus deficientem, ac mancum esse dicendum. Hic ergo libellus (æquissimi lectores) vobis pro norma, seu potiùs libra Medica ad Medicos fortes & graves, nec non invalidos, ac leves ponderandos inservire poterit: unde ex hac libra cognoscetis eos, qui 12. uncias complent, & Medici graves ac liberales sunt, cognoscetis itidem 8, 7. 6. & 5. unciarum Medicos, &

minoris

minoris etiam ponderis; ſed cavete vobis à Medicis uncialibus, qui ſe practicos tantum appellari, ſatagunt. Etenim unicam tantum unciam pendentes, ut nec Medici nomen jure mereantur, ipſos tamen Medicis maximi ponderis ſe æquiparare non pudet, impudenti tantum loquacitate pollent, abſurdaq; jactantia. Vos vero Idiotæ hos, quia parvi ponderis, parvi facite, parvi emite, parvo ſolvite: cavete ne ipſorum verbis decipiamini: Jampridem hos parabolanos qui advocant, irriſerat Plinius lib. 29. c. 1. *Palamque eſt* (inquiens) *ut quisque inter iſtos loquendo pollet, Imperatorem illico vitæ, necisque fieri.* Unde non noſtro tantum ævo hanc Medicinæ infelicitatem, hanc ægrorum peſtem, vigere opinabimur; ſed priſcis etiam temporibus viguiſſe, nonnè Hipp. Medicinæ calamitatem pluries deplorat? nonnè Gal. initio Meth. hæc ſcripſit? *Nemo, propè dixerim, hac noſtra ætate, veritatis inquiſitioni eſt deditus; ſed pecuniam, & civilem potentiam, & inexplebiles voluptatum delitias, omnes eo usque ſuſpiciunt, ut ſi quis ſapientiæ quodvis ſtudium ſectetur, pro inſano hunc habeant:* & paulo poſt ſubdit. *Me vero ex iis, qui me unice diligere ſunt viſi, nonnulli ſæpe increpant, quod plus juſto veritatis ſtudio ſim addictus, quaſi nec mihi ipſi uſus, nec ipſis in tota vita ſim futurus, niſi & ab hoc tanto veritatis indagandæ ſtudio deſiſtam, & mane ſalutando circumeam, & veſperi apud potentes cœnem. His enim artibus, tum amari, tum amicitias conciliari, tum verò pro artificibus haberi,* deinde addit. *Eoque jure fit, ut cum ægrotare ceperint, Medicos advocent, non quidem optimos, utpote quos per ſanitatem noſcere nunquam ſtuduerant; ſed eos, quos maxime familiares habent, quique ipſis maxime adulantur.* Tandem ait. *Itaq; non qui melius artem callet; ſed qui adulari aptius novit, apud iſtos magis in pretio eſt: huic omnia plena perviaque ſunt, huic ædium fores patent, hic brevi efficitur dives plurimumque poteſt.* Hac demum noſtra ætate, ſericea veſtis, ſumtuoſum vehi-

Galeni querimonia.

 culum,

culum, magna Mula, alicujus Principis ſervitus, adulatio, dicendi facundia, ſeu potius loquendi audacia, aliquando ſcurrilitas optimum efficiunt Medicum. Hic ab omnibus advocatur, hic Hippocrates, hic Æſculapius, hic Apollo cenſetur: O cœcitas humana! cum re vera Medicus nomine, re autem Carnifex ſit. Hunc audietis cæteros doctiores vituperantem, linguas vilipendentem, Philoſophiam aſpernantem, atque cum Petrarcha ſ. 7. dicentem.

Povera, e nuda vai Philoſophia.

Mathematicam deteſtantem, Chirurgiam abhorrentem, ſimplicia, pharmaceuticam, & chymiam irridentem, immo ſui ſimiles ac doctos illudendos irritantem. Sed ſi ſic eſt, & tales in pretio ſunt apud omnes, nobis fas erit, ad hanc dignitatem adipiſcendam ut fingamus & nos linguas ignorare, odio habere Philoſophiam, matheſin deſpicere, chirurgiam horrere, ſimplicia, pharmaciam, & chymiam irrideamus, ſibilo explodamus, ſic ceſſabunt invidiæ, tacebit Momus, vocabimur boni practici, optimi Medici, atq; ad omnes interficiendos infirmos convocabimur, & multam extorquemus pecuniam. At equidem, ut verum fatear, cum Socrate ſentio, qui dicebat. εἰδέναι μὲν μηδὲν, πλὴν αὐτὸ μηδὲν εἰδέναι, & cum eodem Philoſopho etiam dicam ἓν μόνον ἀγαθὸν εἶναι, τὴν ἐπιστήμην, καὶ ἓν μόνον κακὸν, τὴν ἀμάθιαν. Proinde cum idem Socrates, jam ſenex fidibus canere diſceret, quum vacaret, eum non pudebat; ſed objurganti reſpondiſſe fertur μηδὲν ἄτοπον εἶναι ὅτις μὴ ἐκμανθάνειν. Enim verò laborare debet juvenis Medicus, ut ſenex quieſcat.

Se ſcire nihil præter hoc ipſum, quod nihil ſciret.

Unicum eſſe bonum ſcientiam; malum contra unicum inſcientiam.

Minime pudendum quod quisque inſciat, dicere, Ovid. 2. de art.

Dum vires annique ſinunt tolerare labores,
Jam veniet tacito curva ſenecta pede.

Dixi ſatis, & clare, qui aures habet audiat.

ΤΕΛΟΣ.

JOAN-

JOANNIS ANTONIDES VAN DER LINDEN
MANUDUCTIO AD MEDICINAM.

LOVANII ſecundum edita

à viro clariſſimo

Vopiſco Fortunato Plempio

Medicinæ ibidem Profeſſore.

Typis COENESTENII 1639.

VOPISCUS FORTUNATUS
PLEMPIUS
MEDICINÆ IN ACADEMIA LOVANIENSI ANTECESSOR
Ad Studiosos suos.

Uæsitum sæpiculè itis ex me, qui Authores manibus vestris & ingeniis versandi sint, ut Medicinæ studium informetis, atque in eodem promoveatis. Cùm dixerim id modò his, modò illis aliquando privatim; volo eâ opellâ defunctus esse imposterum: ac simul & semel & omnibus & semper publicum responsum dare. Ecce igitur vobis responsum; ecce, inquam, meum in elegantissimo libello hoc Doctissimi & Politissimi Viri *Joannis Antonides Vander Linden*, qui brevi vos ad longam artem ducit, & securè & jucundè. Ad hoc paucos seligit & bonos Scriptores, & quibus scholasticam atque adultiorem fortassis ætatem impendisse, imò insenuisse

nuisse non pœniteat. Cùm crisi Herclè ex vasto Authorum grege, quos proponit, exemit. Multa insuper memoranda monita & documenta interspergit, quæ scire vestrâ interest permagni. Ea gratiosiùs & suaviùs in animos vestros irrepent, quia ornatè, venustè, quia disertè adferuntur. Nempe gratior est virtus pulchro veniens è corpore. Sed Scriptores, qui producuntur, an omnes boni? Boni omnes singulatim aliquibus, at non omnes omnibus. Isthoc esse omninò nequit. Sic de ingeniorum, uti de linguæ gustu fit; non sapiunt omnia omnibus eadem. Hoc minutal uni pergratum, alteri fatuum est. Itaque plures decuit nominare libros, ut quilibet sibi suum excerpat. Sed quos tu, ajetis, præcipuè commendas? Vobis? ipsos illos, quos hic commendat acris judicii Doctor & fruniti. Ego verò mihi? Hunc censum ineo. *Hippocratem* & *Galenum* antefero omnibus omnibus, & præ cæteris voluto. Ab hisce *Celsum* colo præcelsum virum, qui mihi simul doctrinæ Medicæ, simul puræ latinitatis succum instillat. Post veteres primas ferunt *Fernelius*, *Vallesius*, *Thomas à Veiga*, *Argenterius*, *Erastus*: quorum commentaria omnia, quod rarum est, solida, exasciata, &, ut compendio dicam, bona sunt. Loquor ex sententia mea. Inter Practicos *Salius*, *Forestus*, *Massaria*, *Saxonia*. In Anatomicis *Laurentius*, *Bauhinus*, *Spigelius*. Est quoque accuratus dissector *Riolanus* filius, & fide dignus: cæterùm scripta ejus sunt scopæ dissolutæ, & mera tantùm adversaria. In Chirurgicis *Pareus*, *Chalmeteus*, *Aquapendens*, cujus etiam Anatomica laudem merentur. In Herbariis *Dioscorides*, *Dodonæus*. Aphorismorum optumus post Galenum explanator est *Hollerius*, nisi *Vallesius* ei par sit. *Mercatus*

tus non tanti eſt; at in commentario *de recto præſidiorum uſu* ſe ſuperavit ipſe: veluti *Claudinus* in ſuo *de ingreſſu ad infirmos*. Adrident quoque *Septalii animadverſiones & cautiones Practicæ, pharmaceuticæ, & Chirurgicæ*: Controverſiæ ſolius *Valleſii*: Methodus medendi generalis *ejusdem hujus*. De febribus placet *Arculanus* & *Caprilius*. De Calculo *Beverovicius* nuperus & elegans Scriptor. Conſilia *Fernelii*, *Montani*, *Solenandri*, *Cratonis*. Denique *Platerus*, *Hofmannus*, & *Gardinius* lecti Profeſſores ſunt, ac mihi dilecti. At at de *Sennerto*, inquietis, usque adhuc nihil tu, diſtractiſſimo Authore, & jam jam exterendo, niſi recudatur? Genium habent ejus libri: omnes videmus: laudatoresque comparavit ſibi vir complures; ac laborum quidem, me quoque: eruditionis atque ingenii, non niſi Geermanos, iſt eſt, compilatores & rhapſodos.

Habetis, quos ego antehabeo, quos æſtimo, quos in oculis fero Authores; & quibus plurimum eruditionis acceptum refero. Vobis non placebunt iidem omnibus; certò ſat ſcio: quia inter cerebrum palatumque meum & veſtrum ſingulorum non convenit. Erunt etiam viri Clariſſimi, qui alios vobis laudent oggerantque: & hoc ſcio; eademque eſt cauſa. Quo circa varios proſtituit hic ſedulus Manuductor, ut omnibus faciat ſatis. Vos vobis deligite: utiles omnes ſunt & probi; non errabitis, quia jam ſelecti à lectiſſimo Cenſore. Hujus ergo amuſſim, quaſi Minoidis filium, in labyrintheo Artis, ad quam diſcendam ingredimini, ſtadio fidenter ſequamini licet: me videte. Scribebam Lovanii tertio Nonas Septembr. Anno cIↃ IↃC XXXIX.

JOAN-



JOANNIS ANTONIDES VAN DER LINDEN

MANUDUCTIO AD MEDICINAM.

HÆRET in prima via Medicinæ tyro, & copiâ librorum, & ignorantiâ eorum, qui & quando legendi aut eligendi ſint, pedem figit, imo tædio aut deſperatione pæne refert. Omnino iſtorum adeo numerus excrevit, ut neſcias pluſne ſtudiis acceſſerit, an Bibliothecis. Poſſunt (quis neget?) rerum novitate artes ditari, vel inventarum diligenti cultu. Sed ita invaluit ſcribendi cocoëthes, ut major pars nec notabilia aut laudabilia tamen maxime excerpant. Sunt, quos ineditos velis, & qui ſpecioſis titulis eludant, & in quos, ſi libere loquendum eſt, Cleobuli illud vetus conveniat: *Inſcitia in plerisque, & ſermonum multitudo.* Præterea, nullis quidem in ſaltibus ſolet venatio jucundior eſſe, quam in Bibliothecis; tamen diſſipatur animus in tanta lectionum varietate; nec raro in incertum tendit, dum fruges quærit in ſterili agro, petitque ex inani charta rerum copi-

am. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. Idem accidere neceſſe eſt iis, qui nullius ſe ingenio familiariter applicant, ſed omnia curſim & properantes transmittunt. Non prodeſt cibus, nec corpori accedit, qui ſtatim ſumptus emittitur. Nihil æque ſanitatem impedit quam remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebro medicamenta tentantur. Non convaleſcit planta, quæ ſæpe transfertur. Nihil tam utile eſt, quod in tranſitu proſit. Ideoque non diſtrahitur animus modò librorum multitudine, ſed nec ſufficit brevis vita arti à natura longæ per tot ambages & temporis diſpendia addiſcendæ. Imò vero plerumque ſumma etiam ingenia, dum aditum ſibi per omnia ſcriptorum monumenta ad artis ſuæ faſtigium moliuntur, tacita ætate prius conſumuntur, quam temporis jacturam ſentiant. Igitur certis ingeniis immorari & innutriri oportet, qui velit aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat. Huic, cum legere non poſſit quantum habuerit, ſat eſt habere quantum legat. Nec refert quam multos libros, ſed quam bonos posſideas. Et debet, qui quo deſtinavit pervenire vult, unam ſequi viam, non per multas vagari: non ire iſtud, ſed errare eſt. Volunt igitur, & dubio procul expetunt plurimi, & taciti ſæpe optant, eſſe qui ductor aut director ſit, & digitum intendat, quo & qua contendant. Difficile id, nec intentatum. *Sylvius, Mercurialis, Heurnius*, alii, præſtitere. Sequantur conſilium, *Hippocratem* cum fructu & *Galenum* evolvant, & *Arabum principem.*

Sed inquies: non mox adeundos Medicinæ proceres, qui judicium firment, non forment. *Hippocratem*, quod fallere aut falli neſciverit, divinum habitum; tamen dum brevis eſt, obſcurum fieri, & doctis etiam minus intelligi. Optu-

mum

mum ejus & universæ artis interpretem audire *Galenum*; tamen dum verbosus est, diem trahere, & spem inchoare longam. Profecturam *Avicennæ* lectionem, si versio verbis polita, fida sensibus foret (eam utinam nobis *Pelmpius* noster: & quam fortiter olim suscepit, conficiat feliciter!) Jamtunc quoque in eo tyrocinium tempestive poni, non cunabula. Initia ab alteris facienda. Quibus, consuluisse neminem. Hoc esse in votis, & Apollinari laurea donandum, qui præeat. Agedum tentemus & istam mereri, & bene de juventute.

Medicina nobis proposita: quæ, & cujusmodi? nam variat: & summa ejus divisio est, *Veterinaria* & *Medicina*. Illa, quæ animalium quorumlibet; ista, quæ solius hominis curam habet. In illa Mulomedici sunt, & Accipitrarii, & id genus: qui lucrum ab ignobili opere, & ignavam gloriam quærunt. Veteres, *Absyrtus*, *Demetrius*, *Vegetius*, *Columella*, pulchre eam nec inutiliter sibi fecerunt: cum à propria experientia morbidis animantibus singularia remedia conferunt. Sed hand partem mittamus, non nunc aut nobis adeundam.

Altera est vera *Medicina*: quæ quadruplex: *Empirica*, *Dogmatica*, *Methodica*, *Chemica*. Empiricæ genitrix necessitas, experientia nutrix. Audax illa, hæc fallax. Ab utraque consilia temeraria, sed quæ ægrotantibus facile desideratissima sanitatis promissione persuadentur; etiam ubi cum periculo tentantur: adeo blanda est sperandi pro se cuiq; libido. Horum quæ succederent, ad *Æsculapii* olim tabulæ suspendebantur: sacræ videlicet ejusmodi curationum Deo, & in rei memoriam. Experientiam casus genuit, usus educavit. Casu notarunt *ægrorum, qui sine medicis erant* (Celsi verba cito) *alios propter aviditatem primis diebus protinus cibum assumpsisse, alios propter fastidium abstinuisse: le-*

vatumque magis eorum morbum esse, qui abstinuerant. Itemque alios in ipsa febre aliquid edisse, alios paulo ante eam: alios post remissionem ejus, optime deinde iis cessisse, qui post finem, febris id fecerint. Eademque ratione alios inter principia protinus usos esse cibo pleniore, alios exiguo, gravioresque eos factos, qui se implerent. Igitur statim incipientibus morbis parciore victu aliis imperato, aliis cibatus horis, usus ex eventu docuit, quantum esset in diæta situm. Sic ab sanguine acute febrientem sanavit natura istoc ipso per nares liberaliter profuso. Usus deinde, ab Hippopotamo detrahendi modum edoctus, auxilii promptitudinem confirmavit. Fluentem alvum cotoneum forte stitit aut mespilum, probavit efficacissimus rerum omnium magister usus. Qui & ipse plurima rejecit, quæ minus responderent. Nec potuit utique aliter medicina nasci, quam subinde aliorum salute, aliorum interitu, perniciosa discernens à salutaribus. Adolescenti jam per experimenta medicinæ comitem se ratio dedit. Ea disserere de reperis remediis cœpit, morborum causarumque notitiam investigare, post hæc etiam naturalium actionum, novissime partium interiorum. Novum istud experientiæ cum ratione connubium mox plausum meruit & Professores. Quid mirum? Non satis potentem usum esse discebant, nisi corporum rerumque ratione comperta; & vanam rationem sine experimentis, & veluti scapham in alto absque remige fluctuantem. Ita utramque per se indigentem alteram alterius auxilio vigere. Experientiam nimirum, formicæ more, congerere tantum & uti: rationem vero, araneorum instar, telas ex se conficere: conjugii, ut apis, rationem mediam esse quæ materiam ex floribus horti & agri elicit; sed tamen eam propria facultate vertit & digerit. In Professoribus habuit maximum *Hippocratem*, virum & arte & facundia insignem, qui

qui primus medendi præcepta longe poſt hominum memoriam clariſſime condidit. Hunc deinde *Diocles Caryſtius*, *Praxagoras*, *Chryſippus*, *Herophilus*, *Eraſiſtratus*, clari ſunt ſequuti, per quos multum rationalis iſta nobis & ſalutaris profeſſio increvit, quæ, quod qui eam exercerent, in diverſas opiniones & curandi vias procederent, *dogmatica* poſtmodum eſt appallata, nomine ad hodiernum diem reſervato; & ſatis inique legitimæ iſti ſub Hippocrate impoſito. Nimium enim plus in ſectas olim Dogmatica abivit, & nimis inſolenter, divortio facto, Empiricam inſultavit, experimenta quidem eſſe neceſſaria non inficians; ſed adhæc aditum fieri non potuiſſe, niſi ab aliqua ratione contendens. Non enim quidlibet antiquiores viros ægris inculcaſſe: ſed cogitaſſe, quid conveniret, & in uſu exploraſſe, quod ante conjectura aliqua duxiſſent. Sed iſta vel invitiſſima fateatur neceſſe eſt, non poſt rationem medicinam eſſe inventam, ſed poſt inventam medicinam rationem eſſe quæſitam, Quin nihil iſtas cogitationes aut parum ad medicinam pertinere. Cæteroqui ſapientiæ ſtudioſos maximos medicos fore, ſi ratiocinatio hoc faceret: nunc illis verba ſupereſſe; deeſſe medendi ſcientiam. Morbos autem non eloquentia curari, ſed remediis. Eaque à certis potius, & exploratis petenda eſſe, id eſt his, quæ experientia ipſis curationibus docuerit, ſicut in cæteris omnibus artibus. Nam ne agricolam quidem, aut gubernatorem diſputatione, ſed uſu fieri. Quæ ſic accipe: Naturæ rerum contemplatio quamvis non faciat medicum, aptiorem medicinæ reddit, atque perfectum. Quamquam multa enim ſint ad ipſas artes proprie non pertinentia, tamen eas adjuvant excitando artificis ingenium.

Etiam *Empirice* ſuos quondam aſſectatores habuit non mediocres viros, *Serapionem*, *Apollonium*, *Glauciam*, &

quorum nobis libri superſunt, *Scribonium Largum, & Marcellum Burdegalenſem.* Hodie *medici nomine quidem multi, at opere valde pauci.* Equidem hercule in hac artium ſola evenit, ut cuicumque Medicum ſe profeſſo ſtatim credatur. Morbi enim tædia, vitæ dulcedo, ſpei fallacia, & amicorum commendatio efficiunt, ut homines facile in medicis qualibuscumque fiduciam collocent. Palamque eſt, ut quisque inter iſtos loquendo polleat, imperatorem illico vitæ necisque fieri. Quos nec dubium eſt, famam novitate aliqua aucupantes, animas ſtatim noſtras negotiari. Ergo fumoſos opifices & tabernarios,

(*Cujusmodi plures*
Nutrit terra hæc nigra impoſtores & agyrtas.)

atque illam omnem fæcem civitatum ſæpicule inclareſcere, quid mirum? diſcunt periculis noſtris, & experimenta per mortes agunt, atque hoc ipſum mercede faciunt: ut fides iis ſit, & facile diſperdant. Nulla præterea lex, quæ puniat inſcientiam capitalem, nullum exemplum vindictæ. *Pœna enim Medicinæ ſoli in rebuspubl. nulla præfinita eſt, præter ignominiam: hæc vero non lædit qui ex ea conſtant.* Sed quid apud indoctam inveteratamque conſuetudinem querendo *laborem ſerimus? iſte enim funis nihil attraxerit.* Quin factis potius oſtendamus medicus medicaſtro quid differat.

Ad rem, duplex hæc *Dogmatica* medicina: *Theoretica, Practica.* Illa, quid ſecundam, quid adverſam valetudinem faciat, requirit. Hæc tueri proſperam docet, & amiſſam reſtituere. Utraque à duplici hac materie iterum duplex: iſta, *Phyſiologica* eſt, aut *Pathologica:* illa, *Diaſoſtica,* aut *Therapeutica.* Iterumque *Phyſiologica* duplex: una, quid corpora noſtra ſint, revelat; & *Anatomica* eſt: altera, ex quibus principiis orta; *Phyſicam* appello. Ab

utra

utra ordiemur? *A Physica* ego censeo. Nam ut ordine & origine primo principia sunt, ita velim doctrinæ caussa horum cognitionem præcedere, imo eam adferri è Philosophorum scholis, ab medicis deinde repeti, quæ obiter illi & commode ex istis de sex rebus naturalibus in suos usus petunt, & fortean suffecerit *Fernelium* non præcipuum solum de his legisse, sed solum. Nisi *Plempium* adstatuas, accuratiùs nuperè res easdem persecutum.

In *Anatomica* non unus adeundus: pauci tamen, & qui? me auctore, *Laurentius*, *Spigelius*, *Bauhinus*. Singuli sua, singuli nova, omnes utilitatem habent. Neque nego eadem aliis esse. Sed nequeunt eapropter simul omnes evolvi aut omni ævo. Quamquam poterit hoc fieri, si, quod plu ries desidero, imo ipse meditor, sit, qui breviter & compendio, & quod caput est, judicio, ex omnibus unum corpus concinnet: nec aliud, quam quod ab ingenio quisque acutum, vel autopsia rarum dabunt, notet ac libet. Sed hoc dum fiat, iis utere, quos dixi. Atque in his *Laurentius* primus primas teneat, Methodus ei facilis, perspicua, & ad discendum apud quem tam absoluta? Jam controversa, dubia, obscura, quis diligentius tractavit? quis explicuit melius quam meus Anatomicus? *Laurentium* intelligo: & præpono (nec impono: quia ex animo ita sentio) omnibus, qui eandem Spartam ornarunt. Igitur auspicato sumatur ab hoc initium, & cum omni studio perlegator minimum ter. Semel nuda partium historia; iterum illa, sed cum auctoris, aut, quod malim, *Casserii* accuratissimis tabulis conferenda; quæ, ut firmius hæreat, denuo iteretur, & suis quæque capitibus quæstionum commentaria subnectantur. Aliquo jam modo, si non penitus, corporis fabrica perspecta, utilissime *Spigelius* adhibebitur & *Bauhinus* ad pleniorem notitiam, quam perficiet

ficiet crebra cadaverum inſpectio. Et ſuaſerim *Bauhinum* tunc legi, cum publice iſtorum ſectiones adminiſtrantur, quarum methodum nemo alter ſcripto eſt ſequutus uberiore: *Carpus* alioquin etiam ſtricto eſt adſequutus. Subit animum Verulamii in *Simplicem & Comparatam* Anatomiæ diſtinctio. Simplicem aſſerit, quæ corpori humano in univerſum competant, diligentiſſime, usque ad curioſitatem, & in minimis quibusque notaſſe, atque luculentiſſime tractaſſe partes ſingulas, earumque conſiſtentias, figuras, ſitus. Vere. Sed cur à poſticis non eſt qui ſectionem occipiat, quemadmodum ab anticis omnes? cur ſequimur antecedentem gregem? *Varolius* tentavit in capite, & perfecit cum fructu & laude. Et quin coſtis utrimque ubi incurvantur ſerratis remotiſque cum ſpina, longe alia & pulcrior & in multis utilior partium internarum facies ſit apparitura, nullus dubito. Fatiſcit tamen hactenus medicorum diligentia tum in hac, tum Comparata Anatomia, & circa varietatem, quæ in diverſis corporibus, partibusque ſingulis repetitur. Etſi dubium non eſt, internas partes parum admodum externis figuræ ſtructuræque varietate & lineamentis cedere, & corda, aut jocinora, aut ventriculos tam diſſimilia eſſe in hominibus, quam aut frontes, aut naſi, aut aures. Atqui in his ipſis differentiis partium internarum latere ſæpius cauſſas continentes multorum morborum. In quibus per alterantia curandis opera luditur à medicis, humores minime deliquentes criminantibus. Neque enim alterationem recipit res, ſed emendanda eſt & accommodanda ſeu pallianda per victus regimen, & medicinas familiares. Humores quoque in Anatomicis exercitiis prætermittuntur tanquam purgamenta & faſtidia. Tamen valde neceſſum eſt anquirere quales & quam multiplices ſint humorum differentium ſpecies, & in quibus receptaculis ſedes quis-

quisque suas nidulosque potissimum figat: & quo juvamento aut damno; atque his similia. Præterea non satis morbos vestigiis suis persequuntur, caussasque impressionum, aut partium interiorum ab iis læsiones cum attentione observant: apostemata nempe, ulcera, solutiones continui, putrefactiones, exesiones, consumtiones, contractiones, extensiones, convulsiones, luxationes, dislocationes, tumores, obstructiones, repletiones, omnesque materias præter naturam, quæ in corpore humano inveniuntur, calculos, carnositates, tubera, vermes, & hujusmodi. Cujus omissionis caussam non aliam arbitratur Verulamius, *quam quod ad primam inquisitionem, inspectio unius aut alterius Anatomiæ sufficere possit. Ad posteriorem vero (quæ comparativa est & causam recipit) necesse est, ut plurimarum dissectionum attenta & perspicax observatio adhibeatur. Prior etiam res est, in qua homines in prælectionibus suis, & in cœtu adstantium se jactare possunt; at secunda ea est, quæ tacita & diutina & experientia tantum acquiri potest.* De Physiologica habes.

Pathologicam ingero, quam licet trifariam partiare. Est *Nosologica*, est *Ætiologica*, est *Symbologica*. Una differentias, causas altera, tertia morborum accidentia, & signa recenset. Istæ, ut vides; simplices; hæc duplex: *Symptomatica*, *Semejotica*. Iterum hæc iterumque duplex: *Generalis*, *Diagnostica* aut *Prognostica*: *Specialis*, *Urocritica* aut *Sphygmica*. Valde, inquies, dividis. Fateor, nec animi vel argutiarum caussa: sed quia usu didici, nihil ad methodum, id est, viam rationemque docendi vel discendi æque idoneum & efficax esse. Quidquid enim in majus crevit, facilius agnoscitur si discessit in partes, ad quas ordine eo.

Nosologicam, *Ætiologicam*, & *Symbologicæ* partem alteram *Symptomaticam* quis præter *Galenum* suggesserit? quis morborum omnium & symptomatum differentias caussasque studiosius est rimatus? Itaque meo consilio, hunc aut eos hic primum adeas qui à Galeno minimum abeunt: quod per eorum vestigia tutior & facilior tibi cursus. Quid audio? mutilum esse Galenum in omnibus istis, nec morbum bene definivisse: nec formæ, quos vocant, agnovisse: temere continentis caussæ nec satis explicate meminisse: negligenter doloris & voluptatis Symptomata omisisse. Sunt minutula alia, quæ ab eo exigunt *Fernelius*, *Fuchsius*, *Comes Montanus*, *Argenterius*; novitatis nescio mage cupidi an veritatis. De *Argenterio* scio, acri fuisse ingenio virum, doctum & qui à doctis teratur dignum: contradicendi tamen prurigine tentatum, in Galeno palum quæsivisse cui se adfricaret. Sed ea res parum feliciter cessit, quod unius hominis odio omnibus factus est exosus: qui cottidie ulceribus ejus acetum adspergere non desinunt. Profecto quod de Tullio dixit vetus magister, *Profecisse multum cui is placeret*: ego verius, & quod semel à me audire juventutem velim: Nunquam ille magnus, cui Galenus non magnus. *Fernelium* attentius si legas, quoties ille cumque aliter à Galeno sentit, meam fidem! quam à semet dissentit, & volens nolens in veriorem sententiam relabitur. Animadvertit hoc aliquoties *Erastus*; qui scutum defensionis præferens, & huic se & cæteris omnibus solide opposuit *Disputationibus*, *Epistolis*, & integro scripto *Comiti Montano*. Hinc & inde quæ pro Galeno vel contra disceptantur, haut injucundum semel cognoscere. Semel, inquam: neque enim diu in iis argutiarum tetricis, & pene tricis dixeram, haberi vel ingenium velit, vel poscat usus. Memoriam postea in Pathologicis

gicis refricet *Corbejus*. Qui decore partem hanc & concinne ornavit. Et una opera doctissimum *Stephani Castrensis* libellum adjunge de morborum successionibus. Inscriptio invitat discere. *Quæ ex quibus* malis mala provenire in salutem ægri vel perniciem queunt: & quomodo *iis quæ non cum ratione sublevant, non oportet fidere; neque multum formidare mala quæ præter rationem eveniunt*. Sed enim vero morborum genera, caussas, symptomata scivisse parum est, si quibus alterum ab altero dignoscitur, indicia ignorantur. Ea ipsa diffuse *Galenus* persequitur libris quos de *Locis affectis* inscripsit. Lege, sed in epitomen à *Lacuna* laudabiliter contractos, ut tempori consulas & memoriæ. Facilis ea est, nec diu tenebit: neque, ut teneat, necessum; quod particulatim quælibet postmodum in cujuslibet affectuum curatione enucleantur. Sicubi tamen obscuriora occurrant aut ambigua, explanationes adhibe eruditissimi interpretis *Veigæ*, qui perspicue alioquin scripta enodatius exposuit.

Sequitur *Urocritica*, ex *Actuario*, *Rogano*, *Salviano* & *Sphygmica*, ex *Struthio*, *Rogano*, & *Galeni* apud *Lacunam* compendio petenda. Si qui alii de pulsibus post Galenum scribunt, ne illi videntur actum agere! adeo iste fuit eorum sedulus adnotator, ut novum putes quid novi addi. Velim notes, tum urinarum tum pulsuum nonnullas differentias ab omnibus enumerari, quæ rarius aut nunquam se offerunt: si offerant, vix aut ne vix quidem distinxeris. Omnium notitiam concilies; sed non illam exactam, quam fortassis nimium exacte depingunt. Satis sit communiores duntaxat animo imprimere. Etiam cottidiana circa ægros exercitatio docebit non undiquaque deficientem pulsum aut nigram urinam esse lethales: ut caute ex his neque solitis judicium feras. Quæ eorum igitur dementia est qui oblatum domi lotium,

quasi *ad lunæ defectum oculos intendentes*, porrecta matula inspiciunt; coram, ostentatione artis & portentosa scientiæ venditatione divinant; & credulo imperitorum vulgo quæ maxime nesciunt scire persuadent: insuper, ut tantulo amplius emungant, receptas scribunt (sit venia recepta voce loquenti, planè si non pure) quibus absunt, si fortuitu non prosunt. Apage tales istos, quibus Vespasiani hoc putidum placet,

lucri bonus est odor ex re
Qualibet.

potius ad *Forestum* aut si paulo altius assurgere velint, *Scribonium* aut *Cordum* eant, & discant, quam sint incerta urinarum indicia, quam periculosa judicia.

Ad Diagnosticam referimus *Oneirocriticam*. Utilem artem ad morborum caussarumque investigationem, adeo ut, quæ nulla aut parum constanti indicatura se produnt, ex insomniis quandoq; certius innotescant. Quæ licet plena futilitatis, summæq; levitatis videatur, & cui stultissime credatur, quod tempora recentiora plurimis ineptiis & superstitionibus eam polluerint; repurgata tamen & in integrum restituta, fructum edit non contemnendum, & fundamentum habet in natura solidum. Illud hujusmodi est: ubi idem fit ab interna caussa, quod fieri quoque solet ab externa, actus ille externus transit in somnium: Similis est stomachi oppressio ex crasso vapore, atque incubitu ponderis externi; itaque qui incubo laborant, pondus sibi superim poni, magno cum apparatu circumstantiarum, somniant. Similis viscerum pensilitas, ex fluctuum agitatione in mari, & flatu circa præcordia collecto: itaque hypochondriaci sæpius navigationes & agitationes super aquas somniant: Sunt & innumera id genus. Nemo autem putet, somniorum diagnosin temere à nobis in medicinam introduci: Nam *Hippocratis* olim inquisitionibus est decorata, & *Scali-*
geri,

geri, Ferreri, Cardani, laboribus pertractata. Quamquam Cardanus anilium sæpe nugarum scriptor, & veri incuriosus vel ignarus. Judicio legatur tamen, dabit quod juvet.

Ad morborum præterea cognitionem, maxime curationem momenti plurimum habere temperamenti ægrotantis cognitionem, apud omnes in confesso; Vulgus etiam, cui is demum creditur in medendo

Medicus multum celer atque fidelis,

qui cujusque temperiem perspexit. Huic detegendæ *Physiognomica* excogitata solerter, & *Chiromantica*. Illa, è corporis universi & faciei potissimum lineamentis istam inquirit; hæc, è manuum. Illa, magni usus est; etiam in animi propensionibus perscrutandis: hæc prorsus vana & fallaciosa, nec digna quidem quæ nominetur. Illam *Hippocrates* in vultu cadaveroso, *Aristoteles* ex professo ingeniose satis tractavit. Quamquam id prius Prognosticæ proprie adcensetur. Aristotelem diffuse *Camillus Baldus*; paucis *Fontanus* exposuit. Omnium studium in quiescente corpore substitit. Ad motus gestusque observandos movit se nemo, qui tamen non minus arti subjiciuntur; & frequentis sunt usus.

Prognostica superest: quam duplicem statuo, *Mathematicam* & *Medicam*. Illa est, quæ è cœlo & sideribus de morborum eventu pronunciat. *Ganivetus*, *Ferrerius*, *Boderius*, *Maginus Obicius* fecere: & plures ex Arabibus superstitiose Vana hæc licet, carptim tamen quis neget viro Medico & experienti esse libanda? Sed ut dixi, carptim. *Medicam* nomino, quæ morborum medicatricis naturæ faciem & facta observans, ex his salutem ægro aut mortem præsagit. Illa præcipua, quo te vocat in hac ipsa præcipuus & divinus Hippocrates. Præter certitudinem in medendo & securitatem, ut nihil tumide, nihil timide agas, hæc tibi fidem apud ægrotos,

apud adstantes auctoritatem, gloriam apud omnes dabit: alibi uberius laudata & laudanda, nunc præeunda. At vero ecquis præcedat? ecquis ad adyta perducat? nisi mystagogus *Hippocrates*. Qui naturæ lucum semel ingressus, unus ad inaccessa majoribus penetravit, data oracula quam fide retulit, quam candide mala, bona exposuit? ut, quem natura nihil, nihil ipse posteros celaverit. Ille est, à quo haurias præcepta, & exemplar item videas, ad tutam prædictionem. Faciunt huc plerique omnes Hippocratis libri: proprie tamen *Prognosticorum*, *Aphorismorum*, *Epidemiorum*, *Coacarum*, etsi hic ultimus illius sit dubitatur. Ego arbitror, & firmare ausim. Non sit: judicio & ordine tamen est scriptus, & exemplar pleniori Prognosticæ ad imitandum. Utinam talem haberemus! nam qui totam & ordinate conscripserit, totus ad nos non venit. Posset per partes ex universo Hippocrate colligere qui operam sumeret. Qui sumet, succincta commentaria subnectat, & ex veterum novorumq; medicorum observationibus illustramenta. Res autem est, quæ tentari non debet absq; acri & severo judicio. Interea huic dum præstolamur, Hippocrates nos manet, adeamus. Sine interprete, internunciove? Non certe, nec consultum tyroni aut candidato. Imo præmittantur *Martinengi* & *Donatii* breves, at utiles *de prævidendis morborum eventibus, judiciis & signis judicialibus* libelli. In quorum alteris totius Galeni de Crisibus & decretoriis diebus operis breviarium quoddam habes, in alteris plenissimam signorum enumerationem, quæ Galeni istis libris desiderantur; præsagitioni tamen faciendæ summe necessariæ sunt in utrisq; dein illustriores historiæ ad exercitandum, & usu sensim imbuendum abunde præceptis institutum. Igitur auspicatissimum accessum parent, & veluti manu ducant ad sacrum illud tribunal. Et addo non inutiliter, sub hanc ipsam curam *Nicolai*

Taurelli

Taurelli aut *Prosperi Alpini prædicendi methodos* legi posse: non quia ipsi valde breves; sed quia quæ sparsim apud Hippocratem & expositores erant, ad una capita retulerunt, ideoque per eos etiam facilior tibi aditus. Jam vero interpretes qui? Perinde varii, prout varie & variis libris hanc materiam dictator tractavit: potissimum tamen citatis. Ex quibus leges *Aphorismos* primo: & explicationem petes à *Butino* aut *Lygæo* breviter: uberius deinde à *Galeno*, *Philotheo*, qui optumi sunt. Post hos *Hollerio*, *Vallesio*, *Heurnio*. Equidem invenies in istis non solius divinatricis, sed cæterarum etiam medicinæ partium rudimenta. Nam ut pictor cum tabulam accepit, primum hominem totum delineat; colores mox aptos quærit, & addit cuique parti: sic videtur, quisquis ille, aphorismorum auctor corpus Medicinæ Hippocraticæ in adversariis adumbrasse; voluisse pigmenta deinde è reliquis venerandi Senis monumentis conquirere, quibus efformaret, omnibusque numeris absolutum post se relinqueret. Non factum, & dolemus, & à nemine redintegrari hos conatus miramur. Qui fecerit & perfecerit, ille laudis omne punctum feret. Secundo *Prognosticæ* leges: in quibus generalia fere cuncta & generalium affectuum præsagia sunt. Commentarios *Cardanus*, *Brassavola*, *Victorius*, *Heurnius*, alii dabunt. Sed *Butinum* ego laudo & approbo, facilem, concisum, doctum. Ad *Coacas* imus, divinum opus & cæteris majus; & quod, præter generalia ista, ubertim singulorum morborum & eventuum, eorumque insignium judicia suggeret. De interprete quæris? non ea copia commentatorum hic, ut jure ambigua hæc lis haberi possit. *Hollerius* sit aut *Duretus*. Sed hunc præfero; virum ingenio præpotentem, artis usu singularem, atque in hac doctrina omnes alios eminentem; & qui carceribus per illum præceptorem emissus cum nonnemine prisci ævi pari passu de

currere

currere posse videatur prognoseos hunc campum; adeo nihil est quod in eo desideres, præter simpliciorem obviamque magis phrasin & compendium. *Horstius* hoc laudabiliter cœpit facere. Quid illum retinuit, aut quid stitit in febribus, ne ultra tenderet? Ille nos, qui idem olim tentavimus; & cum primum in manus nostras incideret, istuc præcise veneramus. Profecto operæ est pretium eam operam resumi, ego spondeo; nisi *Horstius* sumat, aut alius surripiat.

Sed abunde est de præceptis: exempla monstremus ad usum & imitationem. Sunt vetera, sunt præsentia & viva. Ea omnia hodie, vel ex *Lectione* haurienda sunt, vel ex *Auditu*, vel ex *Propria observatione*. Ex auditu leviter; quia nec adhærent audita animis, æque ac lecta: nec est fere ut optima & illustria audiantur: quia & rara ille è suggestu, & pauci ea cura profitentur, qua vere juvent. Quæ de dissertatoribus è cathedra intellige, quorum verba volant & abeunt: de dictatoribus non item, quorum oratio chartæ illinitur & manet, recognoscenda in dedecus ipsorum vel laudem, unde si aliquo gloriæ stimulo agantur, elucubrata sint necesse est, quæ promunt. Ea igitur sæpius relegere conducet. Nam Lectio magis tuta, magis utilis, sic tamen, ut Autopsia opportune ei adjungatur: sine qua languida hæc, imo vana; ut sine praxi ars tota: quæ non magis medicos sola fecerit, quam vates somnium in Parnasso. In exemplis autem unum sit exemplum *Hippocrates*: qui vetera accurata, & nobiliora suppeditabit. De novitiis non dicam; ne verba hic perdam: nam illa immane quantum remittunt de diligentia istius viri, qui meritissime parens artis audit! Cui *primo & tertio Epidemiorum* nihil prius fuit, quam exacte in casus circa ægros speciales inquirere, & referre qualis

fuisset

fuiſſet morbi natura, qualis medicatio, qualis eventus, quo probaret per iſta præceptorum fidem. Scripſit in eas hiſtorias luculente *Mercurialis.* Sed *Valleſium* habeo præ aliis commendatum, etſi dubito, an ſit ulteriore explanatione opus, non illi ſaltem, qui intente legerit quos jam ante nominavi, & in primis in primum locum quos repoſui. Sed quid refert ſtudioſior eſſe hac parte? ex qua fructum in cæteris etiam capimus. Finii de parte *Theoretica.*

Altera erat *Practica*, quam vulgo & peculiariter medicinam nuncupamus: & addo, proprie, nam ſpeculativa via duntaxat eſt, qua citius, tutius, & jucundius ad illam itur, imo quæ ad praxin ſi non tendat, infructuoſa eſt: præter Scholaſticis aliquibus ad pellendam famem. Itaque ad hanc, mi adoleſcens, qui te humanis uſibus voviſti, ad hanc ſegetem veni, manipulos frugum collige, & in uſum tuum reconde. Sed ut ordine fiat, eam ipſam bifariam diviſi: in *Diaſoſticam* & *Therapeuticam.* Iſtam dixi ſanitatis conſervationem: illam recuperationem procurare.

Sanitatis cuſtodiam collocant medici in optumo regimine rerum non-naturalium: quæ ſex numero ſunt, & liceat totidem nobis partes *Diaſoſticæ ſpeciali* tribuere. Nam *generalis* ſimul omnes comprehendit, & perfunctorie agit de ſingulis. Hanc varii ſcripſere; ſed bonus mihi & laudatus *Joannes Mediolanenſis*, *Scholæ Salernitanæ* auctor, utinam planus, & ut ſcripſit, abſolutus! qualis apud *Schenckium* exſtitit. Hoc ipſum tamen, quod *Villanovani* cura ab temporum injuria eſt ſervatum (etſi auctoris ille nomen incuria omiſit, aut inique ſuppreſſit) quod placeat, cauſſam habeo duplicem. Quod aphoriſmis, & quod verſibus eſt conſcriptum: utrumque facit, ut promtius diſcatur, &

retineatur firmius, in primis si crebrius lectitetur, vespertinis præsertim horis, & si opportunitas feret, sub ipsum somni tempus. Mens tunc nescio quomodo melius arripit, retinet, & concoquit per quietem. Tenta, reperies in levi monito non leve momentum. Si quis vero hebetior commentarios sibi poscat, *Villanovanum*, *Curionem*, *Crellium*, *Constantinum* confecisse sciat, & extare in unum corpus nuper decore & utiliter à *Morello* conductos ac vulgatos; qui & ipse tum in illos, tum auctorem libere animadvertit. Lubet in transitu monere, in mediocritatis laudes nimium hic effundi medicos. Cum & jejunia in consuetudinem versa, & victus liberalis, cui quis assueverit, melius sanitatem tueantur, quam istæ mediocritates, quæ naturam ignavam fere reddunt; neque excessus neque indigentiæ, cum opus fuerit, patientem. De utroque exemplum habeo in eodem Sene acupictore. Qui vicenos jam annos singulis septimanis bis tantum cibum capit; Solis semel, semel Jovis. Sed illius quam

Ingens vorago faucibus vastis patet!

usque eo multum, ne fere præ aviditate mansum glutit, præterquam quod valentissimus sit: utpote caro sola cum siligineo pane; Quibus interdum è dulci lacte pultem hordeaceam aut ptisanarium orizæ præmittit; sed rare. Ille, ut macer, tamen incorruptæ sanitatis est, & vegeto corpore. Celsi prudentis viri, non solum medici, saluberrimum præceptum est: *Sanum hominem, qui & bene valet & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debere: ac neque medico neque jatralipta egere. Hunc oportere varium habere vitæ genus: modo ruri esse, modo in urbe, sæpiusque in agro: navigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere. Siquidem ignavia corpus hebetat, labor firmat: illa matu-* *ram*

ram senectutem, hic longam adolescentiam reddit. Nullum cibi genus fugere, quo populus utatur; interdum in convivio esse, interdum ab eo se retrahere. Modo plus justo, modo non amplius assumere, bis die potius, quam semel cibum capere; & semper quamplurimum, dummodo hunc concoquat. Igitur laboris, cibi, potus, somni, veneris moderatio cuique ex se discenda. Quam semel probe cognitam sic sequendam ducimus, ut rarius, subinde tamen interturbetur. Quæ quidem libertas iis major, qui firma corporis constitutione orti, atque in lucem editi sunt. Et exemplo sit *Senex* apud Baconem, *centenario major; qui interrogatus, quid agens tam diu vixisset; respondit* (præter expectatum, & cum risu audientium) *Edendo, antequam esurirem, & potando, antequam sitirem.* Quibus vero hæc bene nascendi felicitas non obtigit, religiosius ista observanda servandaque.

Specialis Diasosticæ pars prima est, *Aërologica:* quam nemo sane ex professo tractavit, ut merito inter medicinæ desiderata reponatur. Debebat illa sedulo inquirere, aëres qui sint magis, qui minus ad habitationem salubres: quas mutationes ab locis ipsis, ab ventis, ab aquis, ab sideribus recipiant; quas hominibus vicissim ferant: & quomodo noxas quisque ab ea evitet aut declinet. Quæ res etsi summe arduis & accuratis adnumeretur, non est inaccessa tamen. Quin confidimus, si solertes aliquot variarum gentium urbiumque medici ad observandum animum adjecerint, eam ipsam exuperaturos. Mittant saltem futiles quæstiunculas, quas sibi, quas aliis movent, mittant damnosas contradictiones, quibus se mutuo proscindunt, nec secum ipsi amplius prœlientur, nec cum aliis de cortice digladientur. Sed potius, ut nucleum esitent, pace facta, conjunctis viribus, se adversus hominibus novercam naturam rerum comparent, ejusque

edita & munita expugnent capiantque. Glaciem fregit *Hippocrates*, & itineris magnam partem instruxit. Incedant modo, illius viri vestigia premant. In via pro vehiculo erunt, *Alemanus*, *Cardanus*, *Septalius*, quorum labores salebras complanarunt, quæ libro *de Aeribus*, *Aquis*, *&* *Locis* occurrunt.

Altera est, *Sitiologica*, in qua affatim est facultatum alimentorum, cibariorum, potionumque omnis generis: & quas plures scriptores illustrarunt, Gæci Latinique, sed præcipui isti: *Galenus*, *Simeon Sethi*, *Pisanellus*, *Bruyerinus*, *Castellanus*, *Nonnius*, *Baccius*, *Thurinus*.

Tertia *Hypnologica* est: occulta neque exculta. Et vereor somni indagatione lassatos medicos in soporem jam incidisse, à quo ægerrime evigilent ad scrutandum illius ultra & alternæ vigiliæ veras causas, salubrem usum, & innoxiam provocationem.

Quarta *Gymnastica*, multorum quidem studio mediocriter culta, sed *Mercurialis* potissimum & *Jouberti* & *Cagnati* exercita: etsi nondum plene elaborata. Neque enim illi ipsi neque alius quisquam exercitationum species bene distinxit aut annotavit, neque per has sanitatis tuendæ certum modum docuit, neque à venientibus morbis præcavendæ: ad quam plurimum tamen pollent. Nam vix aliqua in morbum inclinatio invenitur, quæ non exercitatione quadam propria corrigi possit. Morbis renum globorum lusus convenit; pulmonum sagittatio; stomachi deambulatio & gestatio; atque aliis aliæ. Quarum singulæ singulos etiam morbos exasperare queunt.

Namque pila lippis inimicum, & ludere crudis.

Eccrinologica quinta est, ea maximi licet usus, digna tamen medicis visa non fuit, quæ seorsim traderetur, sed obiter

obiter & carptim inter alios tractatus intervenit. Et potior ejus pars ad therapeuticam est devoluta. Nam quæ in generali diasostica de primæ aut fortassis secundæ etiam regionis excrementis dicuntur, nihil sunt præ illis, quæ restant explicanda de excretis tum partium singularum; puta, narium, oris, pectoris, ventriculi, lienis, uteri, aliarumque quibus id muneris demandatum: tum corporis universi per transpirationem & sudores, itemque de sanguinis tempestiva depletione, purgationibus repetitis, atque factis familiaribus, vomitionibus menstruis, coitibus, & id genus. Hæc enim omnia, & quæ præterea hujus fori sunt, ad hanc partem esse revocanda arbitramur, & exactiore judicii lance ponderanda.

Sexta & ultima pars superest: quam *Pathologicam* vulgus medicorum, *Verulamius Impressionem* vocat ab effectu. Quippe duo considerat: aut quomodo & quousque humores & temperamentum corporis immutent animam, in eamque agant: aut rursus, quomodo & quousque animæ passiones vel apprehensiones immutent corpus, & in illud agant. Utrumque in schola medica tractatur, sed parce admodum & oscitanter: nec pro rei vel subtilitate vel utilitate. Horum prius *Galenus* olim conatus est asserere & demonstrare. Posterius generali Diasosticæ subtexitur. Huc facit quod *Fienus* scripsit *de Viribus imaginationis*, seu quatenus ipsa imaginatio, vel cogitatio perquam fixa valeat ad immutandum corpus imaginantis. Nobilis profecto usus est hæc inquisitio: verum (ut Socrates ait) Natatore Delio indiget, quia mergitur in profundo.

Est & aliud *Diasosticæ specialis* discrimen, ab ætatibus desumtum: & aliud a conditionibus hominum. Aliter enim pueros, aliter senes: aliter prægnantes aut puerperas, aliter liberas: aliter debiles, aliter validos: aliter qui sui

juris, aliter qui non sunt: aliter viros Principes, aliter plebejos: aliter studiosos, aliter milites, aut iter agentes, aliter otiosos & testudines regere oportet. De scriptoribus quid attinet dicere? deligi nequeunt, nec diligi, quia rari sunt, & rarum in his quod commendes. Nec operæ puto, antequam ad praxin accesseris, illos videre. Itaque suffecerit nomine tenus nosse, & nobis recensuisse. Puerorum regimen offeret *Merlingerus* aut *Hucherus*: Senum, *Philaretus* aut *Anselmus*: Prægnantium & puerperarum, *Altimarus*, *Mercatus* aut *Joannes le Bon*: Debilium, *Montagnana*: Studiosorum, *Ficinus* aut *Sylvius* aut *Horstius*: Militum, *Villanovanus*; Peregrinantium, *Gratarolus* aut *Guntherus*.

Claudebamus hanc partem, cum se *Cosmetica* intrusit, & subintulit alia de *Proroganda Vita*; & de se quoque hoc loco (neque enim in alium facile amandaveris) verba fieri voluerunt. Non pecco, si *Cosmeticam* iterum extrudo, & è medicina ejicio. Etenim *Civili* subsellium est in schola Philosophorum. Nam corporis munditiess & honestus decor recte existimantur promanare à modestia quadam morum, & à reverentia inprimis erga Deum, cujus creaturæ sumus; erga societatem, in qua degimus; erga nosmetipsos, quos non minus, imo magis quam alios, revereri debemus. Illa vero *Fucatrix* non medicos solum dedecet, sed Censoria lege & proscriptione digna est. Quin inepta prorsus videtur, etiam ad adulterinam decorationem, cum non sit aut ad fallendum satis ingeniosa; aut ad utendum satis commoda; aut ad salubritatem satis tuta & innocua. Non me latet, *Cometicam* ab Mercuriali ornatricis effeminatam hanc partem appellari: *Cosmeticam* vero, quæ fœditatibus corporis abolendis studet. Ista veteribus presfiori significatu solius comæ comtrix

habita fuit. Sed nolim mihi super verbis litem moveri, quin, si res ferat, illam alteram *Cosmeticam medicam* indigitabimus.

De *Prolongatione Vitæ* medicorum nugas paucis sapienter notat *Franciscus Baco* cap. 11. lib. IV. De augmentis Scientiarum. Simulque viam monstrat, qua ad istam potest perveniri. Eamque primus ipse ingressus, facem in *Historia vitæ & mortis* præluxit.

Veniamus ad *Therapeuticam*: partem medicinæ maximam: & in qua scriptorum copia maxima; & cottidie novi prodeunt, judicio eligendi. Quod ut fiat, duplex illa nobis erit: *Generalis & Specialis*. Ista communem regulam tradit, ad quam tum curatio apposite dirigatur ad sanandum; tum remedia, ut quantitate rationeque congrua queant exhiberi. Illa particulatim morborum singulorum sanationem & probatiora auxilia revelat. *Universalem* medendi methodum dabunt *Fernelius*, *Vallesius*, *Capivaccius*, *Heurnius*, magni viri. Mihi præ manibus paterna est: una ex optimis, si non pro omnibus, adeo nihil illi deest quod discendæ faciendæque medicinæ quit facere. Utinam per otium liceret in adspectum lucemque proferre! Dum hac cares, jam laudati adeundi tibi: ultra quos maximopere commendo libellos *Mercati de recto præsidiorum usu*; *Claudini de ingressu ad infirmos*. Libellos dico aureos, & factivæ medicinæ sese accingentibus diu multumque versandos. *Specialem* varii, pro diversitate affectuum & affectarum partium docent. Ex istis multos admitto: sed successu tamen; nec ut saltu pergatur, sed pedepressim & per quosdam velut gradus. Et primus meo arbitratu in iis faciendus, qui de omnibus aut magis obviis malis scripserunt. Qualis *Hollerius*, *Rondeletius*, *Massaria*, *Paschalius*, *Bruelius*, & *Rhazis liber nonus*,

nus, eorum quos ad Manſorem regem exaravit, in quem habemus *Arculani* expoſitionem, præ cæteris illius ævi & fortasſe ſequentis, planam ac plenam. His addo *Cratonis*, *Montani* & *Solenandri Conſilia*: & *Amati Luſitani Centurias*, etſi *illum* (Crato ait) *plura ficta ſcripſiſſe, & interdum opiniones ſuas iſto modo confirmare voluiſſe apparet.* Ego bono auctoris & lectoris in primis facturum cenſeo, quisquis palantes aget in ordinem, & diſperſas colliget. Cunctis anteferenda ſunt *Fernelii* Conſilia: quæ utinam adverſus omnes morbos extarent! tamen quæ extant, æſtimanda ſunt, & ſequenda. Sequuntur *Arculanus*, *Sennertus*, *Liddelius*, *Paſchalius*, de Febribus legendi; de morbis Cerebri, *Jaſon Pratenſis* aut *Joubertus*: Oculorum & Aurium *Mercurialis*: Dentium, *Strobelbergerus*: Pectoris, *Thomas à Veiga*: Cordis, *Albertinus*: Ventriculi, *Heurnius*: Meſenterii, *Martinius*: Scorbuto, *Sennertus*, & adjuncti ſcriptores: Articulorum, *Campolongus*: *Spigelius*: Cutis, *Mercurialis* aut *Minadous*. Mulierum, *Rodericus à Caſtro*: Puerorum, *Ferrarius*, *Mercurialis*, *Montuus*: Senum, *Anſelmus* aut *Ranchinus*: occultis, *Rudius*: peſtilentibus & peſte, *Sallius*, *Saracenus*, *Septalius*, *Favius*: Contagioſis, *Palmarius* aut *Fracaſtorius*: venenoſis & venenis, *Ardoynus*, vel *Grevius*: veneficis, *Codronchus*: ſimulatis, *Silvaticus*: incurabilibus, *Seidelius* aut *Hubnerus*. Quanquam magni nihil ab his præſtitum. Neque fuit hucuſque qui potioribus nervis incubuerit in curam morborum quos inſanabiles, vel jam inde à principio, vel poſt talem quampiam periodum, medici decernunt, ſatis medius fidius indecenter & imperite. Quandoquidem neglectum ſic & incuriam veluti lege ſanciant, & ignorantiam ab infamia eximant. Præter jam dictos adire ſuadeam *Foreſtum*: multijugæ lectionis

&(id

& (id quod eſt majus) expertum medicum. Eſt in eo caſuum peculiarium & curationum cornucopiæ: maxime noſtrorum hominum & temporum. Non poſſum ſilentio prætervehere, in praxios hoc pelago ſcopulos & vada, imo & Scyllam ſuam & Charybdim eſſe, quos a *Septalio & Schopfio*, pretium operæ prædiſcere; imo per neceſſarium, ut caute navigemus. Non ſum neſcius *Obicium*, *Sanctorium*, *Sanctacrucium*, *Salium Diverſum*, *&* *Colladonem* non incurioſius iſtorum quoquo plurimos præmonſtraviſſe, & interpunxiſſe in ſuis tabulis aliaque brevia, non brevibus tamen, & curſu obliquiore. Ex omnium obſervatis quid ſi itinerarium quis inſtruat quibuscunque portibus annavigandis? Exſpecta tantiſper *Plempii* opus practicum: id inſtruet, ut annavigare poſſis quoscunque.

Deſiderari hic a ſapiente viro video de *Euthanaſia exteriori* curatricis partem. Ad cujus *officium cenſet pertinere, ut, adjecta prorſus omni ſanitatis ſpe, exceſſum præbeat è vita magis lenem & placidum.* Et putat *medicos, ſi officio ſuo, atque humanitati deeſſe nolint, & artem ediſcere, & diligentiam præſtare debere, qua animam agentes facilius & mitius è vita demigrent.* Vellem utique *hac de re (ſiquidem non parva eſt felicitatis pars) ex more ſuo, & monita dediſſet, & indicia, & præcepta.* Sed incerta valde, ſi non impoſſibilis ejus inquiſitio. Mortis mille modi, quis judicabit quid facto opus? aut quis poſt obitum laudabit remedium? hoc quis feret in tempore? quis actum eſſe, quis conclamatum pronunciabit? Notum, quomodo interdum deſerti à medicis convaleſcant, & quam ſubinde nihil ſint medicorum proſcriptiones; per quas ægrotos futilibus edictis morti dedunt: quorum tamen plurimi minore cum difficultate evadunt, quam olim qui pro-

 ſcri-

ſcriberentur a Romanis Triumviris. Certe ſperamus dum ſpiramus, & vetere dicto.

Fidere Batte decet, melius cras forſan habebis:
Sperandum eſt vivis, non eſt ſpes ulla ſepultis.

Imo *quosdam fama prodidit in ipſis funeribus revixiſſe,* & ipſe vidi ad ſe redire & adſtantibus ad vitam, qui multum & graviſſime cum peracuta & maligna febre, mox morte (ut liquide videbatur) luctatus, jacuit integros tres dies absque pulſatione aut reſpiratione ulla, frigidus & extrema lividus; & verbo dicam, mortuo ſimillimus. Arbitror huic fuiſſe in magnis iſtis angoribus faciendam Euthanaſiæ medicinam: ſi ſucceſſiſſet, necaſſes? arbitror: & eam ipſam *ſibi procurare meri largiore hauſtu & ingurgitatione, Epicurum* decet: & qui ſunt Epicuri

de grege, porcos.

Aliter Chriſtiani qui ſumus & chriſtiane docti, credimus beatam mortem, quæ peccatis debita, pro Chriſto eſt potiſſimum reddita; anima ad eam ſolide præparata, quam adimit ſolus qui inſpiravit. Sed unde digreſſa eſt oratio, revertatur.

Therapeuticæ ancillantur *Diætetica*, *Pharmaceutica; Chirurgica.* Prima, quæ victum medico ſubminiſtrat: ſecunda, locupletem medicinarum farraginem: tertia, manu opem.

Diætetices magna pars cum Sitiologica convenit: nempe quæ eſt de eſculentorum & potulentorum facultatibus. Ad reliquam faciunt, quæ de victus ratione in morbis variis *Conſtantinus Aphricanus;* acutis, *Hippocrates & Thriverius*; febribus, *Brudus Luſitanus;* de ptiſana, *Galenus & Lalamantius* de potu in morbis & ſeri uſu, *Coſtæus;* de gelidi abuſu, *Maſinius;* de vino, *Sylvius &*

Con-

Confalonerius ſcripſere, lectu ſane digni auctores: & à quibus conſequare, quæ ſcire hic opus.

Pharmaceuticen dixi medicamentis opitulari; ſimplicibus quandoque, ſæpe miſtis. *Simplicia* multa & multigenera ſunt: plantæ, animalia, metalla, lapides, & quæ mare producit. Omnium neceſſe eſt vires & facta noviſſe; faciem, jucundum & utile. Ad utrumque magiſtros requiro: vivos, mutos. Etſi primum illud a mutis, a vivis alterum citius diſcas. De ſingulis cum cura & ad uſum. *Plantarum* ideam ex *Dodonæi*, *Cluſii*, *Lobelii*, *aut Matthioli* lectione jam ante animo concipe; & adpicta ſimulacra imprime. Accede mox hortos aut natale, ſi licet, cujusque ſolum. Tamen neutrum absque indice. Is profeſſor ſit aut gnarior condiſcipulus. Ille quem habet & habuit illuſtrem ſemper Muſarum Leida ſedes, publicis & anniverſariis monſtrationibus ſuevit præire ad earum notitiam, quæ in Academiæ plantario coluntur, & quotquot annis ſemel atque iterum ad collinas & paluſtres exire. Necubi abſis. Ne ſero *doleas quædam dicta, quorum non fueris particeps.* Quin aliquem tibi fac familiarem, quo cum crebrius expatiare, & eadem iſta aliave loca repete, in quibus proficias. Et ut ſerio, herbas ipſas erue, caulem, folium aut ramaſculum decerpe; & ſiccata reconde. Hæc inſpecta cum virentia non licet aut libet: & memoriam recole, quam conſtat emori, ſi iisdem ſubinde non reficiatur. *Siccandi condendique* artificum *Spigelius* & *Laurembergius* tradent: tempus, *Winklerus:* ordinem, *Bauhinus* in Phytopinace. *Radices* vero, *cortices*, *ligna*, *ſemina*, *gummi*, & id genus indigenas, advenas, convenas ſimplicia medicamenta apud Pharmacopolas & aromatarios commodisſimum percipies. Horum officinas frequenter viſe: rogita, diſſere, expiſcare de ſingulis,

lis & familiarior admiſſus introſpice capſas; & optimorum particulam cum venia aufer, domi conferendam exactius cum deſcriptione & notis; & in arculam poſtea recondendam: è qua vacillante memoria leviori iterum negotio promas. Pari modo *metallorum*, *lapidum*, & *marmorum* cognitionem acquires. De metallis & foſſilibus, *Encelium*, *Cæſalpinum*, *Fallopium* leges: de lapidibus & gemmis, *Anſelmum Boëtium* & *Andream Baccium*: de marinis *Libavium* III. libro Singularium. *Animalium* hiſtoriam, id eſt, ingenia, proprietates, uſum in medicina, olim ex *Ariſtotele*, *Æliano*, *Plinio*; poſtea ex *Wottono*, *Bellonio*, *Rondeletio*, *Salviano*, *Geſnero*, aliis; nunc ex uno *Ulyſſe Aldrovando* adfatim cognoſces. Qui partem hanc voluminibus aliquot diligentiſſime comprehendit, quorum plura accepimus, plura ab hæredibus expectamus. Quid omitto? *Thomas Moufetus* ſe ſuggerit, de *Inſectis* legendus: quorum tractationem ſolus accuravit & abſolvit. Sed inconſultum in hoc ſtudio ſtudium ponere, & te diu impendere, parergum potius ſit, in quo otium honeſte colloces. Nam utile aliquando ad eos divertere, quorum *lectio ingenium alit*: & *ſtudio fatigatum, non ſine ſtudio tamen, reficit.* Ita Seneca ſolebat & *in aliena caſtra tranſire, non tanquam transfuga, ſed tanquam explorator.* Quæ autem ex animalibus ad ſanandum utibilia ſunt, eorum facultates, aut cæterorum ſimplicium, ſatis preſſe *Geſnerus* aut *Weckerus* ex *Dioſcoridis*, *Galeni*, *Aëtii*, *Æginetæ*, aliorumque libris in ſuos transtulere ſive transſcripſere. Simplicium virtutes plurifariis experimentis deprehenſas multimodis deinde ratio coacta eſt miſcere, tum quia non ſatisfaciunt quibusvis intentionibus: tum quia eadem forma nequeunt omnes adſumere. Nam quod olim, ut Plutarchus refert, *Eraſiſtra-*

tus

tus refutavit absurditatem & supervacaneam diligentiam eorum, qui simul metallica, & herbaceam & theriaca, & quæ è terra marique, miscerent. Censuitque, *commodum in ptisana & cucurbita & hydrelæo medicinam reliquisse,* absurdius, quam ut debeat refutari.

A duplici ista caussa natum est compositarum medicinarum genus duplex. Alterum, quod semper sit in promtu: alterum, quod ex tempore fiat in singulos eventus; & ubi usui istud esse non potest. Illud passim in officinis prostat. Et istiusmodi fere est, ut *potius* (quod acriter & recte Verulamius notat) *sic ad intentiones generales, quam accommodatum & proprium ad curationes particulares. Siquidem speciatim nullum morbum magnopere respicit: verum generatim ad obstructiones aperiendas, concoctiones confortandas pertinet.* Quod ipsum quoque varie medicus componit, pro varietate complexionis ægrotantium, ætatis, locorum, anni tempestatis, consuetudinis, & similium. Imo, si res postulat, omnino aliud è simplicibus aptis fieri præscribit. Cottidianam hanc receptarum fabricationem vere Verulamius, licet severe carpit: *fallacem rem esse, & quæ experientiæ non satis attribuit, judicio plus nimis.* Equidem experientiæ magis fidendum: *in particularibus præcipue medicinis; quæ ad curationes morborum singulorum proprietate quadam spectant. Quarum confectionem & compositionem quia empirici & vetulæ fideliter & scrupulose retinent, sæpenumero in curandis morbis felicius operantur, quam medici eruditi.* Hi enim ut plurimum, *speciosæ rationi nixi, existimant decere medicum doctum potius medicinas ex tempore aptare quam certis aliquibus præscriptis insistere.* Ideoque *traditionum & experientiæ probatæ fructum magistralitatibus suis destruxerunt & sustule-*

runt, addendo & demendo & mutando circa medicinas prout iis libitum fuerit, & fere Pharmacopœorum more, quid pro quo ſubſtituendo; ita ſuperbe imperantes medicinæ, aut medicina non amplius imperet morbo. Aliter Veteres, qui ſe probatis majorum aut ſuo uſu remediis religioſe adſtringere: & integra ad poſteros pervenienda curare. Frequens *Galeno*, *Aëtio*, *Oribaſio*, *Alexandro* aliis, aliorum medicamenta ad verbum recitare, laudare, uſurpare. Et Hercules ita oportet. Nam *modificationes ipſæ medicinarum (ſi quando ſit opus eas adhibere) potius in vehiculis exercendæ ſunt, quam in ipſo corpore medicinarum; in quo nil novandum absque evidenti neceſſitate.* Hippocratem audi. *Omnia ſecundum rationem facienti, ſi non ſecundum rationem ſuccedant, ad aliud tranſeundum non eſt, manente eo quod fuit à principio viſum.* Id circo (Celſi monitum eſt) *non ſtatim profuit: Minus vero removeatur, ſi quid paulum ſaltem juvat, quia profectus tempore expletur.* Attamen & hoc *oportet* (ex eodem Celſo) *ubi aliquid non reſpondit, non tanti putare authorem quanti ægrum, & experiri aliud atque aliud.* Sed minime præcipitanter; quod fucere multos videas. Nec mirum. *Etſi enim* (Verulamii veriſſima exprobratio eſt) *ex opera medicorum quotidiana, quam inviſendo, aſſidendo, præſcribendo ægrotis præſtant, putaret quispiam haud ſegniter ipſos curationem perſequi; atque in eadem certa quadam via inſiſtere; tamen ſi quis ea, quæ præſcribere & miniſtrare ſolent, acutius introſpiciat, inveniet pleraque vacillationis & inconſtantiæ plena, & quæ ex tempore excogitentur, & in mentem illis veniant, absque certo aliquo aut præviſo curationis tramite. Debuerant autem etiam ab initio poſt morbum bene perſpectum & cognitum, ſeriem curandi ordinatam meditari, neque ab ea absque*

gravi

gravi causa discedere. Atque sciant, ait, *pro certo medici, posse (exempli gratia) tria fortasse aut quatuor medicamenta ad morbum aliquem gravem curandum recte præscribi, quæ debito ordine & debito intervallo sumta curationem præstent, quorum singula, si per se sumerentur, aut si ordo inverteretur, aut intervallum non servaretur, fuerint prorsus nocitura.* Istius exemplum ex podagra sumit Hist. natur. cent. 1. experim. LX. quam tribus remediis, & quæ valde rarenter fallerent, in die uno curabat. Et vero *quæ in natura eximie prosunt pollent, sunt Ordo Prosecutio, Series, Vicissitudo artificiosa. Quæ, licet majus quoddam in præcipiendo judicium, majoremque in parendo constantiam requirant; tamen effectuum magnitudine abunde rem compensant.* E queis intelligi potest, *medendi rationem, quæ obtinuit, esse nimio plus compendiosam, quam ut insigne aliquid aut arduum præstare queat.* Et, quod Celsus notat, *ab uno medico multos non posse curari, eumque (si artifex est) idoneum esse, qui non multum ab ægro recedit;* sed ejus *vires subinde assidens inspicit, ut neque supervacua materia oneret, neque imbecillitatem fame perdat*, aut labore fatigat, quin autem ex re quæ putat, cuncta prosequatur bene ordinata serie, & in qua opportune vices alternentur. *Sed qui quæstui serviunt, quoniam is major ex populo est, libenter amplectuntur ea præcepta, quæ sedulitatem non exigunt.* Denique, frustra, non absque insigni tamen temporis jactura, consui centones istos receptarum. Quibus quasi indicationum rimas expleturis nunc passim & usque ad nauseam libros infarciunt. Unde si quis ignarior aut ignavior promere in usum valet, hæret, & quo se vertat, nescit. Valde huic quadrat quod egregie dicere Demetrius Cynicus (inter astra ejus ævi, non solum stellas:

si Se-

si Senecæ fides, ubique laudanti) solebat: *Plus prodesse, si pauca præcepta sapientiæ teneas, illa in promptu tibi & in usu sint, quam si multa didiceris, sed illa non habeas ad manum.* Promta, ut exerceas & utare. Notabile dictum: qui legis, attende; & isti, & pluribus usibus adplica. Sperne hæc varia, & sæpe vana: pauca & utilia disce à probis, & probatis. Plura huc spectant; quæ prætereo: quod videantur forsitan alterius loci.

Et, quod institui, pergo dicere & qui de *medicamentorum compositione* vel *mistione*, nam facimus ista diversa: & sunt reapse, quia proprie est medicorum componere; miscere Pharmacopœorum. Illis norma est indicatio ab adfectu præter naturam sumta: his medici qualecunque præscriptum, sine quo non audeat Pharmacopœus abrotanum ægris aut poculum dare. Sed ne medicus quoque pilulas è marsupio porrigat aut theriacam, & lumen præferat ad fraudes & sordidum lucrum. De componendis medicamentis lege *Sylvium*, *Joubertum*, *Fallopium*, *Oddum*: è Græcis autem, si voles, *Galenum* & *Actuarium*. Adde ad familiarem receptarum ordinationem *Gorræum*, *Morellum*, *Banzerum*. Quibus adjungere liceat *Curtii*, *Rondeletii*, *Schyronii*, aliorumque libellus *de Dosibus*: quos huc refero & includo. Miscendi scientiam in Medicamentario consummatam requiro; in medico aliquantum: nempe quæ in præscribendo lucem det ad congruentem mistionis ordini simpliciorum dispositionem. Illa præceptis adipiscitur ab arte suggestis vel propiore inspectione. Hoc modo molestius: quia præsentem esse rarius studia sinunt, nisi cum artifice forte fortuna habites, & illi sies à latere. De præceptis inquire apud *Dessenium*, *Renodæum*, *Marinellum*, *Joannem du Boys*: & si gallice sciveris, *Bauderonium*; perdignum virum

rum qui Romana civitate donetur: & qui possit solus subministrare quicquid remediorum formulis ex arte concipiendis ab istorum priorum lectione supererit. Insuper faciant huic parti quæ de medicamentorum examine *Simon è Touar* edidit: de succedaneis *Gesnerus, Fragosus, Silvaticus.*

Restat *Chirurgice*, antiquitus medicinæ conjuncta: & habita ejus nobilissima pars, A qua licet paucissimis seculis post separaretur, suus tamen illi honos constitit: quia celebres reperit Professores, donec superiori paullum ævo ad barbitonsores & ignarum vulgus devoluta, cœpit vilioribus artibus adnumerari: maxime apud nos, quæ temporum nostrorum an hominum injuria est? Cujus cujus sit, eo magis gnaros ad hanc artem & peritos esse medicos oportet, ut ad minus fortasse simul vocati, de dextera agendi, curandique methodo possint submonere. Sed unde dic sodes est, quod pauci aut Chirurgices aut Pharmacopoëtices sibi facultatem medici comparent, & nullam partem minus ad Medicinam facere censeant, quam istarum alterutram? Imo plures arbitrentur parum ipsis interesse vel ad existimationem vel ad lucrum, utrum artis nostræ mediocritatem an perfectionem in ea majorem adsequantur. Caussam suspicor: quia præter hanc omnes aliæ propemodum artes & scientiæ virtute sua & functione non successu aut opere judicantur. Advocatum ipsa agendi & dicendi facultas, non exitus caussæ commendat. Gubernator navis clavi tenendi peritia, non expeditionis fortuna se probat. At medicus vix habet actionem aliquam propriam, qua specimen artis & exercitationis suæ liquido exhibeat: sed ab eventu præcipue honorem aut dedecus reportat, iniquissimo prorsus judicio. Quotus enim quisque novit, ægroto mortuo aut restituto, utrum sit res casus an consilii? Fit itaque sæpissime, ut impostor palmam, virtus censuram re-

ferat. Quin ea est hominum infirmitas & credulitas, ut sæpenumero agyrtam, sagam aut aniculam docto medico anteponant. Et illos constat omnibus temporibus fama & opinione vulgi medicorum quodammodo rivales fuisse: & de curationum celebritate cum iisdem certare solitos. Est & altera caussa, ægrotantium ingratitudo, quæ plerumque maxima est, quotiescunque maximis fuerint morbis sanati. Res scilicet instituta est ac geritur juxta veterem ironiam.

Dantur coquo minæ decem, medico drachma.
Adulatori talenta quinque, consultori fumus.
Scorto talentum, Philosopho triobolum.

Atque adeo millesimum non est, qui agnoscat cum Seneca, *emi à medico rem inæstimabilem, vitam ac valetudinem bonam. Itaque huic non rei pretium, sed operæ solvi, quod à rebus suis avocatus nobis vacat, mercedem non meriti, sed occupationis suæ ferre.* Et omnino *se medico plus quiddam debere, nec adversus illum mercede defungi. Quia,* subdit, *ex medico in amicum transit, & me non arte quam vendit, obligat, sed benigna & familiari voluntate.* Maxime, *cum plus impendit, quam medico necesse est: pro me, non pro fama artis extimuit: non fuit contentus remedia monstrare, sed admovit. Interea, sollicitus assedit. Ad suspecta tempora occurrit: nullum ministerium oneri illi, nullum fastidio fuit. Gemitus meos non securus accepit, in turba multorum invocantium ego illi potissima cura fui: tantum aliis vacavit, quantum mea valetudo permiserat.* Nam *medico, nihil amplius quam manum tangit, & me inter eos, quos perambulat, ponit, sine ullo adfectu facienda vitandave præcipiens, nihil amplius,*

tus, inquit, *debeo: quia me non tanquam amicum vidit, sed tanquam imperatorem.* Atque a sordidissimorum istiuscemodi Euclionum avaritia fit, ut

Pœniteat multos vanæ sterilisque cathedræ.

aut si re angusta domi premantur, pacisci mercede cum ægris malint. Nimirum, inquit Hippocrates, ut *ægroto cogitationem injiciant, quod ipsum non sint deserturi. Sin non paciscantur, quod ipsum & neglecturi sint, & non indicaturi quæ sunt in rem præsentem necessaria.* Verum ista, si quis perpendat, potius ad culpam attinent, quam culpæ excusationem. Neque enim propter hæc accipere in antecessum debent auctoramentum servitutis. Aut haberi inter eos ab eodem Seneca velint, *qui honesta in mercedem colant, quibusque non placeat virtus gratuita: quæ nihil habet in se magnificum, si quidquam habet venale. Quid enim est turpius, quam aliquem computare quanti vir bonus sit: cum virtus nec lucro invitetur, nec absterreatur damno, adeoque neminem spe ac pollicitatione corrumpat, ut contra in se impendere jubeat? Nam virtutum omnium pretium in ipsis est;* & maximum hoc, *non posse pretio capi. Non enim exercentur ad præmium: facti, fecisse merces est.* Quare si res exigat, ait Hippocrates, *satius est servatis exprobare, quam lethaliter ægros emungere.* Sed neque propter ista spem abjicere debent; sed vires intendere, & se tollere humo. *Chalmeteus, Aquapendens, Paræus, Pigræus, Tagaultius,* & valde nuper *Hildanus* fecere: & opere primum, mox scriptis sibi nomina apud posteros nunquam intermoritura. Ex his disce, qua ratione venæ debeant aut arteriæ aperiri; cucurbitulæ aut hirudines applicari; fonticuli & setones fieri: luxata etiam reponi; fracta

consolidari: præterea vulnera, ulcera & tumores, & omnes omnium externarum partium aliarumque morbi manu curari. Et licet postrema hæc potius ad Therapeuticam Chirurgicam pertinent, cui priora ista famulentur: non sunt tamen scriptione aut lectione divellenda. Sed præter istos suadeam speciatim legi de vulneribus, *Arcæum*, *Magatum*, & *Wurtzium;* quem cur non aliquis in latinum vertit? ulceribus, *Fallopium:* tumoribus, *Arantium.* Vidimus de medicina Dogmatica.

Reliquæ nobis *Methodica* & *Chemica:* etsi vix reliquæ. Utraque enim ejusmodi est, ut admonere de ea obiter possim, non commode disserere. Illa pene tota intercidit, & cum auctoribus ferme memoriam nobis ævum subduxit. Galenus (cujus temporibus floruit) plurimum contra disputavit. E quo & aliquibus aliis priscis scriptoribus eam paucis abhinc annis renovavit *Prosper Alpinus.* Mecastor! tam prospere, ut ipse illi Thessalus palmam adjudicet, si inter vivos. Neque fere est cur non à rationali medico pervolvatur; in multis etiam sequendus. Etsi opus juventuti, certum doctorem & dogmata esse, quibus insuescant, & *tamdiu immorentur, quamdiu nihil agere animus majus potest.* Seneca recte monuit; *quemadmodum folia per se virere non possunt, ramum desiderant cui inhæreant, ex quo succum trahant: sic præcepta si sola sunt, marcent, infigi volunt sectæ.* Juventuti, inquam, hoc opus: at jam viros, quæ invidia aut ignavia est, longius non mittere? non exserere se, & vagari per omne scriptorum genus? non omnia tentare, non experiri in salutem hominum? *Multum egerunt qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt. Multum adhuc restat operis, multumque restabit: nec ulli nato post mille secula præcludetur occasio*

aliquid

aliquid adhuc adjiciendi. Igitur, *nunquam quidquam invenietur, si contenti fuerimus inventis. Quid ergo? Non ibo per priorum vestigia? Ego vero utar via vetere: sed si propiorem invenero, hanc muniam. Qui ante nos ista moverunt, non domini nostri, sed duces sunt. Patet omnibus veritas, nondum est occupata. Multum ex ea etiam futuribus relictum est.* Non absimile alicubi Barlæus noster pro philosophica libertate dixit: *Quid putamus non scire nos plurima, quæ ignoravere veteres? non ignorare nos plurima, quæ supplebit aliquando posterorum diligentia?* Adeo ut summæ sit vel negligentiæ, vel pusillanimitatis, pati suam virtutem ab antiquitatis fascinis vel auctoritatis ita ligari, ut cum rebus ipsis consuescere quis tanquam malificiatus non possit. De utraque ista Verulamius sic statuit. *Mundi senium & grandævitatem pro antiquitate habendam esse: eaque temporibus nostris tribui debere, non juniori ætati mundi, qualis apud antiquos fuit. Illa enim ætas respectu nostri, antiqua & major; respectu mundi ipsius, nova & minor fuit. Atque revera quemadmodum majorem rerum humanarum notitiam, & maturius judicium, ab homine sene expectamus, quam à juvene, propter experientiam, & rerum quas vidit, & audivit, & cogitavit, varietatem & copiam; eodem modo & à nostra ætate (si vires suas nosset, & experiri, & intendere vellet) majora multo quam à priscis temporibus expectari par est; utpote ætate mundi grandiore, & infinitis experimentis & observationibus aucta & cumulata.* Deinde abjecti animi esse, *auctoribus infinita tribuere, auctori autem auctorum, atque adeo omnis auctoritatis tempori jus suum denegare. Recte enim Veritatem Temporis Filiam dici, non Auctoritatis.* Quare in adulta illa

ætate cum Seneca libere profare: *Non me cuiquam mancipavi, nullius nomen fero: multum magnorum virorum judicio tribuo, aliquid & meo vindico.* Atque tunc te puta in Senatu ſedere, ubi non audias tantum, ſed examinare audeas: & ipſe rogatus, ſententiam dicere. Sed quæ ad illum intromittat, priusquam in Æſculapii templo togam ſumes, uni ſectæ conſulte & diſtricte adhærebis: etſi non uni homini, qui te detineat & vindicet ſibi. Unus enim omnia ut viderit? non ſi Minervæ aurea lucerna, ut vetus verbum eſt, illuſtraſſet, Euripidæum illud rotundum & verum:

Non unus aliquis ſcire natus omnia eſt:
Sed aliud alii præmium poſuit Deus.

Ultima porro medicinæ ſecta aut ſectio, *Chemica* erat: quæ licet multorum ingenio proſtitit, adhuc taliter comparata eſt, ut fuerit magis oſtentata, quam elaborata. Hanc omnes annoſam valde ajunt: ſed delituiſſe, donec ante centum præterpropter annos magni nominis vir, *Aureolus Philippus Theophraſtus Bombaſt ab Hohenheim, dictus Paracelſus*, non tam condidit, quam ſomno plusquam epimenideo ſopitam reſuſcitavit. E cujus libris facile eſt animadvertere retro ſeculis viguiſſe; adeo ab ultima antiquitate & vocabula ipſa quæ uſurpat, & dogmata omnia repetuntur. Tamen nonnihil fortaſſe acerbius exprobaverit illi Eraſtus: *finxiſſe hæc ſibi, ne, ſi aperte & intelligenter loqueretur, continuo exploderetur, ab omnibus homo in omnibus ſermone, cogitatione, vita, moribus, actionibus monſtroſus. Dum enim ſic loquitur, ut quid ſibi velit neſcias, myſteria quædam cenſent latere imperiti:* & ſunt revera. Novimus enim neminem, qui auſus ſit dicere, præ-

ceptoris

ceptoris se mentem plene adsequutum. Immo plurimis postquam ad vitæ terminum, vixdum fuit ad istorum limen perventum: etsi totos ille unus ætatem occupasset. *Alchymista enim spem alit æternam, atque ubi res non succedit, errores proprios reos substituit; secum accusatorie reputando, se aut artis, aut authorum vocabula non satis intellexisse, unde ad traditiones & auriculares susurros animum adplicat; aut in practicæ suæ scrupulis & momentis aliquid titubatum esse; unde experimenta in infinitum repetit; ac interim quum inter experimentorum sortes in quædam incidat, aut ipsa facie nova, aut utilitate non contemnenda, hujusmodi pignoribus animum pascit, eaque in majus ostentat & celebrat, reliqua spe sustentat.* Unde sane mirari subit, & bono jure, quomodo quis imbibere potuerit tetrum illud absinthium doctrinarum: quomodo detorqueri se rectissima ingenia passa fuerint, & in flexuosos labyrinthos abduci, longum à vero medicinæ fine. De Paracelso non ita mirum, novam viam novum hominem inivisse, & explosa medicina veteri, aliam excogitasse: nam hoc adfectavit, ut ipse solus solium illud medicinæ insideret, priscis ejectis. Atque ea res belle inter initia cessit, quanquam apud sapientes omnes valde insipiens haberetur, & quem isti ipsi tyrunculi Principatu mox dejecere, qui per pravam seditionem elegerant. Scilicet tunc inprimis cum viderent, imo discerent suo & alieno periculo, non evenire protinus quidquid spe votisque concepissent, & murem sibi pro leone exhiberi. *Laudes enim immodicæ medicinarum chymicarum primo inflant hominum spes, deinde destituunt.* Nequis tamen eas spernere aut refutare me putet. Scio, & fateor, multa in his accipiendi tum suavitate, tum securitate & succurrendi promtitudine bona. Quin etiam Paracelsicam licet hili aut

pili

pili non facio, magni tamen veram Chemicam. Et quemadmodum in Republ. Romana cives erant utilissimi, & optime compositi, qui aut Consules populo favebant, aut Tribuni in partes Senatus inclinabant: ita in hac materia, de qua agimus, Medicos eos probamus, qui aut Rationalis medicinæ præceptis imbuti, Chemica medicamenta plurimum æstimant; aut in horum præparatione & usu exercitati, Methodos & Generalia artis non aspernantur. Igitur ista, si non in principali, necessario tamen additamento est habenda, & acriter degustanda. Sed è quibus? *Nollio* dixero & *Beguino*. Ille brevi & methodico systemate dabit integram medicinam hermeticam ad veteris exemplarium delineatam: hic dexterrimam præparationem medicamentorum crebrius usualium. Quibus *Crollium* si lubet superaddere *Hartmanni* notis mactum, non erit quo ultra progrediare.

Hem, inquies, quanta materia, & quæ silva? quis ingredietur sine errore, & egredietur? qui *Ordine* insistet, qui industriam & *Curam* adferet, jam dicenda. *Ordine* inprimis opus, & ne confusa & vaga lectio sit, aut desultoria & interrupta. Hoc plerisque evenit, & velut ex equo in equum se trajiciunt, ab hoc scriptore in alium, ab isto argumento in illud. Sed vero pulcherrime tales cum Polybio gulosis, & imminentibus convivarum comparantur. *Nam & illi omnia, quæ apposita sunt gustantes, neque in præsentia fere fruuntur ullo cibo, neque in posterum digerunt satis, aut utiliter iis nutriuntur.* Plane hic simile, momentaneæ voluptatis gratia degustant & libant varia; & sine alio fructu quam ut rem suam, imo & se fallant. Tu non fac, ô tyro, & ordine lege: quem ex ipsis à me dictis etsi posses instituere: tamen breviter edocebo.

Verum ad Medicinam priusquam veniamus, duo potissimum præmittenda sunt, *Litterarum studium & Philosophia.*

Litte-

Litteræ inprimis rudimenta ſunt noſtra, non opera. Sed & rudimenta utilia, imo neceſſaria ſunt, non aliter quam ædium ſublimium fundamenta. Xenocrates olim prudenter cuidam amuſo & rudi, ad Philoſophiam tamen & diatribam ſuam adſpiranti: vade, inquit, *anſas enim Philoſophiæ non habes.* Ut nempe anſæ humorem non continent, vaſi tamen neceſſariæ ſunt ad uſum: ſic de litteris, artem non habent ſed conferunt ad habendas. Philoſophiæ item cognitio non ideo requiritur, quia medendi ſcientiam dare poſſit, ſed quia animum ad accipiendam illam præparat: imo etiam obfirmat ad fortiter ferenda tum vitæ univerſæ, tum praxios quotidiana & quaſi inevitabilia tædia: quæ indies medicis, ut pilulæ ægris; deglutienda potius quam devoranda offeruntur. De methodo utrique ſtudendi multi multa, pauci accurate: *Heurnius* conſultor optumus. Quare, ne aberrem, ego labore hoc & verbis ſuperſedeo liberius etiam, quod iſta olim paraviſſe tibi ſcio.

Age itaque ad ipſam jam Medicinam. In qua initium fiat ab *Inſtitutionibus. Illæ enim* (Heurnius inquit) *ideam quandam totius medicinæ animo immittent: & ex illis ordinem totius ſtudii medici & ſubtegmen firmum, cui intexi omnium auctorum ſcripta poſſint, percipiet novus medicinæ myſta. Sunt enim inſtitutiones medicæ nihil aliud, quam ex omnium ſcriptorum medicorum deliciis ac medullis condita placenta: aut, ut melius dicam, ex electiſſimis quibusque floſculis compoſitum mellificum.* Tentavit *Fuchſius* primum: ſed leviter; etſi plerumque nimius eſt in contentionibus & probris. Hunc inſecuti ſunt, *Liddelius, Bertinus, Steeghius, Gardinius,* alii, & noviſſime *Sennertus.* Iſti breviores & ſolidi: hic fuſior, imo plenior, & quid in diligentia viri tanta deeſt? Imo ut ſuperſit, vereor: iis utiq; qui temporis parciores non amant detineri diſputationibus, & opinionum variarum relatu, & bene ſcire abunde ſatis eſt herbis mederi, non

verbis. Quanquam ista quoque placent in juvenili ætate, non abnuo publicis etiam velitationibus subinde exerceri. Quibus privatim præsideant *Silvaticus*, *Vallesius*, *Ferdinandus*, *Cortesius*; & si qui tales. *Aponi* Conciliator commendabilis est utilis præ reliquis, sed parum obvius. *Horstius* dedit enucleatum: quo utere, donec recudatur: qui faxit, tergat primum & purum illi latinitatis nitorem conciliet. Atque in istis firmissimum fundamen jacere nuperrime suasi, cui secure deinceps superstruas ædem medicinæ. Neque calculum reduco. Probatus enim probavi; & quos legisse, puto pœnitebit neminem. Verum tamen si fallimur, (cum Aristide) *& quid nugati sumus, nihil opus fuerit Stesichori palinodia, spongia medebitur.* Fiat, sufficiet quem sufficiam in omnium vicem, solus ille nobis ex virtute doctrinaque, & clarissimus medendi scientia *Plempius* noster, *nunquam sine laude loquendus.* Cujus ego vel unos sex libros *de fundamentis medicinæ* tot cæterorum *circulo si adstituam, næ isti oppido quam jacere atque sordere incipiunt: ita velut umbræ luminibus* Plempii *obsolescunt; Diomedis hercle arma & Glauci non dispari magis pretio sunt æstimata.* Certe *meo calculo: quod brevius disserat, enucleet clarius, accuratius definiat; ad summum, instituat ad disciplinam scholasticam accommodatius. Denique tale sit hoc compendium, ut quæstionum omnium in contemplativa medicina agitari solitarum habeat diverticula.* In quibus disputat subtiliter, graviter, ornate, &, quod plurimi facio, acerrime pro veritate; ut repugnanter quoque ducat & impellat. *Physicæ illæ pleræque omnes sunt: hoc enim est Medicum esse incipere, Physicum esse; Tu fortasse* (Plinius Maurico) *me putes indulsisse amori meo: supraque ista quam res patitur sustulisse: at ego fide mea spondeo futurum, ut omnia longe ampliora quam à me prædi-*

prædicantur; *invenias. Diligo quidem virum ardentissime*, *sicut meretur*: *Sed hoc ipsum amantis est*, *non onerare eum laudibus*, quas, etsi maxime velim, haud facile coacervem: Commendare possum, & facio tibi, & omnibus, qui in eodem stadio current ad coronam. Non vero, quod de Saturni scriptis idem Plinius olim monuit, *debet operibus ejus obesse quod vivit. An si inter eos quos nunquam vidimus floruisset*, *non solum libros ejus*, *verum etiam imagines conquireremus*; *ejusdem nunc honor præsentis & gratia quasi satietate languescet? At hoc pravum malignumque est*, *non admirari hominem admiratione dignissimum*, *quia videre*, *alloqui*, *audire*, *complecti*; *nec laudare tantum*, *verum etiam amare contingit.* Sed istis, imo huic quamdiu immorere? pro ingeniis tempus definiatur: in molliore aliquo, annum; in duriore, alterum etiam annum. Sed ita, ut simul æstivas aliquot horas in *Herbaria* insumas; & hybernas in *Anatomia.* Tertio summum anno *Pathologicæ & Diasosticæ* studiose te dabis. Cum peregeris, ad *Therapeuticam* venies, & ordiere ab *universali*: cui *specialem* submittes, & constantia eadem peragrabis. Sed posteriore hoc biennio (tribus enim quatuorve annis emetiri poteris academicum artis nostræ spatium,) temporum quædam succisiva *Pharmaceuticæ & Chirurgicæ operatricibus* donabis. Et de *Ordine* facile est, atq; animi tantum decreto opus: *Cura* plus habet operæ, & in ea omnis est legentium fructus. Duo in hac specto, sive exigo: *Attentionem*, & *electionem.* Quæ legis, nec capis, ne damna aut abjice. Sed quod olim Socrates, cum obscurum Heracleti librum legisset, tu dicito: *Quæ intellexi proba sunt*; *credo & quæ non intellexi.* Ut intellegas, sæpius legas. Et quod gladiatoribus imperari solet, utiliter ego hic tibi, *Repete.* Et sicut in via, si salebra aut lama

objecta sit, transire quidem tentas: sin profundius est, nec licet, non stas stupidus, sed circumis leviter, & iter tuum pergis ita hic. Tenta & conare iterum iterumq; capere: non capis, abi; & locum nota, dum tempus & lectio molliverint hanc difficultatem. *Aut si moræ impatiens fueris ad aliorum auctorum judicia istam examina: si idem cuncti, ratum sit: sin abeant in diversum, vide num in gratiam redire possint: vel illi qui potissima ratione utitur, subscribe. Indices loca auctorum dicent. Commentariographos prolixos fugito, & qui sine diverticulis & quæstiunculis non interpretantur. Istis enim dum inhærent, rem totam quam auctor docet sua nativa facie ac colore privant obscurantque fuco, etiam alio ingenia abripientes discendi libidinem extingunt. Quare ubi involvimur difficultatum salebris, id solum agendum, ne nimis ingenium fatigetur, & tandem expugnetur.* Habes Heurnium consilium. Tamen heic viva tibi vox plus proderit. Nostrum igitur, ut Præceptoris auxilium invoces. Quem, inquis, invocabo, hunc, aut illum? Dicam: non eum, qui verba magna celeritate præcipitat, & communes locos volvit, & in privato circulatur, & quæ publicè tenetur, nisi domi non erogat discipulis; aut istorum si quid in medium effundit, non discas, sed excipias: Sed eum, qui possit, qui sciat, qui velit docere. Poterit, si methodicus est: sciet, si eruditus in arte, volet, si vir bonus, quem Cato olim apud Ciceronem, III. de Finib. dixit *impelli natura ut prodesse velit, imprimisque dolendo, rationibusque prudentiæ tradendis. Itaque non facile esse invenire, qui quod sciat ipse, non tradat alteri.* Quod si notitia etiam aliqua tibi, & ex hac amicitia cum tali accedent; Deus bone, quæ occasio hic tibi discendi & ditescendi! quot gazas legere & recondere cottidie poteris latentium litterarum! Mecum vides, tu arripe tantum: & me aucto-

re,

re, in usum ejusmodi viri omni arte irrepe, vi irrumpe. Nusquam meliore damno frons ponitur. Admissus habes cur venerere, donec

Lumine adempto animam moribundo corpore fundas:

maxime si insuper *te putavit dignum propria & peculiari cura, si sæpius in te direxit animum in docendo, & laborem & tædium tulit, præter illa quæ præcipientibus in commune dicuntur, aliqua instillavit ac tradidit, hortando bonam indolem erexit, & modo laudibus fecit animum, modo admonitionibus discussit desidiam.* Tum *ingenium latens subinde & pigrius, injecta (ut ita dicam) manu extraxit, aut porrecta eduxit, quotiescunque non per se satis valere vidit, ut emergeret: nec quæ sciebat, maligne dispensavit, quo diutius esset necessarius, sed cupiit, si posset, universa transfundere, & in hoc gaudet, aliquid discere, ut doceat; & quem nulla res delectabit, licet eximia sit & salutaris, quam sibi uni sciturus est.* Sed præter istum iterum hic velim te uni & alteri è veteranis innotescere; sed bonis, & doctis. Bonis, ut profitis inter vos, exercendo virtutes: quarum agitatione opus est & sapienti. Utique, *quæ nostri honestarum rerum semina animi gerunt, admonitione excitantur: non aliter quam scintilla flatu levi adjuta, ignem suam explicat. Erigitur virtus, dum tacta est & impulsa.* Doctis, ut habeas, cum quibus conferas, cum quibus quæras: & qui doceant implicita solvere, ambigua distinguere, obscura perspicere: qui denique breviores vias studiorum excogitent, & has indicent, per quas possis facilius ista & citius, & cum majore tuo emolumento absolvere. Quæ capis curriculo non percurre: insiste, nec conquire solum multa, sed in ea inquire, cui rei singula facere possint, & ecquem usum sui præbere. Multum est legisse, inquisivisse; plus rectam judicii normam attulisse; sed totum attigisse. Mora hic aliqua inter

legendum & tarditas, fateor: sed nimirum, dicto veteri, *Nulla res potest esse eadem festinata simul & examinata: nec esse quidquam omnium, quod habeat laudem diligentiæ, simul & gratiam celeritatis.* Tarda igitur, & quære; & omnino sequere *Heurnii* monitionem: cum reperisti, & inter se pensitasti examinis quadam lance, tum sit *Electio*: id est, ut stilum capias & excerpas, & velut annonam in horrea quædam reponas, Plinii illius exemplo: de quo alter Plinius, *Nihil unquam legit, quod non excerperet.* Cate Seneca: *Non scribere tantum, nec tantum legere debemus, altera res contristabit, & vires exhauriet; de stilo dico: altera solvet ac diluet. Invicem hoc illo commutandum est, & alterum altero temperandum: ut quicquid lectione collectum est, stilus redigat in corpus.* Initio tædium hoc aliquod habet, postea voluptatem; cum crescunt opes, & miraris ipse tuas messes. Itaque notabis & sepones si quid rarum, novum, insigne, utile inprimis in legendo occurret, certus ex iis medicinæ scientiam inseri, tacita quadam vi & via. Ut enim herbas, ut arbores, crescere non cernimus, sed crevisse: sic factam hanc scientiam potius, quam fieri. Atqui incrementum & irrigatio illi, ab his inquisitoriis ut sic dicam, guttis: quas alte perbibit melior animus, & paulatim mandescit maturioris judicii succo. Ad excerpendum sint jam ante *libri* parati, meo judicio, *sex*; in quos, quidquid eligis, conferas & tuto deponas. Nam lectionem solam non sufficere certum, ne reperitam quidem, nec in felicissima memoria: nam huic qui credit tantum, quid agit? non dicam nihil, sed in breve proficit: nec ulla ea tam vasta, capax, tenax est, quæ varia ista cum fide adservet & reddat. Trade libris, in quo labor aliquis, & iterum in legendo remora: sed, mihi crede, aut sero credes, utilis, si quidquam in omni ratione studiorum. Libros istos sex in proprios usus sic ego ordinavi:

primus

primus mihi habet physiologica, anatomica, morborum & symptomatum differentias caussasque generales; signa item præsentis & futuri affectus aut eventus, & quæ huc faciunt. Secundus, totus insumitur in morbis singularibus: ut tertius, in animalibus; & quartus, in plantis. Quintus, de compositione medicamentorum & compositorum titulos continet, & quod adhæret. Sextus, vice appendicis est, in quem infero, quidquid in antecedentibus omissum. Ordine utor literarum, quia non ad famam aut pompam ista disponuntur, sed nostrum usum.

Sequitur *inscribendi modus*; de quo exemplis dicere facilius possum, quam præceptis; quia longum hic iter est per præcepta, breve & efficax per exempla. Igitur nostra cape hujusmodi. MEDICINA Naturæ leges semper sequitur. *Fernelius præf. ad lib. 1. Meth. med.* NATURA. Morborum medicatricem recte adseruit Hipp. *Persona Discurs. medicin. cap. 1.* HUMORES. Unus est tantum sanguis, cæteri ejus excrementa. *Campanella Medicinal. lib. 1. cap. IV. art. 1.* SPIRITUS. Turbidus Hipp. quis. *Martianus Notationib. in Hipp. pag. 525.* SEMEN. Fæminei usus. *Hofmannus Comm. in Gal. de Usu part. num. 1019.* CIBUS. Quomodo non intersit tenuis prior, an crassus assumatur. *Plempius de Fundam. med. lib. III. cap. IV.* FOETUS. Vitales Spiritus à se habet, non à matre. *Spigelius de Form. fœtu part. II. cap. I.* NASUS. Noviter inventi musculi *a Casserio lib. III. Pentæsthesei cap. IX.* SANITAS. Tuendæ prudens ratio. *Celsus lib. I. cap. I.* MORBUS. Cur apud nos raro abscessu solvatur. *Hollerius comm. II. ad lib. IV. Coacarum.* FLATUS. Acrium generatio. *Salius de affect. partic. cap. XIII.* DOLOR. Magnus cito finit aut finitur. *Seneca Epist. LXXVIII. & XCIV.* CATARRHUS. Non convenire cauterium coronali suturæ inustum. *Septalius*

VI.

VI. Animadv. med. CVII. FEBRIS PUTRIDA. Magnitudinem non à putredine oriri, ſed magno in coquenda materia naturæ conatu. *Horat. Augenius Epiſt. II. lib. V. tom. I.* QUARTANA. Depulſa inſolenti vini potu. *Jo. Barclaius Argenide, lib. III. §. Fidi hominis.* LUES VENEREA. Canis captus qui heri emplaſtra linxiſſet. *Scaliger lib. IV. Poëtices cap. IV.* FONTICULUS. Cur & quomodo à peſte præſervet. *Salius de Febre peſtil. cap. XX.* MUSTELA: *Piſcis.* Hepatis oleum cœcitati valde utile. *Foreſtus lib. XI. Obſervat. XXXV.* HELLEBORUS. Album in malvatico maceratum ancillæ cum ſucceſſu dedit *Geſnerus I. Epiſt. XI.* AGARICUS. Dyſentericis convenire & alvi fluxibus contra Meſuem aſſerit *Altimarus de med. hum. corp. malis cap. LXXIII. pag. 476.* CONF. ALKERMES Debere duodecim non duas tantum lapidis Lazuli drachmas recipere. *Corteſius dec. IX. Miſcell. medic. cap. IV.* De memoriæ cura prima habes: & leviter de altera, quæ ingenii eſt & judicii. Nam utrumque lectio & electio etiam acuunt. Imo & diſputatiunculæ publice privatimque aliquando habitæ: quæ ſæpe non ſolum *tentant acumen animorum & intentionem excitant;* ſed *ſecuritatem, torporem ac ſegnitiem ingeniis auferunt, quibus modo campus in quo vagentur, ſternendus eſt, modo creperi aliquid & confragoſi objiciendum, per quod crepant, & ſollicite veſtigium faciant.* Sed iſtæ non nimiæ ſint, & de verbis magis quam rebus. Quales, *utinam tantum non prodeſſent! nocent. Hoc manifeſtum eſt, comminui & debilitari generoſam indolem, in iſtas anguſtias conjectam.* Præterea, *quantum temporis quibusdam verborum cavillatio eripit, & captioſæ diſputationes, quæ acumen irritum exercent, neque quidquam aliud ſunt, quam inter ſe perite captantium luſus:* quibus equidem bonæ horæ male collocantur. *Non enim tam beni-*

gnum

gnum ac liberale tempus natura nobis dedit, ut aliquid ex illo debeamus perdere: & vide, quam multa etiam diligentissimis pereant. Aliud valetudo sua cuique aufert, aliud suorum: aliud necessaria negotia, aliud publica occupant: vitam nobiscum dividit somnus. Ex hoc tempore tam angusto, & rapido, & nos auferente: quid juvat majorem partem mittere in vanum? & quid *te torquere & macerare in iis quæstionibus, quas subtilius est contempsisse, quam solvere?* Aristippi lepidum dictum: *Proponente quodam capticunculam, & ut solveret, urgente: O fatue,* inquit, *quid opus solvere, quod etiam ligatum exhibet negotium?* Tu itaque, si sapis, ista omnia mittes quæ nec ignoranti nocent, nec scientem juvant; & tempus tuum conferes potius in fructuosius exercitium. Nempe quo solide præparere ipsi medicinæ factitandæ, sicut miles aliquis pugnæ per lusoria certamina.

Exercitii istud genus hujusmodi est. Casum quemcumque ægrotantis tibi propone. Ex relatis essentiam morbi & caussas & affectam partem, si minus propalam collocata, rimare: ex his indicationes & curationem, quasi ipsum hunc curares, in charta omnem exequere, diæta, medicina, chirurgia. Dic, inquis, explicare. Exemplo igitur: quo maxime etiam hic possum. Sed vereor ut longum sit, & cum tui tædio, integrum ante oculos ponere. Meone? ais: jamdiu aveo perdiscere quidquid è re mea. Quare Theseum te mihi præbe, & filum dirige secuturo. Ita si vis, habe tale. Juvenis annorum undeviginti, habitudine plenus, in litteris assiduus, & fatigationem illam sedentariam incessus vegetatione haud satis discutiens, dies aliquot gravedinosus, somnolentus est, inprimis à cibo, lassitudinem sentit, & insolentem corpori & animo temporem.

Succidui titubant gressus, vertigine molli
Membra rotantur.

Fert, differt. Sternutat, lapsat, jacenti difficilis cum stertore respiratio; manus pedesque varie jactantur & trahuntur, mox surgit, vomit, capite dolet, obdormiscit; meliuscule ut videtur sibi, medicum vocat tamen, de morbo quærit, & quid facto opus. Epilepsiam esse satis manifestum. Causam illi primitivam negotiosum otium, cruditatibus in ventriculo contrahendis aptissimum: quas debuissent corporis non animi labores excoquere. Abs istis in cerebro paulatim pituitam congestam: quæ copia & acredine magis nervorum exortui & vicinis membranis molesta, illum tumultum tulerit. Grave hoc mali, difficile, & periculosum esse, partium nobilitas, functionum in his & per consensum laborantium vitalium necessitas, materiæ malignæ contumacia, & symptomatum vehemens multitudo attestantur: Et quæ facile a medicationis aggressu absterreant, ni Hippocrati esset observatum, *Epilepsiam, quibus ante pubertatem accidit, mutationem recipere.* Experiunda igitur auxilia, quæ trium generum indicantur, unum, a peccantis Evacuatione; alterum, Aversione à cerebro; tertium, ab hujusdem tum ventriculi Corroboratione. Primæ intentioni satisfit Minoratione, saltem in paroxysmo per acre Enema: post hunc Vomitione, Sanguinis depletione, & ex arte præparatæ morbificæ materiæ à toto primitus corpore, deinde à cerebro repetita subinde Expurgatione. Secundæ Fonticuli potissimum & Setones serviunt, ut Tertiæ medicamenta omnia, quæ ventriculum & cerebrum fortificare nata sunt. Sed & Victus ratio abs initiis huic fini & morbo ipsi maxime adversa est imperanda: tenuis, tenuans, siccans. His remediis, si obsequens æger fuerit, haud dubie morbum natura

longum

longum licet & magnum, ſuperabis. Sed alternanda ſunt ex uſu artis, & aliæ atque aliæ medicinarum formæ formulæque pro re nata præſcribendæ. Quod expeditus ut poſſis, operæ pretium habeo componendorum medicamentorum compendiariam, & ſi quæ altera, promtiſſimam methodum tibi communicare; olim Patri meo p. m. conceptam. Cujus ipſa verba è Cap. ult. de Medicament. compoſit. ſpeciali adſcribenda autumavi. *In medicamentorum compoſitione,* inquit, *facilem hanc methodum obſerva. Elige ſimplicia tuo adfectui accommodata, ea in varias formas forma, augendo doſin & minuendo, prout morbus & medicina popoſcerint. Exempli gratia, in Capite frigido humidoque alterando & corroborando:*

Recip. Ligni Viſci querni Drachmas duas. Rad. Ariſtolochiæ rotundæ, Iridis Florentinæ, ana Drachmam & ſemiſſem. Calami aromatici, Galangæ, ana Drachmam. Fol. Majoranæ, Betonicæ, ana Pugillos duos. Sem. Pæoniæ maris, Fœniculi, ana Drachmæ ſemiſſem. Flor. Roriſmarini, Salviæ, Stœchados, Lavendulæ, ana Pugillum. *Si hæc coquantur in q. ſ. Aquæ communis, Majoranæ, Hyſſopi, vel Betonicæ, aut Hydromelitis ad tertiæ partis evaporationem, & Colaturæ Unciarum octo addantur* Elect. Diaphœnicon, Benedictæ laxativæ, ana Uncia ſemis. Hieræ picræ Galeni Drachmæ duæ. Salis gemmei Drachma. *F. Enema. Si eidem Colaturæ admiſceatur.* Syr. è Stœchade, è ſucco Betonicæ. ana Uncia. *F. Apozema præparans. Si vero incoquantur ſub finem ſ. a.* Sem Carthami, Rad. Polypodii quercini, ana Drachmæ ſex. Agarici recentis tres. Zingiberis albi Scrupulus. *Colaturæ deinde ejusdem menſuræ addantur* Syr. Diacnicu Andernaci Unciæ duæ: *F. Apozema purgans, pro tribus doſibus. Quod ſi huic vel iſti*

Colaturæ adjiciantur Sacharii albissimi q. s. *&* *coquantur deinde in debitam consistentiam, F. Syrupus præparans aut purgans. Eisdem simplicibus pulveratis tenuissime & mistis cum* Cons. Flor. Betonicæ, Pæoniæ, ana Uncia. Rorismarini, Rosarum rubrarum, Menthæ, ana Semuncia. Rad. Acori conditarum, Flor. Anrantiorum condit. ana Drachmis sex. Syr. è succo Betonicæ q. s. *F. Electuarium. Præter ista cum* Theriacæ Andromachi Drachmis duabus: *aut sine hac, majore saltem Syrupi quantitate, F. Opiata. Aut, Syrupi loco, cum* sacchari albi s. q. *F. Conditum, quod Auri bractea integi ad spendorem potest. Quod si ea ipsa pulverentur duntaxat, & per se dentur, F. Pulvis. Qui si solus cum* Sacchari solius puri octuplo *minimum misceatur, F. Tragea. Dissoluto vero in Aqua Betonicæ, aliave convenienti,* Sacchari hoc pondere, *& cum pulvere s. a. misto, & siccato, F. Tabellæ. Si excipiantur pulverata* Vini Canarini, aut Malvatici, aliusve s. q. *& in umbra s. a. siccentur, F. Trochisci. Ante exsiccationem si addantur* Ambræ griseæ, Moschi, ana Grana tria, quatuorve *F. Muscardini. Pulverata si interantur in* Amygdalarum dulcium, Pistachiorum, Nucleorum Pini, non rancidorum, ana Uncia. Cons. Salviæ, Rorismarini, Borraginis, ana Semuncia. Olei stillat. Majoranæ Scrupulo semis. Sacchari convenienter dissoluti quadruplo. *F. Morsuli. Sin autem Pulveratis affundantur* Vini albi odori Libræ tres; *& macerentur dies plures, dein colentur, F. Vinum medicatum. Colatura ista si denuo per manicam Hippocratis trajiciatur, & dulcetur* Sacchari albi Libra semis, *F. Hippocratium. Aut, Sacchari loco,* Mellis Narbonensis Libra, *F. Vinum mulsum. Si infundantur in* Aquæ mulsæ Sesquilibra, *& vase bene obturato s. a. coquantur, & colentur,*

F. Hy-

F. Hydromel medicatum. Si vero macerentur in Aquæ puræ q. ſ. *deinde cum* Mellis optimi deſpumati triplo *coquantur lento igne, & calido linteo percolentur, F. Mel. medicatum. Cujus q. ſ. ſuper calentes cineres ſolutæ ſi admiſceatur* Aceti vini albi q. ſ. *ut ſola agitatione Syrupi conſiſtentiam nanciſcatur, F. Oxymel medicatum. Si illa ipſa Pulverata infundantur in* Spiritus vini Libra & ſemis; *poſtea colentur per denſiſſimum ſetaceum, F. Extractum liquidum. Poſt infuſionem vero ſi in B. M. deſtillentur, F. Aqua vitæ Cephalica, aliove ab adfecta parte nomine inſigniendā. Quod ſi extrahatur ex Pulveriſatis per* Spiritus vini q. ſ. *Tinctura: & in ea percolata diſſolvantur* Aloes Socotorinæ lucidæ Unciæ duæ, *mox exſiccentur in Extracti ſolidi conſiſtentiam, F. Pilulæ. Si incoquantur in* Lixivii ſarmentorum, Vini albi, ana partibus æqualibus, *deinde colentur, F. Lotio capitalis. Eadem colatura ſi cum ſpongia calide admoveatur F. Fomentum. Si tantum inſpergatur: aut deſtilletur, ex vaſculi proboſcide, F. Irrigatio. Quod ſi pulverata inter duo lintea inſuantur, frontique ſicca, vel vino irrorata adplicentur, F. Frontale. Craſſiuscule pulverata & raro panno lineo vel ſerico inſuta F. Sacculus. Qui ſi interpungatur ſ. a. & ſupra caput geſtetur, vel pileo aſſuatur, F. Cucupha. Si Simplicium decocti colati q. præſcriptæ immiſceantur* Syr. è Stœchade / Mellis Roriſmarini, Oxymellis ſimplicis, ana uncia ſemis *F. Gargariſma. Si ſimplicibus additæ ſint* Rad. Pyrethri, Turbith gummoſi, Sem. Sinapi albi, ana Drachmæ duæ, *& coquantur in* Hydromelitis q. ſ. *& colaturæ ejusdem menſuræ addantur* Oxymellis ſimplicis unciæ duæ, *F. Apophlegmatiſmus purgans. Pulverata vero ſi* Ceræ q. ſ. *excipiantur & inſtar lupinorum formentur, F. Trochiſci manſiles. Eadem ſimplicia ſi cum* Maſtiches triplo *pulverentur & panno lineo raro illigentur,*

gentur, *F. Nodulus ad manducandum. Tenuiſſime pulveratæ cum* Rad. Pyrethri, ellebori albi, ana pari pondere. *F. Errhinum: naribus inſpiratione attrahendum, aut è penna in eas inflandum. Simplicium decocto colato ſi affundatur* Spiritus Vini Vncia, *F. Errhinum liquidum: tepidum è manus vola naribus attrahendum, ore aqua pleno. Sumatur ejuſdem decocti colati*, Succi Majoranæ, Olei Irini, ana Vncia; *Coquatur leviter ad humiditatis conſumptionem, addatur* Ceræ q. ſ. *F. Errhinum linimenti forma. Vel recipiatur ejuſdem decocti colati*, Vini albi, ana Seſquiuncia, Mellis q. ſ. *Coquatur leviter*, *F. Errhinum opiatæ forma. Simplicibus ſi adjiciantur* Benzoini, Styracis Calamitæ, Gummi Anime, ana Drachmæ duæ & ſemis, Tacamahaca, Caryophyllorum, Ligni Aloes, ana Drachma: *deinde craſſiuscule tantum pulverentur*, *F. Suffimentum: cujus ſuper prunas accenſi exhalatio patulo ore aut naribus debet admitti. Omnia iſta ſic pulverata*, *ſi excipiantur* Gummi Traghcanthi in Aqua Lavendulæ eliquati q. ſ. *Deinde ſ. a. ſiccentur F. Trochiſci ad ſuffiendum. Si inſuper addatur* Carbonum Salicis triplum, & Ladani in Aqua Flor. Tiliæ liquefacti, q. ſ. *excipiantur*, & *exſiccentur*, *F. Aviculæ Cypriæ. Quod ſi Pulveratorum parti uni addantur* Benzoini, Ladani, ana partes quatuor. Liquid-Ambar, pars una. Aquæ Roſaceæ fragrantisſimæ q. ſ. *ad diſſolvenda illa*, & *formandam paſtam*, *F. Caſſoleta: uſus tempore in ollulam Aqua Roſarum plenam injicienda, ut igne huic ſubjecto ſenſim evaporet. Eadem ſimplicia ſi cum* Styracis Calamitæ, Benzoini, Raſuræ Ligni Rhodii, ana Drachmis duabus *pulverentur*, & *excipiantur* Balſami Peruviani Seſquidrachma, Ladani aqua Cinamomi ſoluti, q. ſ. *formenturque rotunda forma*, *F. Pomum odoriferum, quod exterius illini aliquando poteſt* & *debet* Olei Cortic. Arantio-

rum,

rum, aliusve aromatici Guttis aliquot, Moſchi, Zibetti, in aqua Cinamomi diſſolutorum, ana Granis tribus. *Quod ſi eadem pulverata ſimul, Ladani loco, excipiantur* Ceræ ſæpius liquefactæ, & aqua Roſarum ablutæ, q. ſ. Olei Keyrini Drachmis duabus, *F. Balſamum odoriferum, Linimentum, Unguentum, Ceratum, vel Emplaſtrum, pro majore aut minore Ceræ & Olei quantitate. Quam non modo in vehiculis mutare convenit, ſed pro medicamenti forma in ipſis etiam ingredientibus. Neque enim ad quaſcunque formulas neceſſarium eſt præſcriptorum ſimplicium pondus. Sed augendum hoc aut minuendum prout illæ ipſæ, aut utendi modus aut tempus, aliaque eo pertinentia requiſiverint. Animus etiam fuit hoc capite non juſtam ſingulorum ſimplicium doſin in quavis recepta fabricanda præfinire; ſed ſeu Proteum aliquem dare medicinarum, qui in quamlibet ſeſe formam promte transformet &c.*

De ſecunda etiam cura dixi: quæ maximi eſt momenti; & quam hortor diligenter cures. Nam legiſſe multa, nihil; niſi retinueris: retinuiſſe, parum, niſi in tempore ſciveris uſurpare. Id prius memoriæ; alterum acris & ingenii & firmi judicii. Non eſt ſtudium, puto non erit, quod in reminiſcendo memoriam, inveniendo ingenium, diſcernendo judicium exercitet magis & adjuvet, præter illud Caſus ſpeciales fingendi & explicandi; ſeu, ut Itali vocant, Puncta reſolvendi. Ad hoc acceſſurus, ſi imaginari aliquem talem tibi nequis, mutuare è Conſiliorum ſcriptoribus & vel noſtrum imitere, vel quos *Rodericus à Fonſeca* edidit peculiari *Opuſculo, quo adoleſcentes ad medicinam facile capeſcendam inſtruuntur.* Sed ſatis hæc communia in ſcripto adumbravi, imo iſta omnia, quæ juvare poſſint, qui in limine ſtudiorum: ſicut aliquis, qui in via medius, digitum ingredientibus

oſtendit

oſtendit ad ipſam metam, & qua ire cœperunt, eundum dicit.

Nunc quid ſupereſt? ut manum iſtis & mentem admoveas. Sed cave, ne mole hac, quæ videtur, abſterreare. Quid enim? tam varia, tam multa? inquies. Nihil eſt: imo incredibile, quam cito hæc ſuſcipiantur & fiant, ſi tenor & conſtantia ſit, & quisque dies opus ſuum probet. Experire, & ætatis tuæ florem cogita, & corpus labori, animum intentioni ferendæ eſſe. Quæ dum ſinunt, excole optimam indolem, & naturæ agrum, quem Deus feracem optimarum artium ac rerum dedit, ſi induſtriæ aratro ſcindis, & ſemina ſcientiarum injicis. Miſeros, qui aut nolunt, aut negligunt! miſerandos, qui cum velint, non poſſunt! Noli dubitare, perveniet ad optatam calcem, quisquis ſerio volet & nitetur: & talibus utroque oculo Juppiter annuit, Mercurius dirigit, ipſa Minerva manum & mentem iis, & cum iis, movet.

Namque allaborat & laboranti Deus.

Illa una ingeniorum peſtis modo fugiatur, ne perveniſſe nos putemus quo adſpiramus. Senecæ illud aureum: *Puto multos ad ſapientiam potuiſſe pervenire, niſi putaſſent ſe perveniſſe.*



JOHAN-

JOHANNIS RHODII
INTRODUCTIO
AD
MEDICINAM
paulo accuratiorem
ET
BIBLIOTHECA MEDICA
Ex Manuſcripto nunc
primum edita.

JOHANNIS RHODII Introductio ad Medicinam paulo accuratiorem.

Annus primus
1. Institut.

PErceptis bonarum literarum & omnis Philosophiæ institutis, præsertim naturalis, ad rectam medicinæ cognitionem introductionis loco erit *Julii Cnutii compendium*, quod Patavii publicavit (perspicua enim brevitate universam propemodum artem repræsentat) iterate legendum. Hoc excipient *Sennerti Inst. Medicæ*, omnium exactissimæ, Philosopho satis faciles, quibus memoriæ subsidio adjungenda *earundem Synopsis de Humano statu, Lutetiæ vulgata, item compendium ab Auctore* ipso concinnatum. Labor
2. Botan. hic ad minimum annuus erit. Interea præmissa *Spigelii Isagoge*, nudæ stirpium notitiæ præcipue vulgarium, sub perito ac diligenti magistro vacandum, admotis Iconibus Antwerpiæ editis a Plantino, & quæ Tabernæmontani nomine Francofurti exstant. Corporis etiam humani artificiosæ dissectioni tyro adsit, sola *Bartho-*
3. Anatom. *lini Isagoge comitatus*, cui figuras Julii Casserii commode adhibebit. Postquam anni ratione artis propria imbiberit animus,
Annus II.
1. Controversiæ. *controversiis Medicis Vallesii, & Joh. Baptistæ Sylvatici* semestre dandum, eo ordine quo institutionum se offert materia. Nec abs re fuerit ulteriorem notitiam horis pomeridianis una *Fernelii Physiologiam* diligenter legisse, continuato suis temporibus Botanicæ atque Anatomiæ studio. Tantundem *Laurentii* de Crisibus, *Capivaccii* method. med. compendiosæ, & *Claudino* de ingressu ad infirmos re-

cte

cte impenditur; non omisſis, ut monui, Botanicis & Anatomicis, quorum cura ob diffuſam varietatem in multos annos extenditur. *In Botanicis uſui erit Matthiolus* cum notis Bauhini, pariterque *Dodonæus*, brevitate ac ordine gratus, quibus *Bauhini* Pinax optime jungitur. Exacto ita in Germania vel Belgio biennio, commodum fuerit Montispeſſuli animum admovere diſputationibus modeſtis non altercationibus moderatore viro perito ac fido. *Conſulendi hic* pro re nata Argenterius, Augenius, Epiphanius, Theoremata Cardani, & Cornarii contradictiones, Fuchſii & Jonteti paradoxa; maxime Mercatus, Valleſius, & Sylvaticus. Adeundæ quoque *Laurentii* quæſtiones Anatomicæ. Præparandus interim practicorum lectioni animus diligenti materiæ medicæ inſpectione apud Pharmacopœos horis ſuccifivis, cujus qualitas eſt ex inſtitutionibus in memoriam revocanda. Botan. de anatome. Annus III. 1. Controverſiæ. Materia medica.

Vera ſimul compoſitionum, quas vocant formulas, ratio ad eruditiſſimorum conſvetudinem politiori medico diverſis exemplis veluti in uſum docenda: ubi privata opera *Renodæi* Antidotarium curſim evolvendum: Petri *Morelli* ac *Varandæi* formulæ ſemper adhibendæ. Nec omittenda *Heurnii* methodus ad praxin, ſed præcipue libellus de compoſitione medicamentorum *Pravotii*, quem nuper Fridericus Morovius edidit, plurimum quidem confert, ſed extremam adhuc manum è meis ſcriniis deſiderat. Chymicis item operationibus, ſi quæ oportunitas affulſerit, vacabitur, ſed prudenter inſpiciendæ; nec tantum à lectione, quantum ab exercitatione ipſa expectandum. Jatrochymica *Bornetti* cum *Beguino Hartmanni ſub* Glückradii nomine illuſtrato ſufficiet initio, cetera magiſtri diligentia præſtabit. 3. Chymia.

Quarto tempus eſt, ut Aſclepiades Patavii morborum cognitioni incumbat. Vaſta hæc, variisque intricata difficultatibus, nec temporis exigui: Facillimam tamen præbet Sennerti praxis, ex qua ſtudioſus lector hauriet, quæcunque tot gentium ſcriptores immenſis voluminibus comprehendunt. Annui certe laboris pretium feret. Inſpiciendi per hoc tempus ægri. Primorum practicorum lectiones ſtudioſe & attente auſcultandæ; Annus IV. Practica.

dæ; ex quibus præcipuæ obſervationes literis mandentur, non omiſſis medicamentis peculiari dote laudandis. Sed inprimis adeundæ conſultationes, quibus nihil utilius, quarum rationem frequenti uſu addiſcere licebit, easq; in commentaria referri conſulo.

Annus V. Exercitatio, practica aliorum obſervanda.

Quintum annum medicinæ candidatus ægrotantium viſitationibus integrum, celebri Præceptore comitatus dicabit, quem ſolum ſi docentem audiverit, non male ſibi conſulet. Lectioni vix otium erit. Sennertum nihilominus tantum, ut res feret & occaſio. *Capivaccium in* Pathologia, & Med. Meth. *Saxonium* in ſignis morborum expendendis adhibendum ſuadeo. *Septalii* animadverſiones non modò lectitandæ, ſed tum aliena, tum propria obſervatione ſenſim augendæ. Symbolam huc conferent Practici, maximeque poſt *Valleſium*, *Augenium*, *Ferrarium* & poſt *Heurnium* in meth. Med. poſt item *Schulzium* in Aphoriſm. *Rondeletius*, quiq; Medicorum errores privatim indicarunt. Inter quos agmen ducunt *Cardanus*, *Polydorus*, *Seraphinus*, *Sanctorius*, *Mercatus* pariter de indicationibus & recto præſidiorum uſu, ſumma cura pervolvendus. Galenus de morb. & ſymptom. cauſis & differentiis, de locis affectis, ejusdemque Meth. Med. ex Epitome *Lacunæ* legatur, quanquam dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquæ. Naturæ & effectus & eventus rariores inter ipſas operas notentur, imo ſuo quique ordine ægri, quotquot occurrunt, diligenter in hiſtoriam reponendi, præmiſſis naturalibus & non naturalibus, antequam præternaturalia enumerentur, annotatis omnibus exquiſite remediis. Quæ vero longis experimentis fidem promeruerint, tum ſimplicia, tum compoſita, ſuis quæq; titulis ſubſignentur, ut poſcente uſu promta ſint. Hieron. *Mercurial. conſilia juxtaque Claudini* familiariter habenda, cetera per occaſiones evolvantur. *Foreſti* obſervationes, omiſſis Scholiis, *Platerii* præterea percurrendæ. *Hippocratis Aphoriſmi* cum notis *Hollerii* legantur. *Prognoſtica* cum *Jacotio*; *Duretus in Coacas*, *in Epidemia Valeſius*.

Annus VI. Practica exercitatio auſpicanda.

Sextum ſi exigere licebit, eodem paſſu annum, collegii judicio impetrata medendi facultate ſibi aliisque ſatisfecerit, qui hanc ſtudiorum rationem fuerit ſequutus. Etenim liberior

rior jam per omne Scriptorum genus vagabitur, securius tamen iis anno hujus curriculi tertio immorabitur, quos peculiari syllabo familiares constitui. Ex quorum numero præter eos quos asterisco notavi, seligatur *Matth. de gradibus*, *Hollerii Praxis cum notis Dureti*, *Rondeletii* & *Flateri* praxis, *Mercurial.* de morbis mulierum & puerorum, *Consilia* Cratonis & Solenandri, *Amati* Lusitani observationes, *Forestus*, *Valesius* in Epidemia.

Postquam studiis sic annos sex dedit, provectior Hippocratem & Galenum antesignanos volvat: quibus ceteri *Græci & Latini antiquiores*, *Aldi & Stephani cura editi* saltuatim succenturientur. Horum autem lectio propter summam rerum varietatem parum utilis futura, nisi, quod prius monui, singula suo loco ad exactam seriem referantur. Ordo namque disciplinarum anima. Ad oblectationem facient rerum naturalium Scriptores in Bibliotheca recensiti. Brevem hanc usui magis dedi, quam pompæ, Plutarchi consilio, qui de liberorum educatione: ὄργανον τῆς παιδείας ἡ χρῆσις τῶν βίβλων.

Ordo Locor. Comm. Rhodii.

1. *Critica.* Ubi errores aliorum in exponendis locis, falsæ citationes: Ut Mercurialis, Lucretii, relationes parum fidæ, observationes contrariæ, ut Scorpius ovis, Sever. Dn. Rhod. ubi non solum errores ab ipso, sed etiam ab aliis defenduntur ut vera. 1.

2. *Vindiciæ.* Loca impugnata ab aliis defenduntur, ut vera.

3. *Variæ Lectiones*, seu diversitates MS. & Criticorum.

4. *Suspiciones.* Cogitata super loca, nomina, interpretationes locorum, quæ tamen non certo afferuntur.

5. *Dubia &* contradictiones, uti loca difficiliora.

6. *Termini*, nomina obscura, gryphi: ut nix fumans, caput jecinoris.

7. *Electa.* Historiæ raræ, Casus rari, raræ opiniones, ut Ellychnia ex Amiantho, Cæsalp.

8. *Explicatio* locorum insigniorum, quorum vel creber

 usus

usus, vel obscuriora; magni usus in praxi Hippocr. Galen. Avicen. Theophr. Dioscor. Platon. Arist.

9. *Miscellanea.* Georg. Agricol. Med. Castrensis: Lemnius in Suevia mortuus.

10. *Axiomata medica*, cum suis limitationibus & amplificationibus, ut, de nominibus non esse disputandum.

Auctores legendi in re medica.

1. *De morbis particularibus* Sennertus loco fundamenti legendus. Adde *Massariam*, qui facilis & copiosus, multaq; Galeni loca conciliat. Nucleus Galeni *Altimarus*, Lugduni impressus, qui omnem doctrinam Græcorum in compendium contraxit. Hinc *Saxonia*, qui in signis distinctionibusq; excellit; *Capivaccius*, qui in doctrina indicantium rarus; *Trincavellius*, qui eruditus, solidus; *Mercurialis*, qui varius & Polyhistor, & remedia facilia & promta; *Mercatus*, qui cum consideratione legendus, nam inordinatus, qui remedia maxime in obstructionibus lienis. *Cum Massaria* auctor Enchiridii, qui methodum exequutionis; alii methodum inventionis sequuntur. *Pereda* cum aliis legendus, facilis, brevis. *Cum Altimaro Rondeletius*, cujus cautiones observandæ; & *Hollerius*, qui remedia habet facilia, promta, & secura.

De morbis externis *Minadous, Mercurialis.*

2. *In Chirurgicis* Aquapendens, ad quem referatur quidquid observatur apud Fallopium, qui fidissimus doctor, Pareum, & Hildanum. Reliqui inspiciendi, consulendi: ut Barbari, *Bertapola* & *Ingrassias* de tumoribus, *Chalmeteus* præstat remediis.

De morbis occultis, Rudius, Palmarius, Fracastorius. Rudius sit loco omnium, qui præcipue & optime hoc argumentum tractavit. *In Chymicis* Quercetanus, Beguinus, Crollius, Hartmannus, Medulla destillatoria. *In methodo* universali familiarissimi habendi Claudin. Heurn. method. ad praxin l. 1. præcipue. Pernumiæ methodus, qui paradigmata habet. Mercat. de indicat. & recto præsidiorum usu. *Septalii animadvers.* L. Schultz aphor. med.

med. *de Compos. medic.* generatim legendi *Trincavell. Fallopius, Seseronius. Exempla Form.* apud Varandæum. Cælestiani observ. pharmaceut. Propter encheireses *Bauderonii* Pharmacia, Rondeletii Pharmacia *dignissima, quæ legatur.* Weckerus curiose editus Basil. Hi omnes cum Morello conferendi. NB. præparationem ad pharmaceuticam, usum ad Methodum med. pertinere.

De materia medica Hollerius, *de materia Chirurgica* Joubertus *Fernelius omnium nervosissimus*, Vidus Vidius, qui omnia plene, prolixe & accurate. 7.

Consilia Mercurialis, Claudini. Montani: Epistolæ Trincavellii & consilia diversorum. Reliqui *ut Crato, Fernelius bona habent materialia*, sed supponunt multa. *Foresti observ.* omissis scholiis, apud quem probata remedia. Consilia præparatoria titulotenus in peculiarem librum disponantur, affectuum ordine quem Sennertus habet. 8.

De morbis particularibus, ut puerorum Mercurialis.

De morbis mulierum Rodericus a Castro, qui omnia ex Mercato & Mercuriali, ad quem conferantur ceteri, qui in Gynæciis extant in Editione Argentina. 1.

Historiæ & observationes. *Plateri. Plateri* praxis multum confert ad copiam & varietatem medicamentorum, ex quibus in rem variam alii jungi poterunt. 9.

Modus legendi generatim.

Quicquid omissum à Sennerto, paucis addendum propriis suis verbis, adscriptis Autore, libro, capite & pagina. Si quid alicujus momenti, inserendum inter lineas: Synonymæ, limitationes, amplificationes, ceteraque quæ ad sensum pertinent literalem. Si idem ab aliis clarius probatum, id notandum hac formula: vid. l. c. p. vel, de hoc v. c. p. ad; Si quid contrarium, notetur hoc signo --- Si quis idem argumentum ex professo tractaverit. e.g. de vesicatoriis in febr. id monendum h. m. Adde l. c. p.

Sigillatim.

Observandum, si quid peculiare, in causis, signis, quod ad

sua

ſua loca deferendum, Hoc ex hiſtoria aut. obſerv. colligitur.

Cautiones in enarratione ad Septalium referantur hoc ordine, ut primum locum teneant Chirurgicæ, alterum Pharmaceuticæ poſtremum diæteticæ, ordine in meth. med. præſcripto.

Remedia peculiariter laudata ſi univerſalia, ad Sennertum notentur, particularia vel ſimplicia, & hæc quoque ad textum notentur; vel compoſita, quæ in peculiarem libellum deſcribantur, ſi ſcilic. valde laudata & efficacia, eo ordine, qui à Sennerto affectibus tribuitur.

Diverſitas Auctorum in materia & doſi margini paulo laxiori breviter addatur. Ad calcem addatur, ſicubi apud vetuſtiores deprehenditur, ut ſuum cuique reddatur. *In hiſtoria* obſervationes, cauſæ, ſigna, effectus medicamentorum, quorum ſingula in ſuum locum transferantur.

Affectibus à Septalio omiſſis peculiaris fiat ejusdem cum Septalii forma libellus, in quem conſignentur cautiones, eo ordine, quo monui, nempe Chirurgicæ, pharm. & diæt. omnia ſtylo proprio, perſpicue ac breviter.

Miſcellanea præpterea, ut quæ non ita ſubito ad certum locum referre licet, ne quid excidat, in adverſaria reponantur, ſerie alphabetica, adſcripto Auctore, ut ſupra l.c.p. ex quibus poſtea matutinis cogitationibus ad ſuos quosque fontes traducantur, quibus creſcentibus ſubdatur index Phyſiologicus Pathologicus &c. ordine alphabetico.

Bibliotheca Medico Familiaris, collecta ab Johanne Rhodio.

ELenchus Medicorum Synechii. 8. Argent.

Joh. Antonid. von der Linden *de Scriptis Medicis*. 8. Amſtelod.

Petri à Caſtro Bibliotheca Medica Erudita. 12. Patav.

Henrici Stephani Dictionarium Medicum. 8.

Gorræi definitiones. Fol. poſt. edit. Pariſ.

Lexicon Medicum Bartholomæi Caſtelli. correctum à Stupano. Baſ. 8. Sed in quo Arabica deſiderantur.

Oecone-

Oeconomia Hippocratica Föesii Fol. Francof.

Index Pini in Hippocr. F. Venetiis. Cui respondet Hippocr. Bas. edit. 1546.

Theatr. Galenicum Mundellæ. edit. à Gratarolo Fol. Bas.

Institutiones.

Justi Cnutii Epitome. 8. Paris.

Inst. Sennerti. 4. postr. edit. Commentarii loco in quem omnia possunt referri.

Ejus epitome, in 12. & 8.

Tabul. Fol.

Tabulæ Medic. Castelli. 4. Messan. Lectioni & Consiliis ad auctoritatem veterum.

Anatomici.

Anatome Bartholini. 8. Lugd. omnium vice.

Bauhini. 4. Francof.

Spigelii. Fol. Ver. & Lugd.

Icones Casserii ad vivum erpressæ.

Vesalli Fol. Bas. 1555. quæ editio est auctior.

Veslingii novissima cum figuris. Pat. ad memoriæ subsidium.

Botanici.

Spigelii in rem herbariam Isagoge. 12. Leid. Tyronib. necessaria, primo loco habenda.

Matthiolus in Dioscoridem. Cum notis Bauhini, Fol. Francof.

Dodonæi historia stirpium. F. Antwerp. brevis & facilis,

Pinax Bauhini. 4. Bas. utilis veterum lectioni.

Matthioli Epitome. 4. Francof. & Ven.

Icones Tabernæmontani. 4. Franc.

Icones Dodonæi Zobolæi 4. Antw.

Practici.

Fernelius. Fol. Franc. emendatior.

Peramati Dulcis Medicina. Paris.

Claudinus de ingressu ad infirmos. 8. Basil.

Ejusdem prognostica, 8. ibid.

Laurentius de Crisibus 8. Francof. Hujus Compend. in Sennerti institutionibus.
Mercatus de recto præsidiorum usu. 8. Colon.
Leo Roganus de pulsibus & urinis. 8. Venet. Comment. accuratiss.
Sphygmica Arathii. 8. Basil.
Sanctorii Statica. 16. libellus curiosus.

Chirurgica.

Hieron. ab Aquapendente Chirurgia. fol. postr. editio. Patav. (familiaris)
Gabrielis Fallopii opera. fol. Venet.
Fabricii Hildani opera. fol. Francof.
M. Aurel. Severinus de Tumoribus anomalis. 4. Francof. Solide doctus.

Pharmaceutica.

Pharmacopæa Rhenodæi & Quercetani restituta. 4. Francof.
Dispensatorium Londinense fol. Lond.
Augustanum. fol. & 8.
Valerii Cordi. 12. postr. edit. Leid.
Antidotar. Weckeri. 4. Basil.

Methodus medendi.

Methodus Heurnii ad Praxin. 4. & 8. Leidæ. Remediis & cautionibus liber singularis.
Morellus de formulis remediorum 8. Bas. & 12. Pat.
Varandæi formulæ. 8. Franc.
Ludovicus Esthius de remediorum formulis. 8. ibid. facilis.
Job. Schyronii Meth. med. 12. Gen. 1623. rationem reddit singularem in febribus.

Chymica.

Jatro-Chymia Duncani Bonetti. 4. Franc. Instit. Chymicarum loco.
Libævii Alchymia. 4.
Crollius cum not. Hartm. 4.
Bequinus cum not. Gluckrad. quæ Hartmanni sunt. 8.

Diætetica.

Quercetani Diætetic. Polyhistor. 8. Gen.

Pisa-

Pisanellus de cibis. 8. Veronæ Lat. Italice Venet. Ordine commendabilis.
Thesoro della Sanità, di Castore Durante. 8. Venet.
Bruyerinus. de re cibaria. 8. variæ doctrinæ.
Brutus Lusitanus. de victu in accutis. 8. Venet. & Lovan.
Andreas Baccius de vinis. fol. Rom.

Varii auctores.

Hippocr. Græcolat. Foësii. fol. Franc.
Prosper Martianus. in Hippocr. fol. Rom. & Venet. doctus.
In Hippocr. Tabul. Zuingeri. fol. Bas. Instar. commentarii est.
Septalius in Hippocr. de aëre, aquis & locis. fol. Franc.
Hollerius in aphor. Hippocr. 8. Gen. omnium optimus.
Idem in Prognostica fol. Paris.
Galenus in Aphoris. Hippocr. 12.
Epit. Hippocr. 12.
Rodericus Fonseca in Aphor. Hipp. 4. Ven.
- - *in Prognost.* 4. Ven. analysis egregia candidatis
Galen. Fol. postr. ed. Venet.
*Galenus de arte medendi, de Constitutione artis de * morbis & Symptomatib. de * locis affect. de usu partium, de * meth. med. de * Febrium differentiis.* Lugd. 12. iterato & diligenter legantur.
Duretus in Coacas prænotiones. Fol. Paris.
Vales. in Epidem. Fol. Neap. & Bas.
Pet. Salius in Hipp. de morbis, fol. Franc.
Valeriola in Galenum de differentiis & caussis morborum ac symptom. 8. Genev.
Fabius Pacius in methodum Med. Gal. fol. Tom. 2.
Sanctorius in artem parvam 4. Venet.
Alph. Lopez in Galenum fol. Madrit. rarus & utilis.
Julius Alexandrinus in Galen. fol. Bas.
Andreæ Lacunæ Epitome Galeni fol. Argent. 8. Venet. 12. Lugd. bona fide servatis Galeni verbis remotisque digressionibus.
Avicenna Costæi fol. Venet. postr. edit.
Avicennæ interpretes fol. tom. V. Ven. digni qui consulantur.

Sanctor. in prim. Tom. Avicenn.
Mesue fol. Ven.
Principes Medici Henrici Stephani. fol. Parif.
Medici Latini antiqui, fol. Venet. ald.
Nicolai Rorarii contradictiones 8. Venet.
Cardani Contradictiones 8. Marp.
Conciliatoris differentiæ fol. Ven. vel
Conciliator enucleatus, opera Gregorii Horstii. 4. Gieffæ
A genterii Opera, fol. Francof. exquifita & docta, & fubtilitatis plena.
Bruelli Praxis 8. poft edit Lugd. Bat. in qua feries & delectus remediorum.
Sennerti Practic. 4. Witteb.
Breviator omnium Capivaccius. fol. Franc. Vbique fibi fimilis, meth. & indication. fingularis, fubtilis.
Maffarias fol. Lugd. 4. Ven. 1613. facilis & diligens Galeni fectator, cujus de Febrib. & medicam. libri præcipue perlegendi.
Altimarus fol. Græcorum doctrinam profequens.
Saxonia fol. Patavii in enodandis morbi fignis accuratus.
Trincavellus fol. Ven. in morbi theoria excellens.
Euftachius Rudius fol. Ven. Copiofus & adcuratus.
Mercati opera fol. Franc. erudita, fed ordine parum digefta, ideoque poftremo loco legenda.
Fuchfii Opera fol. Franc.
Jacobi Sylvii Opera fol. tom. 2. Franc. remediis & obfervationibus præcellunt.
Peredæ praxis. 8. Lugd. folida.
Hollerii praxis cum not. Dureti. 4. Parif. Variæ doctrinæ, fed Hollerius ipfe remediis familiaribus & tutis excellit.
Rondeletii praxis poft. edit Aurel. allobr. 8. emend. a Paul. Orakero. Cautionibus prævalet, fed remedia funt operofiora.
Nicolai Pifonis pract. 8. Franc. cui præter auctoritatem veterum nihil deeft.
Matthæus de gradib. fol. Ven. e Græcis & Arabibus concinnata fummo ftudio praxis.

Plateri

Plateri praxis 8. Baſ. tom. 3. ampla, exercitatis idonea.
Guaynerii praxis. fol. Lugd. caution. & remed. præſtans, præcipue ſimplicibus appropriata, & in victu, diligens ſcriptor & fertilis.
Laurentii Jouberti Opera f. Franc. eruditæ ſubtilitatis.
Autores de Febribus. f. Venet.
Æneas Caprilius de febrib. putridis. 4. Patav. ſolidus ſcriptor.
Octavianus Roboretus de febre Petechiali. 4. Trid. omnino legendus ex quo plurima Senertus.
Minadous de Febre maligna. 4. Patav. præſtantiſſimus.
Petr. Fabius de febre peſtilentiali. 8. nihil iſto inferior.
Martinus Rulandus de lue Hungarica. 8. Lipſ.
Auctores de morbo Gallico f. Ven. tom. II.
Joh. Thomas Minadous de Turpitudinibus. fol.
Felicianus Betera de variolis malignis. 4. Brixiæ. eximius.
Jacbinus in IX. Rhaſis 8. Lugd. eruditus.
Reuſnerus de Scorbuto. 8. Francof.
David de Pomis & Fogoroles de affectibus Senum. Venet. Pariſ.
Gerocomica. Anſelmi. 4. Venet.
Julii Cæſaris Claudini Empirica rationalis. f. titulo reſpondet.
Gatinaria. 8. Venet. in quo Sylva remediorum.
Enchiridium Practicum. cum Chalmeteo. 8. Fernelius forſan prima duxit lineamenta.
Benedicti Faventini Empirica. 8. Ven. certa & tuta.
Secreti in Rapata. 8. Ven.
Petri Bayri Practica. 12. Baſ. empiriea rationalis.
Hieron. Montui practica. 4. Ven. ſpecificis valet.
Mercurialis de morbis pueror. Ven. 4. omnium optima, cui præit.
Paul. Bagellardus de morbis puerorum cum Jemallo Faventino. Lugd. candidus.
Mercurial. de decorratione. 4. lib.
Rodericus à Caſtro de morbis mulierum. 4. Hamb. & Venet. diligens.
Gynæcia Spacchii. fol. Argen.
Palmarius de morbis contagioſis. 8. Franc. Fernel. auctor, qui legi meretur.
Euſtachius Rudius de morbis occultæ qualitatis. fol. Venet. optimus.

Andreas Baccius de Thermis. fol. Rom.

Septalii animadverſ. & cautiones. 8. Patav. medico perneceſſariæ.

Joh. Rhodii in easdem Analecta, & notæ, 8. Septalii ſupplementum.

Sanctorius de vitandis erroribus. 4. Venet.

Laurent. Scholzii aphor. medici, 12. Arg.

Errori Populari di Scipione Mercurio. 4.

La Commare di Scipione Mercurio. 4. inſignis.

Obſervationes Amati Luſitani. 4. Burdig. exquiſitæ.

Valeriolæ. 8. Lugd.

Schenkii. f. Francof. laborioſe ac diligenter conquiſitæ.

Dodonæi. 8. Amſtelod.

Marcelli Donati. 8. Giſſæ.

Plateri. 8. Baſil. peculiares, atque remediorum ſilva utiles.

Foreſti Leidæ. ei neceſſariæ qui mederi cœpit.

Conſilia Montani. f. Baſil. cum append. facilia.

Mercurialis. f. T. 4. Ven. exquiſ.

Solenandri. Francof. remediis præſtantiſſ.

Cratonis. 8. ibid, pariter.

Claudini. f. Ven. & Francof. morborum evolutionibus & obſervationibus excellunt.

Roderici Fonſecæ. f. Ven. Tom. 2. ad pompam & aliena fide remedia pleraque.

Matthiæ de gradibus in diæteticis accuratus.

Benedicti Sylvatici. methodo exſecutionis.

Boëtius à Boot de Gemmis. 8. Leidæ varietate amœnus.

Agricolæ Opera de rebus metallicis. f. Tom. 2. Baſil. ſolida & uſu probata.

Aldrovandi Opera. f. Bon. varia.

Vottonus de animalibus. f. Pariſ. rarus.

Rondeletius de piſcibus. f. T. 2. eruditus.

Geſneri Opera. f. Baſil. & Tigur.

Plinius cum notis Dalechampii f. Lugd.

Autores

Autores rei rusticæ 4. Ven. Aldi.
Mercurialis Gymmastica. 4. Junt. eruditionis plena.
ejusd. variæ Lectiones ibid.
Hieronymi ab Aquapendente Opera Physica & Anatomica. fol. & 4. Patav.
Athenæus cum notis Casaub. f. Lugd. 1612.
P. Vegetii Mulomedicina 4. Basil.
Rei veterinariæ Scriptores à Ruellio editi Paris. fol.
Prosperi Alpini medicina Ægyptia. 4. ibid. & Patav.

Bibliotheca medica paulo diffusior

Antonius Tosius de anthrace & peripneumonia Neap. 4.
Albucasis meth. med fol. Bas. totus chirurgicus.
Albohali de regimine sanitatis, Argent, 16.
Apollonius Menabius de alce.
Principes medicinæ Paris. fol. t. 2.
Antidotarium Romanum 12. usitat.
Prevot. in exam. formul.
Bononiense 4. Aldrovandi, nomine collegii.
Aquapend. de formatione Ovi & pulli.
Aurelii Anselmi Gerocomica.
Vincentius Alsarius de epilepsia 4. Rom.
Joannes Æmilianus de ruminantibus Ven. 4.
Prosper Alpinus de Balsamo 4.
Horatius Augenius in Gal. ad Glaucon. apud Johannem Rhodium ineditum αὐτόγραφον.
Altimarus de Vinaceis & mannâ c. praxi.
B. Angelus de viperis, ex eo Aldrovandus plurima 4.
Stephanus Athenienſis in Gal. de cur. ad Glaucon. classicum.
Alscharavius fol. classicus.
Georg. Agricola de peste 8. medicus & consul Annæberg.
Avicennæ interpretes Tom. 5. fol. Ven. 1523.
Augenii prælecta in artem parvam inedita ap. Joh. Rhod.
Alsarius à Cruce de morbis capitis 4. Rom.
Consultationes ad Mercatum.

Cœlii Aureliani medicina. 8. Lugd. ap. Rov.
Antonii Alvarez epist. & consult. med. Neap. 4. 1585.
Accorombonus de catarrho.
Paulus Æmilius de partu hominis.
Santes Arduinus de venenis cum additam. Bonzet. Cardinal. fol. Basil. ed. Zwinger.
Bartholomæi Ambrosini panacea ex herbis, quæ à sanctis denominatur Bonon.
Alsarii consilium prophylact. de peste. 4.
Antidotarium Mantuanorum 8.
Argenterii de erroribus veter. medic. fol. Florent. ap. Torrent. 1554.
Æschacii majoris Dobreborani scrutinium ingeniorum.
Baubini animadversiones in opus Lugdunense 4.
ejusd. de Hermaphroditis }
de compos. medicam. } 8.
Beguinus cum Glückradio. est Hartmanni, sed ille ipsi 100. ungaros misit ut taceret: dictavit Rhodio, qui editum auxit.
Bonamicus de alimentis. 4. Pisis Professor, Hofmanno familiaris & laudatus.
Brudus de ratione victus in acutis. Venet. Antwerp. & Lovan.
Nicolaus Bocca de morbis malignis 4. Madrit.
Paulus Bagellardus. Patavinus de morbis puerorum 4. Lugd. 8. ex eo Mercurialis plur. de morbis puerorum.
Joan. Bravus de odoribus & saporibus 8. Venet.
Benivenius de morbis mirandis, Leidæ.
Baldutius de tumoribus & febribus malignis Venet.
Bonaventura de partu octimestri apud Ducem Urbini à literis.
Badilius de V. S. in pueris ante. 14. annum 4. Ven.
Camillus Baldus in Physignomiam Aristot. t. Bonon.
Bryerinus de re cibaria 8.
Theodorus Baronius de læsa operatione mejendi.
Berti del bever fresco 40. Ven.
Ludovici Bortuldi apparatus medicamentorum 4. Tom. 2. Venet.
Felicianus Betera de variolis malign.
Mariani sancti Barolitani de ardore urinæ. Venet. 8. V. pag. 47.

Baccius de venenis. Romæ.
Hieronymus Bonipertus in Gal. de crisibus cum 300. erroribus.
Ejus empiricam ineditam M. S. Joh. Rhodius possidet.
Cæsalpini speculum Hippocraticum in 8.
Joh. Cajus de meth. med. & sudore Britannico. Londini.
Christophorus à Costa de simplicibus exoticis. Ven. 4.
Joh. Costæus de potu in morbis, de igneis medic. præsidiis. omnia bona.
Tarquinius Carpinettus de arthritide. Spigelius sibi scripserat, & post obitum gener edidit ejus nomine.
Cardanus de erroribus medic.
Bernardinus Cajus de usu vesicantium. Venet.
Gerardus Columba de febrib. pestilent. Hispanus est.
Paulus Crassus de morte repentina. Ven.
Cæsalpini metallica. 4. Romæ.
Rodericus Castrensis de complexu morborum.
Colasius de renum adfectibus. Romæ 4.
Fabii Columnæ Neapol. omnia bona.

Chirurgia Guidonis. *Bruni.* *Theodorici.*	fol. Venet.

Curtius de prandio & cœnâ.
Costæus de morbis animæ. 4.
Steph. Rod. Cast. quæ ex quibus. 12.
Capivaccii Opera f. Francof. Penes Rhodium ipsius lectiones veræ.
Costæus de stirpibus.
humano conceptu. 4.
Galeazzius Cairus de purgationibus vernalibus & autumnal. it. de cichorio. f. 3. vol.
Andreas Camutius de palp. cord.
Baptista Codronch. de vitiis vocis, & modo testificandi. f. Franc. 8.
Chirurgia diversor. edita Tigur. per Gesner. f. 1555.
Æmilius Campolongus de morbis cutaneis MS. ap. Joh. Rhod.
Camponellæ medicina. 4. Paris. empirica.
Franciscus Campus de morbo arietis. (catarrho) Ven. 8.
Petrus Castellus de abusu dier. critic. enumerat Messanæ 8.
ejusd. hortus Messanensis.

Baccius de alicorno.

de thermis. f. Rom.

Dioscorides Saraceni. f. Francof.

Marcelli Donati historia admir. Patav. 4. Horstius edidit. Sylvatico familiar.

Petrus Salius Diversus de febr. pestilent. & adfectib. particular. ab aliis non observatis. 8. Francof.

Idem in Hippocr. de morbis familiar. f. Francof.

Delechampii historia plantar. Lugd.

Marcellus Donatus de variolis & mechoacana Mant. Venet.

Anton. Donat de semplici, pietre è pesci marini. Venet. Pharmacopola Venetus autor est.

Pet. Sal. Diversi in. 4. Fen. Avicennæ comment.

Thom. Erastus de occulta pharmacorum potentia. Heidelbergæ vixit Italus & præceptor Bauhini ac Vorstii.

Erotiani onomasticum cum Barthol. Eustac. annotationibus. 4. Ven.

Erastus de putredine.

Estius de remediorum formulis. creditur opus cepisse Salom. Albertus Prof. Witteb. & ita est.

Foresti observat. med. Leid. Raph. 8. Francofurt. erroribus in dosi scatet.

Joan. Fienus de flatibus. 8.

Thom. Fienus de viribus imaginationis. 8. Lovan. Antvverp. doctus: ex eo Sennertus in tract. de cons. & diss.

Thomas Fienus de format. fœtus.

de cauteriis. 8. Lovan.

Frambosier de regim. sanitat. 8. Gall.

Fogerolæus de Senum affectibus.

Fontani praxis. in 4.

Auctores de febribus. fol. Venet. falso Fernelius creditur collegisse.

Fonseca de febribus.

in prognost. Hippocr.

Fallopii Opera. Venet. apud Valgris. cum signo catti opt. editio.

Au-

Augerii Ferrerii meth. & castigat. practica. 8. Lugd.
Fracastorii Opera Ven. 4. postr. ed.
R. Fonseca in legem Hipp.
de calculo Romæ. rarus.
de tuenda valetudine.
consilia. f. Ven. 2. Tom.
Adverte, nunquam usum remediis chimicis, quæ ibi adhibet ad pompam; ad colicam remedium a veterinariis.
Casus de febribus.
de excrementis hominis.
Historia naturale d' Imperato Ferrante Neap. studium ejus egregium.
Lœlii à Fonte consilia. fol. Ven. F. F. C. M. coronatos lucratus Ven.
Joh. Fischerus in Hippoc. aphor. Tubing. Sylvaticus laudat.
Fernelii Therapia Lugd.
Secreti del Fallopio. spurii sunt.
Dionysii Fontanoni de morbis internis. 8. Lugd.
Benedicti Faventini empirica. Ven. 8. & Argent.
Gabelchoveri empirica harmonica. 4.
Cent. 4. Observat.
Dominicus Salvano de' fontanelle. Neap. 4.
Gattinaria in 9. Rhasis.
Glandorpii Chirurgia.
Joh. Baptista Gemma de bubone pestil. Hispanus.
Anton. Guaineri Opera. Lugd. f. opt.
Gabuzinus de podagrâ. 4. quem secutus Spigelius.
Guastavini Locor. medicor. select. T. 2. prim. Lugd. alter Florent. tertius ap. hæredes superest. Prof. Pis.
Hieron. Gabuzinus de lumbricis.
Matth. de gradibus. in 9. Rhas.
idem c. praxi ejus.
Hartmanni disputat. Jatrochimicæ. Marp.
Joh. Heurn. Oper. 2. T. 4. Leid. rarus.
optima ejus methodus ad praxin.

Hollerius in aphoriſmos. judicio Saxoniæ in eo genere optimus.

Praxis Paſchalii cum notis Peredæ. Lugd. 8. editio Veneta nullius momenti.

Galenus. ab Hofmanno recognitus apud Volcamerum eſt, 300. imperialibus venditur, 30. annorum labor, propria manu concinne conſcriptus.

Hippocrat. Foëſii. optim. ſed affectatus.

Hollerii in Gal. de compoſit. medic. perioche. Rhodius laudat.

Edmundi Hollingi Angli œconomia medicamentorum. Ingolſtad. Prof. ap. Rhod. MS. epidem. eſt græc.

Jachinus in 9. Rhaſis.

Imperatus de foſſilibus. Neap. 4.

Ingraſſias de tumoribus. fol. legendus.

id. in Gal. de oſſibus

Jachinus de febr. Lugd. 4.

Ingraſſias de re veterinaria. In lib. de V. S.

Jul. Jaſolini quæſtiones anatomicæ. Norimb. 4. Severini præceptor.

Laurentius de criſibus. Francof. totum deſcripſit Sennertus.

Langii epiſtolæ medicinales. opt. & omnino leg.

Nicol. Leonicenus de Plinii erroribus. 4.

Garziæ Lopius variæ lect. med. omnino legendæ.

Jodoci Lommii Obſervat. med. Antvverp. *id. de febribus continuis.*

Alphonſi Lopez annot. in Gal. fol. Madrit rarus ſed bonus.

Moufetti Noſomantia Hippocratica. F. fol.

Maurocenus de metallorum cauſis.

Cæſar Magatus de rara medicatione vulnerum Bonon.

Liberatus de liberatis, de podagra. Neap. 8. & Romæ

Benedicti Metamori diſp. de feb. fol. Hiſpan.

Mocchinus de cauſis concretionis.

Joan Minadous de variol. & morbil.

arthritide.

febre malignâ.

Mercurial gymnaſtica. Variæ lectionis.

Maſſariæ diſp. de abuſu veſicantium, & theriacæ in febrib.

diſput. ejuſd. contra Saxoniam.

Mon-

Montalti Judæi optica
Joan Mannus de malleolor. Scarificatione. Turcam curaverat, & in reditu à comitibus occisus.
Mercurialis de morbis puerorum
Hieron. Montui praxis.
Prosp. Martiani Notæ in Hippocr. doctus.
Georg. Morellus de aquis medicatis agri Patavini Patav. 8.
Mercatus de indicationibus & recto præsidiorum usu, 8.
Medici Latini antiqui ap. Aldum. fol. Tom. 4.
Georg. Morell. de scarif. malleol. 8.
Nicolai Florentini Opera medica f. T. 4.
Joan. Nardi de igne subterraneo.
disquisitio de rore.
apologeticum in Fortunii Liceti, Mulcram. in. 4.
in Lucretium. 4.
Oribasius in aphor. Hipp. 8. rarus.
Joachimi Olhavii disp. de usu renum Dantisc. in. 8.
Garzias ab Horto de aromatibus.
Pavius de ossibus. Leid.
epitome Vesalii.
anatomicus succenturiatus.
Fabius Pacius in meth. med. Gal. fol. Tom. 2. optimus & eruditus.
Pauli Pernumiæ Therapeutica, edente Horstio. opt.
Pequeti Chirurgia. f. Flor. Professori utilis.
Pulverini praxis. Neap. fol.
Pona de monte Baldo, adjunct. Clusio in fine.
Matth. Pini index Hippocr. f. Ven.
Pisanellus de esculentis & potulentis.
Simon Portius de coloribus. Neap. 8.
idem de dolore 8. rarus
David de pomis, de senum affectibus.
Bartholomæus Paschettus de catarrho. 4.
Picotius de catarrho.
Francisco Pona de veneni è loro cura. Ven.

Nicol. Rosarii contradict.
Renodæi dispensatorium c. Quercetani pharmacop. Francof.
Pousfetti hysterotomia Bas. edente Bauhino. 8. opt.
Rondeletii Praxis ex emendat. Pauli Crokeri Poloni. Genevæ in 8.
Rulandus de lue Hungaricâ. Lipsiæ.
Lexicon chimicum : Rhodius auxit.
NB. Rulandi dispensatorium periculosum in dosibus, ergò cavendum.
Eustachius Rudius de pulsibus. 4.
rarus, nec est inter opera ejus.
Ejus opera reliqua omnia f. Venet. postr. edit. ap. Franciscinos.
Hieronymi Rubei disputationes de melonibus. Ven. 4.
Balduini Ronssæi epistolæ med. in Belgio.
Octavius Roboretus de febre petechiali.
Sennertus ad litteram descripsit in suo operē
Rhasis. Venet. Experimentator.
Rei Veterinariæ scriptores interpr. Ruellio. Paris fol.
Severini Idea medica, exscripta ex Isaaco Hollando magn. part.
Simon Simonis de putredine. acutus, Lucensis origine Poloniæ Prof.
Spachii nomenclatura medica.
Schonemanni Hydromantia 4.
Denarius Hermeticus 8.
De curandis sclopetorum vulneribus.
Alphonsus Ferrius
Franciscus Rota, & } Antvverpiæ.
Leonard. Botallus.
Schyronii meth. med. 12. Genev. mendose impressus.
Savanarolæ Practica. opt. remediis fol.
de Febribus. ante 300. annos vixit.
Saxon. Tractatus de Plica vivus solum edidit, reliqua imperfecta summam à Rhodio manum expectant.
Sylvii Opera omnia. Paris. curâ Moræi.
Septal. in probl. Aristot.

Poly-

Polydorus Seraphinus de erroribus medicor. 8. Venet. optimus.
Simeon Sethus de facult. medica. Basil. Græc. ex Vaticano misit Rhodius Anthon. van der Linden.
Sylvius Lanceanus de Mola. Rom. 8.
Salvii Selani comment. in art. parv. Gal. Neapol. 8.
Suiset de Calculo medicamentoso. fol. rarus & subtilis.
Joan Sturmius de Rosa Hierichon. 8. Lovan. fabulis plenus.
Septalius de peste, 4. Mediolan.
Salviani variæ Lect. medicæ. Rom. 8.
Salvus Sturrhus in Aphor. 8. rarus.
Joh. Bapt. Sylvaticus de annis Climactericis. Papiæ.
Laurentii Scholtzii aphor. medici. familiariter habendi.
Petrus Servius de odoribus Rom.
de unguento armario. ibid.
Antonii Santorelli Postpraxis.
Joh. Bapt. Sitoni miscell. p. 1. & 2.
Talentonii miscellæ medicæ, & Philolog. Ff.
Chirurgia Curtorum Taliacotii
Trincavelli Enchiridium medicum Andr. Christoph. Ripens. Basil.
Dominicus Terillus de causis repentinæ mortis. 4. Venet.
Tronconius de morbis puerorum. Bonon.
Domin. Terillus de generatione & partu hominis. 8.
Mercurii Trismegist. Opera fol. Cracov.
Simon è Tovar de compositorum medicam. examine. 4. Antvverp.
Tulpii Observationes
Vesalii chirurgia magna. Ven. 8.
Vallesii Philosophia sacra, prohibita, methodo excellit.
Vesalii Anatomia Bas. 1555.
Vidi Vidii Opera fol. 4. Tom. apud Junt. instar locorum Communium pro consultore & Lectore. Florent. Pisis docuit & Paris. evocatus ab Henrico III. Ex eo Steckinus methodum suam, ex Steckino Sennertus. Rudius magis ad praxin, præcipue in chirurgia.
Constantii Varol. de nervis opticis liber singularis.
Josephus Valdanius de Salvatella sect. in aff. Lienis.

Idem

Idem de purgantibus initio morbi tingente materia.
Valverdæ Anatomia. primum est edita in Hispan.
Vesalii examen Fallopii. 4.
Paraphrasis in 9. Rhas. Basil. & Patav.
Joseph. Valdanius de Theriac. usu. in Febr. dedit occasionem Saxoniæ & Massariæ.
Veslingii oratio.
Wittichii Curationes & consilia German. 4.
Willich. de urinis.
Zuvingeri Tabulæ in Hippocrat. fol. Bas. instar Commentar.
Examen principiorum Chymicorum optimus.
Pauli Zachiæ quæstiones Medico-Legales. Romæ.
de malo Hypochondriaco. ipse eo laboravit.
Zuccari methodus occurrendi morbis venenatis : 4.

ANTIDOTARIA.

Anonymus. 12.
Augustanum F. 8.
Florentinum. 4.
Bononiense. 4.
Nicolai Alexandr. 8.
Mantuanum. 8.
Bauderonii meth. misc. med.
Bergomense, 4.
Cordi. 12
Cortesii Messunense. F.
Jacobi Dondi. F.
Dorncreillii. 12.
Coloniense. 8.
Anutii. Foësii. 8.
Romanum. F.
Marinelli. 4.
Nicolai Præpos.
Placotomi. 12.
Martini Rulandi.
Melichii cum notis Stechini. 4.
Weckeri.
Lud Bordaldi apparatus medic. 4.
Tom. 2.

Consilia.

Vicent. Alsar. quæsit. med. F.
Consultat. ad Mercat. 4.
de Peste. 4.
Anton. Alvarez. epist. & consil. 4.
Alexandri Alexii cons. med. 4.
Bertini Consult. 8.
Baverii. f.
Chifletii obs. med. 8.
Cerumsoni. F.
Claudini. F.
J. B. Circamundi de Mercurio 4.
Diversorum de Arthritide. 8.

petri

Petri Foterii
Quercetani.
Renodæi.
Lælii à Fonte. F.
Roderici Forseæ. F.
Hieronym. Gvargvanti. 4.
Matth. de Gradibus.
Hieron. Mercurialis F.
Joh. Bapt. Montani. F.
Benedicti Faventini 4.
Francisci Frisimelica de peste.
Epiphan. Ferdinand. F.
Vict. Trincavell.
Zoroastr. Tincelli. 4. T. I.
Caspar. Torelli. F.
Venusti. 4.
Diversorum Opera. Witteb.

AUTHORES Qui in certis materiis excellunt.

PEtrus *Salius diversus de Febr. pestilent. & morbis ab aliis neglectis.*
Julius Palmarius de morbis contagiosis.
Carolus Pisa de morbis à colluvie serosâ.
Mercurialis de morbis puerorum. 4.
oculorum. 4.
Saxonia de palpitatione.
Alvi fluxu.
Lue Venereâ
Melancholiâ.
Febribus.
Plica polonicâ.
Minadous de Febr. malignis.
de Vesicantibus.
Variolis & morbillis.
Marcellus Donatus de Variol. & Morbill. 8. Mant.
Betera de Variol. & Morbil.
Franciscus Nola de Anginâ Epidemicâ.

Theodorus Baronius de læsâ operatione mejendi. 4. Pap.
Bartholeti methodus ad dyspnœam.
Gaborius de Podagrâ
Lumbricis.
Spigelius de Lumbrico lato
Hemitritæo,
Pius Æneas Caprilius de Febribus.
Joh. Varandæus de morbis ventriculi
Elephantiasi.
Morbis Renum & Vesicæ.
Leonhardus Botallus de Catarrho.
Andreas Laurentius de Strumis.
Valentinus Junior de ejectione sanguinolenta per secessum NB.
Ant. Galli Fasciculus de peste.
Andr. Lucuna de curatione carunculæ in meatu urinario.
Reusnerus de Scorbuto.
Alsarius à Cruce de Epilepsiâ.
Baldus Baldus de locis affectis in Pleuritide.
A Castro de morbis mulierum.
Joh. Bapt. Codronchius de prolapsa cartilagine mucronatâ.
Septalius de eadem prolapsa.
A Bra de Remediis Calculi.
Fonseca de iisdem remediis.
Zachias de affect. Hypochond.
Donce à S. Cruce Hisp. de melancb.
Costeus de lacte & sero.
igneis præsidiis.
David de pomis. de affectibus senum.
Anselmi Gerocomice.
Matthiæ Geigeri kelegrathia. ❧
Rudius de morbis occultis.
Minadous de Turpitudinibus.

Santes de Ardoynis de venenis, cum Ferdinandi Ponzetti ejusdem generis commentario

Camillus Baldus de unguium inspectione in morbis.

Consil. Zecchii de Febr. malignâ cum peripneumonia insertum libb. de urin. Bonon. 4.

Tancredus de Fame & siti. Neap.

Laurentius Joubertus de paralysi, quartanâ, peste & suis paradoxis.

Donati Anton. ab Altomari de usu vinaceorum & de mannâ cum aliis operibus.

Joh. Riolani de Hippo, seu Tremore oculorum, in suo systemate.

J. B. Codronchius de vitiis vocis.

morbis veneficis.

Antonii Santorelli postpraxis 4. Neapol.

Fab. Columnæ de purpura. 4. Neap.

Beverovitius de Calculo.

Claudini respons. de Cauterio in sutura coronali

de cauteriis.

Campi Lucensis de morbo Arietis

de morbo gallico.

Ingrassias de Tumoribus.

Joh. Saporta de tumoribus.

Mercurialis de fluxu materiæ pituitosæ seminis æmulæ.

Ronseus de partu Cæsareo.

Manelphus de Febr.

Guibelmannus de morbis oculorum Gall. 8.

Zapata Secreti de Chirurgiâ & medicinâ.

Marianus S. Barolitanus de calculo vesicæ & ejus sectione.

Hollerii institutiones Chirurgicæ.

J. Jacob Mannus de Cucurbitulis.

Pietro Paulo Magni del sanguinare, con figure 4. Venet.

Fabrit, Hildanus de Gangrænâ & Sphacelo, de Ichorib.

Joseph. ab Aromatar. de rabie contagiosâ.
Cæsar Baronius de Pleuropneumonia.
Obstetrix Gallicè conscripta. Lugd. 8.
Pona annulus Physicus. Veror.
de Febr. in F. Madrit.
Ponteus Gartias in Avicenn.
de Febr. Lugd.
Augerius Fonarius de Pudendagrâ.
Balduinus Ronsæus de Scorbuto.
Aëtius Cletius de morbo strangulatorio.
Septalius de peste. 4. Madrit.
Tosius de Carbunculo 4.
Petr. Castellus de abusu Phlebotomiæ.
Angelinus de Verme admirando.
Æmilius Campilongus de Variolis & Arthritide.
Minadous de abusu non mittendi sanguinem in Febr. malignis. NB.
Alphonsus Ferrarius de ligno sancto & ratione curandi plerosque morbos ejus decocto.
Capivaccius de oculorum affectibus.
omnium exactissimus in hâc materia.
Heurnius de Apoplexiâ.
Massariæ Consil. de sputo sanguinis.
præstantissimum.

FINIS.

EPI-

EPICRISIS.

HAbetis jam omnia, ὦ ἰατρῶν παῖδες charissimi, quibus studia vestra sublevare atque dirigere potestis, præstantium medicorum judicia. Restat, ut datam vobis in limine nuper exsolvam fidem, & quid ad ista forte monenda habeam vobiscum communicem: Vobiscum inquam, ad vos enim hæc maxime attinent, non exercitatos in arte viros. Dicam igitur de omnibus ac singulis, & dicam vere: Pulchra sunt quæ afferunt, sublimia, utilia, necessaria; & qualia ni esse exploratum habuissem, onerare illis memoriam vestram neutiquam sustinuissem. Nominatim Bartholinus brevis est & succinctus; Petrus Castellus doctus, confidens, cautus, judicio & castigationibus acer; Lindanus acutus, ingeniosus, & accuratus; Rhodius apertus, eruditus & limati judicii: non est igitur ut quenquam eorum spernatis: Quid vero de nonnullis in iis obviis porro sentiam, nunc accipite:

Primam nobis differendi ansam porriget BARTHOLINUS ubi de Linguæ Arabicæ loquitur necessitate. Utiq; cum viro doctissimo fatendum est, ejus notitia parum hodie vel nihil medicum juvari: non tamen ob eam duntaxat causam quam affert, sed potissimum ideo, quia Arabum libri typis propriis exscripti non extant nisi in Bibliothecis quibusdam, iisq; admodum pag. 9.

 dum

dum paucis. Memini Rolfincium Avicennæ libros ex Italia petiiſſe cum ſua ederet. Quod ſi extarent, non dubitandum, multum commodi inde haberi poſſe: Nam Græcorum bene multa periere, alia corrupta ſunt; poſſent ergo hæc ex Arabibus reſtitui, ſed in Africa atque Aſia forent iſta conquirenda. Taceo interpretationibus eorum quos habemus nos uti ſcabris admodum & mirum in modum corruptis: ut hic quoque dulcius ex ipſo fonte biberentur aquæ. Et vero ſi ad Græcos recte intelligendos opus eſſe exiſtimamus Græcanicæ Linguæ cognitione, cur non eadem Arabum fuerit ratio? cum multo & nitidius & accuratius Græcorum verſiones ſint adornatæ? Ad auctores quos
pag. 10. commendat jam accedo: *Optices ſcriptoribus* addi poſſent *Keplerus & Plempius* & quæ nuper diſſeruit *Guilielmus Brigge*, in Bibliotheca Anatomica reperiunda. *De Avi-*
pag. 13. *bus* doctiſſimum nuper librum nobis dedit idem qui Hiſtoriam plantarum *Joh. Rajus*: Illam adjungere operæ preti-
pag. 11. um erit. *De Aſtrologia* cum eum cum Caſtello communem errorem habeat, ad utrumque referri velim quæ nunc paucis addo: Tenendum eſt ſcilicet, ex quo in Europa refloreſcere cepit ars medendi, omni ævo fuiſſe haut paucos qui ad eam pertinere Aſtrorum influentias, exiſtimaverint, longe tamen plures eas ſpreviſſe, quod incerta hic viderentur omnia: Et quidem, ſi rationem conſulimus, nihil, ſi experientiam, pauca invenimus quæ patrocinari poſſent ambiguæ fortunæ diſciplinæ; ut pari paſſu cum Chiromantia ambulet: in utraque ſane invenias qui mira à ſe prædicta prædicent, ſed plerumque tamen fallere, doctiores uno ore exiſtimant, nec qui id negare ſit auſus, unquam repertus eſt. Igitur ſi quando reſpondeat eventus, ad caſum

referen-

referendum. Possent itaq;, si non esset ipsa ars longa hæc quoque addisci, nunc valeant: Tanto magis, quod agnoscunt aperte vanitatem Mathematicorum Coryphæi. Est autem pessimum signum reique desperatæ, à propriis Doctoribus relinqui: & si cuique in arte sua credendum est, proscribenda jam erit ex scientiarum cœtu ista. Multo sanius Lindani judicium est. Hunc vos audite & sequimini.

Denique *de Chemicis, Botanicis, Anatomicis & Chirurgicis studiis* quæ prope finem addidit auctor doctissimus, pag. 16. dudum mutata esse, quilibet ex se judicat, non igitur opus est me monitore. Neque etiam quid hodie eorum, quibus in locis possit felicius addisci, submonebo: modestia prohibeor, & in Academias ac studia reverentia. Et vero, quî sine offensione id fieri possit?

In Aureo CASTELLI Scripto, Augiæ stabulum repurgandum nobis fuit. In Græcis sane tot vitia typographica quot non dicam lineæ, sed verba, imo forte plura, ut omnia hac vice tollere vix licuerit. Nec Latina mendis caruere. Cæterum præter ea, quæ de Astrologia habet, nihil hic occurrit, quod possit esse offendiculo: Nam & de Linguis & Philosophia & Chemia & reliquis rectissimè sentit: Ego igitur ad

LINDANUM propero: Sed in transitu Plempius moratur, & iniquum de Sennerto judicium nobis objicit; non parcens reliquis, sed universam Nationem Germanicam Compilatorum & Rhapsodon ignominiosis onerans titulis: Debuisset illud pastoris apud Virgilium in animo habere: (ignoscat: jam enim & hoc exscribo:)

Parcius ista viris!

Sed forte non legerat nisi paucos Germanorum; si secus est, ex

ex superbia inani, & tumido ejus animo fluxisse hæc existimanda sunt. Legat vel hæc aliquis Conringiana æquus rerum æstimator: verum indignus talis est quem confutes, qui non veritus universæ nationi insultare, stultum enim: Habet quodlibet Regnum quos carpas, quos ipsi exprobres, habet etiam quos laudes. De Sennerto videamus: Eruditionem in eo desiderat & ingenium. Sed quid est apud te eruditio, mi Vopisce? an nescis esse variam, & medicam quoque? Unde igitur potuisset corradere omnia, si non istam habuisset? Sed ingenium ipsi deest: Non omnis fert omnia tellus; Multi ingeniose dicendo, alii judicio præstant. Tibi illud est datum, hoc Sennerto nemo denegabit, tanto magis præferendum, quod non quidem ad cavillandum, sed ad docendum est longe aptissimum. Ipse Lindanus, quem laudas, quem sequendum esse dicis, multo modestius, multo rectius de optimo viro judicat, teque arguit falsitatis. Relinquo igitur infortunatam hanc Fortunati censuram, & me ad illum confero.

Omnia hic videas solida, erudita, ut liberrimi ingenii Virum agnoscas plane, sed qui libertati dicendi eruditionem & judicium adjungit, & dum antiquitatis vitia profert, non obliviscitur venerationis quam sibi jure postulat. Pauca igitur erunt quæ non approbem, neque alia quam
pag. 80. quæ temporum felicitas mutavit. Ut quod Bauhinum ad publicas sectiones commendat, quum ille potius quod alii habent, collegerit, adeoque docentem potius instruat quam discentem. Consultius erit, Veslingium & Marchettum in theatrum inferre, sibique comitem adsciscere: properanter enim ibi omnia & cursim exsequimur, cum non ferat moram cadaver, mox putredine naribus animisque tædio

infen-

insensum. Quæ de humoribus commonefacit anatomicos, in iis frustra esse videtur, si capio ipsius mentem. Vel enim de naturalibus intelligit, quod non arbitror, satis enim hic omnia in aprico sunt; vel de præternaturalibus: rem dicit utilissimam, sed inutiliter: neque enim conceditur medico, naturali morte extinctos dissecare, & si integrum esset, frustra plerumque vereor ut inquirat, cum partim dispareant, partim mutentur post mortem humores noxii, partim etiam difficillime inveniri possint. Consule tamen, si placet, Bonetti observationes ex cadaveribus, ni forte & hic sordet post Plempii judicium. Nam & is compilator est, licet non sit Germanus. *Ibidem.*

Sed opportune hic sese denuo offert: Quid dicemus de ejus Fundamentis Medicinæ, valde a Lindano laudatis, & præpositis omnibus. An par pari referemus? Neutiquam: Est ille liber perdoctus, etsi judicium hic desidero. Nimius certe in Philosophicis, (quod non videtur latuisse Lindanum, etsi dissimulet, & molliter tractet hoc ulcus,) eaque trahit ad artem quæ ad eam non pertinent; contra in therapeuticis est nimis brevis & jejunus fere. Quo in genere Sennertus se gessit longe prudentius, etsi in Pathologicis rursus emineat Plempius, qui recte Symptomatum singularia prætermisit. Nos hic *Mœbium* commendamus, etsi in his ac Diæteticis, uti & doctrina de Urinis ac pulsibus, æque ac Sennertus, mole sua laboret, & oneret discentes. Huic jungendus *Franciscus Zipæus*, qui ante quadriennium in lucem edidit Fundamenta Medicinæ; Plempius autem per otium deinde provectioribus legendus. Nihil est quod addam, si non illud, de præfinito studiis tempore: quod ne non sufficiat, valde metuo. Quid enim triennium *pag. 113.* *pag. 115.*

ennium est, collatum ad ea quæ præscripsit pernoscenda atque agenda? Certe parum videtur: imo dicam aperte, Non sufficit, ne præcellentibus quidem ingeniis. Prudentius multo

JOH. RHODIUS, qui nunc solus restat, sexennium & ultra studiis destinavit. Verum de hoc scripto plura dicenda veniunt. Primum nempe illud: Non omnino emendata atque exascitata hæc prodire, sed talia à nobis reddi, qualia accepimus. Ad rem tamen attentis facile quæ sunt obscura, poterunt enodari. Est autem hoc præcipiendi genus, ut a reliquis diversum, ita per sane utile, quod per annua tempora distribuat studia. Auctoribus tamen quos commendat, non strictim esse inhærendum, patet, possuntque facili opera alii his substitui, si displicent, quanquam cur magnopere alii expetendi sint, non equidem video; nisi in chemicis forte & Formularum scribendarum ratione: sed ut est nunc seculum, sordent non raro non quæ pejora, sed quæ vetustiora. Illud tamen non probo, quod per omnem Europam vagari post biennium jubeat tyronem suum. Nusquam est qui ubique est: Rectius longe sibi consulet, qui uni inhærebit loco, dum solidis artis fundamentis animum titubantem obfirmaverit: tum vero demum peregrinis inhiet, ubi exhaustis domesticis fontibus deficiunt aquæ. Etiam Locorum communium ordo ad vitam solitariam potius quam practicam videtur accommodus. Melius Lindanus; Quanquam nec iste satisfaciat. Unum Volumen Anatomicis & Physiologicis dandum, alterum Pathologicis una cum praxi, cum hæc illis unice innitatur: Tertium materiæ medicæ rebusque naturalibus. In quarto remedia notentur non ex simplicibus,

bus, quæ ad priora melius referuntur, sed composita, usuque maxime probata. His atque illis inserviet Schœnbornii Manuale & Finkii Enchiridion, aut aliud simile, vel proprio Marte secundum morborum seriem fabricetur novum opus: Reliqua, in quintum referenda, eruditionis vel variæ vel Medicæ titulo insignitum.

Quod sequitur operæ in recensione auctorum posuit auctor, de quibus nihil attinet denuo disserere: Hic igitur jam vela contraho, & me recipio in partum, sed postquam id unum, quod in principio monui, iterato inculcavero: omnes hos tamen egregios viros & in arte pariter consummatissimos tam mirabili consensu in plerisque omnibus conspirare, ut si jure meritoque in trium vel quatuor testium ore judex forensis acquiescat, non possitis, o Nostri de horum omnium veritate nec Vos amplius dubitare: Habetis enim hic quinque auctores, summos, optimæ fidei, qui vobis recte consulere & voluerunt & potuerunt. Hæc igitur perpendite, & si vera invenitis, sequimini.

Ego nunc me subtraho, & vobismetipsis vos relinquo: Nihil mihi gratius, nihil auditu jucundius futurum est, quam si intellexero, commoda vestra, ac studia hoc improbo conatu meo me plurimum promovisse.

Μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα!